BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit.
Pl.

RT. REV. EUGENE O'CONNELL,
LOS ANGELES,
CAL.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

DE

MATRIMONIO

CHRISTIANO

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/demotrimoniochri0000auct

DE
MATRIMONIO
CHRISTIANO

LIBRI TRES

AUCTORE IO. PERRONE E SOC. IESU

IN COLL. ROM. GEN. STUDIORUM PRAEFECTO.

TOMUS PRIMUS



ROMAE

TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROP. FIDE

MDCCCLVIII.

DE MATRIMONIO CHRISTIANO

LIBRI TRES

AUCTORE IO. PETRONIO E SOC. IESU

TOMUS PRIMUS

ROMAE

PIO IX.
PONTIFICI MAXIMO

IOANNES PERRONE S. I.

Ut primum animum adieci ad Matrimonii christiani opus exarandum, illico in eam cogitationem veni, ut Nomini Tuo, Pater Sanctissime, illud inscriberem. Cum enim gravissimae hac tempestate de matrimoniis, eorumque iuribus moderandis subortae fuerint quaestiones, cumque religionis hostes omnibus instructi armis ad Ecclesiae potestatem, qua sanctis connubii vinculis prospicit, infringendam veluti agmine facto

3297

surrexerint: Tua sapientia praestitit ut de eorum erroribus novum Ecclesia egerit triumphum, novaque luce veritas catholica coruscarit.

Huc accedit, quod meos pertenues in re christiana tuenda labores Sanctitas Tua pro ea, quae omnium ore praedicatur humanitate benigno lumine aspicit, mihique vires animumque sufficit, ut cum veritatis religionisque hostibus congrediar, causamque,

quae sanctae Petri sedi cum bonis omnibus communis est, maiori qua possim ope, tuear.

Magnum itaque laboris fructum cepisse iure mihi videor, si opus hoc Tuo inscriptum Nomini tuoque munitum praesidio in hominum manus devenerit.

Tuis pedibus advolutus Tuam humillime ut mihi benedictionem impertiaris rogo.

PROOEMIUM

Fundamentum et origo domesticae societatis ac familiae, quemadmodum et rerum publicarum omnium, quae ab ea ortum ducunt est illud matrimonii vinculum atque coniunctio, quam in illa quoque beatissima primaevae integritatis conditione e qua per peccatum excidimus ab ipso Deo novimus fuisse institutam. Cuius quidem institutionis ex qua propagatio hominum et soboles prodeunt, si causam quaeras ultimam, non aliam profecto invenies, quam qui alii ex aliis homines gignerentur, ii quamdiu in terris viverent auctorem Deum cognitione, amore atque obsequio prosequerentur: cum ex hac mortali vita discessissent, eius beatitate in coelis sempiterna delectatione fruerentur. Quam ob rem Deus non modo ratam et sanctam esse hanc vitae coniunctionem voluit; sed ne labefactari unquam, aut dissolvi ab hominibus posset, immutabiles eidem leges tulit, quibus intra suos fines, qualem ipse effecerat perpetuo contineretur.

Ne qua vero mortalium sive conditione sive cupiditate fieret aliquando, ut quas ipse dedisset leges arbitrio subiicerentur alieno, easdem religioni commissas sapientissime voluit, in cuius fide et tutela ab omni vitio et corruptione, quae post peccatum inficere illas quodammodo possent instituta a se matrimonii societas inviolata permaneret. Nec dubium esse cuiquam potest quin tum apud primos illos populorum patres, tum decursu tem-

porum apud iudaicam gentem, quae ab illis procreata est, praesertim vero ab accepta mosaica lege, divina haec institutio ab omni vitiorum labe, quae ad ethnicos populos tam late dimanarunt, impolluta penitus et intacta perduravit.

Quis vero non sentiat quantus a novo per Christum foedere huic coniunctioni splendor accesserit; quae a Deo primum intra naturae fines quadantenus constituta, dein a Christo Domino ad divinarum rerum ordinem, et ad sacramenti dignitatem evecta est? Is enim non solum quidquid humani et pravi irrepserat a sanctitate matrimonii sustulit: verum etiam quod antiquis patribus certa quadam dispensatione concessum, quodque iudaeis ob ingenium gentis atque indolem permissum a Moyse fuerat, perpetuo revocavit; ex quo abrogata penitus viri cum pluribus feminis coniunctione, damnatoque repudii libello, matrimonii castum atque legitimum vinculum ad pristinam illam unam individuamque societatem restituit. Ne quid vero contra tam sanctum nuptiarum ius auderent aliquando homines, ne quid novi molirentur invehere, ne quid quod ratum esset infirmare conarentur; totius rei modum atque universam administrationem ecclesiae suae quam in terris reliquit eiusdemque supremo capiti commisit. Illi uni tamquam duci ac magistrae potestatem fecit tum ut certas leges conditionesque constitueret quibus dumtaxat sancte et legitime inire matrimonium liceret, tum caussas rationesque cognosceret, atque ita huius vinculi honestatem integritatemque tueretur.

Iam vero quamvis comperta res sit hanc matrimonii coniunctionem spectari posse, tum tamquam naturae officium, quod ad procreationem attinet liberorum eorumque institutionem: tum tamquam officium civilis societatis ad quam efformandam, augendam conservan-

damque diximus a Deo fuisse institutam: tum demum tamquam proprium religionis officium et munus; quandoquidem divina providentia factum est, ut alii ex aliis nascerentur qui filii Dei essent et immortalem beatitatem consequerentur: exploratum tamen aeque est, neque soli naturae neque civili potestati datum esse eadem plane ratione, qua id sibi vindicat religio, nuptiarum leges ac iura moderari. Quod enim aliud naturae officium esse dicemus, quam viri ac mulieris coniugationem ita temperare, ac regere, ut ea honesta sit et susceptioni ac institutioni sobolis non adversetur? Quae vero civilis potestatis partes sunt, eae omnes intra rei publicae ambitum et communis boni eorum, qui sociantur, continentur. Verum ad ecclesiam unice, et proprio suo iure spectat nuptiarum leges conditionesque ea ratione moderari, ut qui inire matrimonium volunt, ii non modo quod ad mores attinet, verum etiam quod ad materiam, quam ipsimet praebent, et qua sacramentum efficitur apti atque idonei habeantur, a quo pactio ipsa nuptialis, quae in sacramento intercedit, aut sacramentum ipsum constituit, distingui aut dividi, quemadmodum a sacramento baptismatis corporis ablutio nullo pacto potest. Quare una est ecclesia, quae ex divina quam a Christo Domino accepit potestate impedimenta constituat quibus, aut irritum plane, aut illicitum sit fidelium connubium; una est quae impedimentorum vincula honesta de caussa dissolvat; una est, quae si quod anceps et dubium sit, diiudicet et distinguat; una demum est, quae nuptiarum iura et proprietates caste atque inviolate tueatur.

Qua quidem in re dum civilis potestas, ut fit, constitutos sibi fines excedit, neque ab ecclesia in officio patitur contineri; aborta iurium confusione contentiones illae esse incipiunt, quae olim et hac ipsa aetate nostra

inter utramque potestatem novimus exarsisse. Haereticos eos homines omittimus, qui huius sacramenti veritate reiecta, eo usque amentiae prolapsi sunt, ut castum ac legitimum matrimonii vinculum non secus habuerint ac in rebus venalibus fit, emptionem quamdam, aut mutuam corporum conductionem: ad alios qui mitiores se hostes simulant, si placet, veniamus. Hi sunt ex multitudine politicorum hominum atque leguleiorum turba non pauci, qui haereticorum vestigia sectati non modo ausi sunt cum ecclesia in tam divino iure contendere, verum etiam nihil intentatum reliquerunt, quo quidquid ad nuptias attinet fidelium, si sacramenti sanctitatem excipias, ad civilem potestatem et commune fori iudicium deducere conarentur.

Neque defuere ex theologis, qui praeteritis temporibus, maxime vero ab elapso saeculo atque hoc ipso in quo vivimus ineunte, in societatem quamdam cum iansenianis doctoribus, ad eam quam diximus ab aula profectam pestiferam opinionem fovendam tuendamque coniurasse visi sunt. Nemo nescit quos impios duces in tam nefario bello contra ecclesiam suscepto sequuti fuerint: desertorem videlicet illum fidei Paulum Sarpium, et famosum alterum Spalatensem apostatam Marcum Antonium De Dominis, nec non parisiensem doctorem Launoium, quorum cavillationes et sophismata transcribere non veriti sunt, atque hac ipsa aetate nostra, inania licet, et toties refutata multos non pudet proferre.

Accessit ad haec nova illa et nescio quibus ex fontibus hausta doctrina, quae labente saeculo XVI. scholas haud paucas invasit, qua tradebatur huius conficiendi sacramenti ministros, quemadmodum ceterorum, sacerdotes esse constitutos; et ex quo promulgata illa distinctio inter sacramentum et pactionem, quae in matrimonio christiano intercedat, coepit circumferri, theo-

logi illi qui in hanc concessere sententiam, ne suspicati quidem sunt, quomodo alii ipsorum placito abusuri essent. At dici vix potest quantum abuti hac distinctione statim coeperint politici illi homines ecclesiae hostes qui plus nimis civili potestati iam pridem tribuebant. Hinc nefaria demum prodiit non opinio solum, verum etiam publice perlata lex quae matrimonium legitimum, quod coram civili tantum magistratu sociatum fuerit, habendum esse sancit: a qua dum ob immania inde exorta flagitia ipsi iam nunc haeretici abhorrent, qui primum eam legem susceperant, mirum profecto est qua fronte et audacia eam nostris hisce temporibus adversus ecclesiae tela christianis principibus persuadere non vereantur.

Illis ultro se comites praebent atque adiutores, qui mormones, qui communistae et socialistae, novis licet nominibus appellati, veteres cuiusvis libidinis amatores, matrimonii sanctissimum ius quo obstringi non amplius volunt, detestantur atque exsecrantur. Patent nequissimorum hominum consilia; apertae sunt voces; sermones circumferuntur; ad id nempe flagitiosae turpitudinis aspirant, ut foeminis ad omnem libidinem uti iam liceat. Horrendum dictu nefas! quo non domestica solum, sed universa humana societas everteretur.

Ad hoc exitii discrimen ab iis novarum opinionum initiis scelestissimorum hominum audacia adducta res est: a qua quidem tam nefaria sententia, etsi magnopere abhorreat politicorum nostrorum doctrina, qui omnem hac in re administrationem permittere ecclesiae nolunt; si tamen audiendi essent, corrueret plane divina illa institutio, et *magnum* illud *sacramentum*, ut verbis utar Apostoli, quo castus Christi erga ecclesiam amor, quo Christi cum ecclesia, immo et aeterni Verbi cum humana natura coniunctio significatur, foedissima hominum tamquam brutorum copulatione repraesentaretur.

Ex his errorum monstris, quos levi adumbratione descripsimus, facile est intelligere quod munus pro catholica doctrina tuenda, quasque partes adversus ecclesiae hostes adimplendas nobis esse duxerimus.

Tractatio haec nostra universa in tres veluti partes dividitur. Initio de huius sacramenti veritate agendum erit, prout illud a Christo Domino institutum fuisse credimus. Tum de ministro quaerendum qui ex catholica sententia ad illud efficiendum constitutus esse censendus sit. Ostendemus deinde unam eamdemque in christiano coniugio rem esse sacramentum quod fit et pactionem mutuam quae in ipso intercedit; atque ea capita ex hac quaestione concludemus, quibus matrimonium civile quavis demum sub specie propositum penitus reiiciamus. Altera pars ea omnia complectetur, quae ad legiferam hac in re ecclesiae potestatem pertinent; quo iure impedimenta quaedam quae matrimonium irritum faciant, constituat, qua auctoritate tollat, disputabimus; nec non quas sibi partes iuris tribuere possit hac in re civilis potestas, aliaque id genus attingemus, quae ad hoc argumentum maxime referuntur. Tertia tandem pars circa proprietates, quae matrimonium natura unum atque indissolubile efficiunt tota versabitur: quo in loco postquam ea omnia errorum monstra recensuerimus quae lapsu temporum alia ex aliis ad conscelerandam divinae huius institutionis sanctitatem prodierunt, quaestionem illam adeo exagitatam de matrimonii dissolutione adulterii caussa aggrediemur, eamque quod ad sacrarum litterarum testimonia spectat, ad ecclesiasticam traditionem, et ad rationum momenta qua maxime fieri poterit disquisitione versabimus.

Haec habui quae brevi sermone perstringerem, ut in conspectu ponerem universam operis partitionem. Quemadmodum vero partium, ita par erit singulorum libro-

rum distributio: primus de matrimonio christiano et civili: alter de legifera utriusque iuris potestate: tertius de matrimonii dotibus inscribitur.

Quos quidem dum typis concedimus et publicam evulgamus in lucem, ii certe non sumus qui absolutum undique opus, perfectamque de matrimonio tractationem polliceri audeamus. Plura sunt eaque non vulgaria, quae in re tam ampla et copiosa pertractari commode possunt: verum praescriptos huic operi fines praetergredi nefas duximus. Neque is ego sum qui nova et splendida pro certis et veris persequi voluerim, id unice satagens, ut quaestionem arduam sane atque difficilem meliori qua possem luce perfunderem. Id si egi, ut spero, non parum profecisse me, atque iis qui plenius huiusmodi materiam pertractare poterunt, videar consuluisse. Verissima est Tullii sententia, omnibus in rebus difficilem esse optimi perfectionem atque absolutionem. Equidem fateor doctissimos viros eosque non paucos omnem suam operam in hanc quaestionem contulisse: neque tamen ausim dicere plana esse omnia atque explorata, quum multa videam in non levi adhuc obscuritate versari. Ego quantum in me est, ad hasce dissolvendas tenebras aliquam cum ceteris facem conferre conatus sum. Hac enim ratione plerumque factum videmus, ut quae initio incerta erant et laboriosa, communi doctorum virorum conatu atque industria iam nunc comperta omnibus et explanata habeantur. Prout cuique datum est eniti omnes debemus, ut in communem sapientiae thesaurum aliquid semper conferamus: quid pro mea parte contulerim, eorum qui aequiores mei iudices erunt iudicio et sententiae facile relinquo. Affirmare tamen possum nulli me diligentiae et labori pepercisse, quum id in animo habuerim semper ut quidquid susceperim, catholicam doctrinam sincero haustam fonte meliori qua pos-

sem ope traderem, et adversus ecclesiae hostes propugnarem.

Quod postremum in causa fortasse erit, ut quorumdam hominum linguas et voces vitare penitus non possim, atque eorum maxime, qui non eadem institutione eruditi minus aeque hac super re de ecclesiastica potestate et iure apostolicae sedis opinantur ac sentiunt. Iis vero qui obfirmata animi pravitate contrarias prorsus opiniones sectantur, quique hac ipsa in luce qua vivimus per summum nefas rogatis legibus tam grave et periculosum bellum adversus ecclesiam commovent, in quanta invidia futurus sim, non est cur dicam: ipse plane sentio atque intelligo. Sed de hoc hominum genere, qui non rerum ignoratione, sed obstinati animi vitio veritatis splendoribus mentem occludunt, sollicitus plane non ero: caeteris sat mihi videor profuisse si omne meum studium atque operam, qua maxime potui perspicuitate in hanc tractationem contulerim.

Equidem in theologicis meis praelectionibus, quae vulgo circumferuntur, de hoc eodem argumento prout instituta methodus postulabat, iam antea scripseram: sed ea brevius fortasse, ac strictius dicta videri poterunt, et magis ad ceteras partes quam ad dignitatem et amplitudinem tractationis accommodata. Itaque eo libentiori animo hunc alterum laborem suscepi, quod gratum omnibus me facturum putarem, si quae vel brevitatis causa essent missa, vel quae maiori egerent declaratione, vel quae conditio temporum et necessitas postularet, fusius in hoc opere adiicerem ac cumularem. Atque ita duo sane egi, quae volebam; ut nova haec tractatio alteram illam quae extabat compleret atque perficeret, simulque adversus religionis hostes pro re catholica qua possem ope obiicerem me atque opponerem. Quod si quaedam fortasse occurrent in quibus non eamdem

omnino sententiam videar sequutus ac antea professus fueram, quisque profecto intelligit hanc me tamquam maiorum studiorum fructum praeferre atque complecti.

Atque ut de methodo ipsa quam in hac tractatione adhibuimus aliquid etiam dicamus, ea commodior mihi visa est atque opportunior, quae posita severiori illa forma, qua in scholis et in scholasticis disputationibus uti consuevimus, remissa magis et quieta veritatem diligenter inquirit, docet et suadet. Copiam autem rerum ita cum brevitate temperavimus, ut haec obscuritatem non faceret legentibus, nec illa satietatem.

Res est sane amplissima et pene dixerim infinita; de qua quamvis multa disseras, longe tamen plura sunt, quae si persequi cuncta velis infinita tractatione opus esset. Tot numero itemque graves aliae ex aliis obortae quaestiones occurrunt, ut non theologi modo sed tum civilis tum ecclesiastici iuris periti, tum ipsi qui politici vocantur aliquid semper novi ad hanc materiam possint afferre. Nos id saltem conati sumus, ut causa quae tantopere nostris hisce temporibus agitatur, quaeque multorum animos commovet alacriori qua fieri posset impulsu procederet: atque iis viam quodammodo sterneremus, qui pro re catholica tuenda hanc eamdem causam suscipient, quosque meliori certe ingenio et maiori doctrinae praesidio, quibus ipsi non possumus, ad felicem exitum confidimus illam esse perducturos. Ita plerumque se res habuit, ut quod unus aut alter scriptor non potuit, in communi conspiratione ex collata multorum industria et quadam veluti supellectili comparata de multis quaestionibus, quae initio arduae erant atque difficiles nulla iam amplius controversia habeatur. Itaque id ego qua potui diligentia sane praestandum mihi esse in hac tractatione duxi; et fecisse me eo libentius profiteor, quo et multa eaque optima viderem apud antiquos et

recentiores scriptores disputata, quae sparsa et diffusa iacerent, collecta vero ad hanc causam maxime facerent; et eos viros debita laudatione celebrarem, ut faciam, qui tam bene de re catholica pro tuenda matrimonii doctrina meruerunt.

Qui vero bonorum omnium fons est et auctor Deus, pro sua in nos benignitate qualecumque hoc opus meum, quod etsi multis distractus curis, ad eius laudem et gloriam, atque ecclesiae suae causa suscepi, tueri velit et promovere: ut, quemadmodum volui, sanctissima illa coniunctio, quam ipse in terris constituit, ut ex ea homines ad aeternam beatitatem procrearentur, ab impiorum conatibus vindicata in pristinam integritatem dignitatemque apud omnes revocetur.

DE

MATRIMONIO CHRISTIANO

LIBER PRIMUS

DE

MATRIMONIO SACRAMENTO ET DE MATRIMONIO CIVILI

SECTIO PRIMA

DE MATRIMONIO SACRAMENTO.

CAPUT I.

DE RATIONE SACRAMENTI IN MATRIMONIO CHRISTIANO.

ARTICULUS I.

Veritas Sacramenti Matrimonii ostenditur ex perpetua Ecclesiae doctrina.

Germanam Ecclesiae doctrinam de matrimonii sacramento nobis exhibuit tridentina synodus, dum definivit: «Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ad hominibus in ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anath. sit (1). Ex quibus deprehendimus matrimonium a concilio conferri cum reliquis evangelicae legis sacramentis iisque prorsus aequari, ita ut sacramentum sit a Christo Domino institutum ad gratiam, quam significat, ex opere operato rite illud suscipientibus conferendam.

Hanc perpetuam fuisse et constantem ecclesiae catholicae doctrinam modo ostendemus tum generatim ex ipsius ecclesiae sensu agendique ratione publica, constanti ac solemni, tum speciatim ex singularibus patrum doctorumque testimoniis. Ideo vero hunc ecclesiae sensum, eiusque

(1) Sess. XXIV. can. 1.

agendi rationem praemittimus, quia exinde lux affulgebit ad mentem patrum melius assequendam, quotiescumque eorum effata aut dubia, aut non satis decretoria ad rem conficiendam videntur. Certum siquidem est, patres locutos fuisse iuxta doctrinam, quae singulis aetatibus in ecclesia vigebat. Si proinde certo constiterit de fide, quam ecclesia circa sacramenti matrimonii veritatem profitebatur, eo ipso constabit de germano sensu patrum ecclesiasticorumque scriptorum iis in locis, in quibus de matrimonio christiano disserunt iuxta receptam ecclesiae doctrinam. Canon iste ecclesiasticae interpretationis nedum theologice, sed etiam critice spectatus adeo certus est, ut nulli sit ambagi, aut contentioni obnoxius.

Iam vero ecclesiam quovis tempore christianum coniugium uti sacramentum a Christo Domino institutum habuisse atque professam esse, praeter duo oecumenica concilia, tridentinum et florentinum, quae aperte matrimonium eodem in censu ac sex alia sacramenta novae legis sine ullo discrimine posuerunt, testem habemus aliud oecumenicum anterius concilium, nempe lugdunense II. in quo primum pax solemnis inita est inter latinos graecosque sub b. Gregorio X. In huius enim concilii actis exhibentur litterae Michaëlis Palaeologi graecorum imperatoris ad b. Gregorium datae, quibus suo et ecclesiae graecae nomine fidei professionem emittit imperator. Porro in hac fidei professione, cum ad sacramenta ventum est, haec leguntur: « Tenet etiam et docet eadem sancta romana ecclesia (cui se conformare profitetur) septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma . . . aliud est sacramentum confirmationis . . . aliud est poenitentia, aliud eucharistia, aliud sacramentum ordinis, *aliud est matrimonium*, aliud extrema unctio (2). » Hae litterae le-

(2) *Sacr. concil. coll.* Venet. 1780. tom. XXIV. col. 71. celebratum est autem hoc concilium an. 1274.

ctae sunt in concilio et approbatae veluti veram continentes fidem, quam pariter tenebat profitebaturque utraque ecclesia (3). Ergo utriusque ecclesiae orientalis et occidentalis consensu tamquam fidei dogma sec. XIII. habebatur matrimonium esse vere et proprie unum ex septem sacramentis a Christo Salvatore nostro institutum.

Non minus luculentum suppetit documentum huius fidei saec. XII. Nam Lucius III. qui ecclesiam rexit an. 1181. in concilio Veronae celebrato « Universos, inquit, qui de sacramento corporis et sanguinis D. N. I. Christi, vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, *matrimonio*, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire, aut docere non metuunt, quam sacrosancta romana ecclesia praedicat et observat. . . . vinculo perpetui anathematis innodamus (4). »

Ex hac epocha ulterius assurgentes ad anteriora secula seriem reperimus in ecclesia latina ordinum ad benedicendas nuptias, et in ecclesia graeca euchologiorum ritum eumdem exhibentium.

Atque ut ab ecclesia latina seu occidentali initium sumamus, Martenius quindecim profert *ordines* antiquissimos mss. ad diversas spectantes ecclesias, quae perveniunt usque ad *Sacramentarium* gelasianum an. scilicet 496.

(3) Legitur enim ibid. « Subscripta fidei veritate (prout plane lecta est fideliter exposita) veram, sanctam, catholicam et orthodoxam fidem cognoscimus et acceptamus, et ore, ac corde confitemur, quod vere tenet ac fideliter docet et praedicat sancta romana ecclesia.»

(4) In decreto, quod incipit *Ad abolendum*, et refertur *extr. de haereticis*. De quo concilio cf. *Ampliss. collect. concil.* venetam 1778. tom. XXII. col. 490-494. Hoc decreto ferit Lucius III. inter ceteros etiam *pauperes lugdunenses*, seu valdenses, qui licet varia ratione erraverint circa sacramenta, attamen certum est ex eorum documentis matrimonium inter sacramenta retinuisse. Etenim praeter quam quod auctor poematis *La nobla Leyzon* commendat fidelitatem in coniugio, quod appellat *nobilem contractum* scribens v. 88. *Gardes ferm les matrimoni, a quel noble convent; Epistola fideli* docet matrimonium *esse quartum sacramentum Cf.* Herzog *Les Vaudais du moyen âge*. Ver. ex ling. germanica in *Annales catholiques de Genève*. Mars 1855 pag. 285 seq.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

seu sub finem seculi V. de quo peculiari ratione mox agemus. Interim animadvertimus in tribus eiusmodi ordinibus matrimonium conceptis verbis *sacramentum* nuncupari (5). Ad quod sacramentum propterea rite suscipiendum in iisdem aliisve ordinibus praescribitur *peccatorum confessio* (6). Ex his vero ritualibus, aut pontificalibus nonnulla ante octigentos, nongentos, aut etiam mille annos exarata sunt.

Omnium autem antiquissimum est Missale gelasianum, quod omnium primus vulgavit b. card. Thomasius, simulque certis argumentis ostendit *Sacramentorum librum*, uti inscribitur, s. Gelasio vero eius auctori adscribendum esse. Itaque in lib. III. *Sacramentorum* s. Gelasii occurrit *Actio Nuptialis*, id est *celebritas nuptiarum*, quae iuxta veterem morem fiebat inter missarum solemnia (7): in ea gratia exposcitur ut nubentes sanctificet, eosque idoneos reddat ad munia coniugalis status rite obeunda, quae gratia est sacramentalis; ac praeterea *leges datae* dicuntur *instituta futurae*, id est legis novae, quae connubii vincula ad perfectiorem statum adduxit (8): tum eis communio distribuenda praecipitur. Quae quidem omnia palam osten-

(5) Huiusmodi est ordo XIV. ex rituali leodiensi in quo legitur: « Ritus ac forma solemniter celebrandi *sacramentum matrimonii:*» alter qui est XII. ex veteri Rituali lemoviensi haec habet: « Incipit modus administrandi *matrimonii sacramentum.*» Similiter legitur in ordine XV. de quo mox iterum dicemus. Cf. *De antiquis eccles. ritib.* lib. I. par. II. cap. IX. art. V.

(6) Sic in ordine XIV. « Deinde pridie quam sponsus et sponsa *sacramentaliter* contrahant, diligenter se praeparabunt ad *confessionem sacramentalem.* In ordine vero allegato XV. ex Rituali ambrosiano dicitur: «Ipse parochus sermonem habebit de vi, sanctitate et ceremoniis *huius sacramenti*.... sponsus et sponsa ante consummationem matrimonii, *peccata confessi* etc.» Cf. ibid.

(7) Cf. *Ven. viri Iosephi Mariae Thomasii cler. regul. S. R. E. Cardinalis opera omnia* ed. Franc. Vezzosi Romae 1751. tom. VI. *Praef. libri tres sacramentorum R. E.* pag. II. seqq. Nec non Franc. Vezzosi *In novam editionem praefatio* pag. XII. seqq. Ubi is adversus Iac. Basnagium pro antiquitate ms. thomasiani disputat. Hos ipsos s. Gelasii sacramentorum libros postea ex ms. remensi et gallonensi an. 900. vulgarunt Hugo Menardus in append. ad sacramentarium s. Gregorii M. et Martenius l. c.

(8) Prout docte exponit Menardus in nota 1134.

dere ibidem agi de matrimonio gratia divina aucto, seu de novae legis sacramento, nemo nisi scepticus non videt.

Ex gelasiano porro suum confecit sacramentarium s. Gregorius M. uti testatur Ioannes diaconus eius biographus scribens: « Sed et gelasianum codicem de missarum solemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla adiiciens pro exponendis evangelicis lectionibus in unius libri volumine coarctavit (9). » Verum et Gelasius hoc opus suum confecit ex s. Leone Magno potissime atque ex eius praedecessoribus romanis episcopis (10). Ex quibus iure inferimus doctrinam et fidem de sacramento matrimonii presse accepto primis ipsis ecclesiae seculis iugiter viguisse in Occidente.

Eamdem pariter iugem constantemque doctrinam professam esse orientalem ecclesiam, documenta nobis indubia ostendunt ex remotissima aetate petita. Nam primo ex conciliis celebratis adversus Cyrillum Lucarim orthodoxae

(9) In s. Gregorii vita lib. II. cap. XVI.

(10) Cf. b. Thomasii praef. ed. cit. pag. VI. qui contulit phrases leonianas cum phrasibus quae occurrunt in codice gelasiano, reperitque nedum sententias, sed ipsamet verba Leonis hic recitari.

Verum non amplius opus est coniecturis, postquam cl. Io. Blanchinius quartum tomum adiiciens Rom. pontificum vitis ab Anastasio collectis et a patruo suo Francisco Blanchinio illustratis, opusculum edidit sub hoc titulo: *Codex sacramentorum vetus Romanae ecclesiae a sancto Leone papa confectus, primum prodiit ex mss. libro mille annos conscripto, qui extat in bibliotheca amplissima capituli veronensis.* Missale hoc leonianum rursum vulgavit cl. Muratorius in op. *Liturgia romana vetus.* Venet. 1748. vol. I. In hoc vero leoniano sacramentario missa habetur sub hoc titulo: *Incipit velatio nuptialis* sub n. XXII. apud Muratorium pag. 446. Si conferas *actionem nuptialem* s. Gelasii cum *velatione nuptiali* s. Leonis, deprehendes s. Gelasium a s. Leone illam derivasse, ac fere expressisse; floruit porro s. Leo M. an. 461. Sed et Leonem a praedecessoribus suis hoc sacramentarium derivasse non obscure colligimus ex s. Innocentii I., qui floruit ab an. 403 ad an. 417., epistola ad Decentium, in qua scribit: « Si instituta ecclesiastica, ut sunt a *beatis apostolis tradita* integra vellent servare domini sacerdotes, nulla diversitas etc. » et paulo post: « Quis enim nesciat aut non advertat, quod *a principe apostolorum Petro romanae ecclesiae traditum est*, ac nunc usque custoditur ab omnibus debere servari? Quae confirmant quoad substantiam huiusmodi sacramentaria, ac proinde quae ibi constituta sunt circa ritum nuptiarum, ut sacramenti, originem habere antiquissimam atque adeo apostolicam.

fidei proditorem, eiusque asseclam Ioannem Cariophyllum saec. XVII., cuiusmodi fuere synodus hierosolymitana sub Dositheo patriarcha, aliaeque coactae sub Cyrillo Berrhocensi ac Parthenio seniore; nec non ex confessione orthodoxa, ex tractatibus, expositionibusque eorumdem, Gregoriique Protosyncelli, patet omnes uno ore unoque consensu testari iuxta perpetuam ecclesiae orientalis fidem, matrimonium unum esse de septem sacramentis a Christo institutis (11). Deinde si consulamus Simeonem thessalonicensem praecipuum posterioris aevi graecorum theologum, qui floruit sec. XV. ineunte (12), quique adstruit christianum coniugium inter septem ecclesiae sacramenta (13); si antiquiorem praeterea inspiciamus fidei confessionem Michaëlis imperatoris paulo ante commemoratam in concilio lugdunensi II. sec. XIII. abunde liquet de plena et perfecta ea aetate circa hunc articulum ecclesiae orientalis cum occidentali consensione.

At ex his recentioribus monumentis ad antiquiora porro assurgentes pervenimus ad euchologia, eaque antiquissima, in quibus *officium coronationis*, seu celebrationis nuptiarum continetur. Iam vero horum euchologiorum originem plane antiquissimam esse exinde constat, quod nonnullorum mss. codices perveniant ad sec. ecclesiae octavum eoque amplius (14). Haec igitur quae in usu fuerunt in omnibus graecorum ecclesiis longe ante photianum schisma, nobis exhibent ritum quo administrabantur sa-

(11) De his fuse agit Renaudotius tom. V. *De la perpétuité de la foi* liv VI. ch. I. qui affert testimonia authentica *Confessionis orthodoxae*, Gregorii Protosyncelli, et *Enchiridii contra lutheranos et calvinistas* editi a patriarcha Dositheo una cum opusculo Joannis Cariophylli ac Hieremiae. Quae cum notissima sint, ne longiores simus, silentio praetermittimus.

(12) Obiit enim an. 1429. De quo cf. J. A. Fabricium *Biblioth. graeca* tom. XI. p. 300. ed. Hamburgi 1808.

(13) In *Tract. de sacram.* cap. 276. et rursum *De initiat.* cap. 33. «Septem quoque, scribit, sunt ecclesiae sacramenta, quae per spiritum operantur, videlicet baptismus, unguentum, communio, *nuptiae*, poenitentia, et sanctum oleum.»

(14) Cf. Goarium in *proemio* ad suum *Euchologium*.

cramenta singula ab aetate immemorabili, nempe ab aetate apostolica, ut patet ex eorum substantiali uniformitate, quae aliunde repeti nequit; quod iamdiu animadvertit vel ipse Grotius (15). In officiis porro coronationis tum a Goario tum a Martenio vulgatis, in quibus orationes et ritus celebrationis coniugii exhibentur, etsi mira reperiatur accidentalis discrepantia a ritibus et orationibus, quibus uti consuevit ecclesia latina, attamen ad significandum in hac celebratione conferri vere et proprie sacramentum mira apparet consensio. Siquidem gratia pariter a Deo Salvatore nostro exposcitur super nubentes, ut se invicem casta prosequantur dilectione; mentio fit tum *honorabilis connubii et thori immaculati* iuxta Apostolum (16), tum benedictionis a Christo in nuptiis Canae collatae, ac miraculi ab eo perpetrati, atque alia eiusmodi occurrunt, quae gratiam sanctificantem significant per hoc sacramentum collatam, aut conferendam.

Praeterea, quemadmodum in sacramentariis latinorum, sic in euchologiis graecorum communio praescribitur sponso et sponsae danda corporis et sanguinis Domini in ipsa missae actione, aut saltem post missam ex praesanctificatis (17), adeoque et praevia peccatorum confessio. Quemadmodum pariter in ecclesia latina a pietate maiorum celebrabatur dies trigesimus et anniversarius matrimonii sacrificii incruenti oblatione, ac eiusdem sacri participatione mysterii (18), sic in ecclesia graeca oratio invenitur *cum*

(15) In *Voto pro pace contra Rivetum* agens de conformitate liturgiarum pro reali Christi praesentia opp. *Theologic.* ed. Amstelod. 1679. tom. III. pag. 670.

(16) Hebr. XIII. 4.

(17) Cf. Goarium in *Euchologio* cit. ad *officium coronationis* not. 7. pag. 898.

(18) Legitur enim in Missali gelasiano « *Infra actionem ad trigesimum vel annualem nuptiarum:* Hanc igitur oblationem, Domine, famulorum tuorum *illi* et *illas*, quam tibi offerunt ob diem trigesimum coniunctionis suae, *vel* annualem, quo die eos iugali vinculo sociare dignatus es, placatus accipias deprecamur. » Apud Muratorium *Liturgia romana vetus* tom. I. col. 712. Cf. etiam Hugonem Menardum in notis ad Sacram. Gelasii in hunc loc.

solvuntur coronae octava die (19). Qui mos itidem servatur in ceterorum sacramentorum receptione, praesertim baptismi et ordinationis (20).

Exploratum itaque est penes utramque ecclesiam connubium uti verum et proprium novae legis sacramentum iugiter creditum fuisse. Idipsum constat in ecclesiis orientalibus sive orthodoxis sive heterodoxis, nempe nestorianis et monophysitis obtinuisse. De orthodoxis seu melchitis, nulla potest subesse dubitatio; cum enim communicaverint cum ecclesia romana, nempe catholica, necesse est ut eamdem fidem professae fuerint. Ceterum cum a graecis orientales ritus suos magna saltem ex parte hauserint ab immemorabili, hoc ipso et matrimonii celebrandi ritum et doctrinam ab ipsis sunt mutuati. Superest igitur ut id ipsum evincamus de sectis iam a quinto saeculo ab ecclesia seiunctis, cuiusmodi sunt nestoriani et monophysitae, qui ut contingere solet in varias sectas ab invicem se subdiviserunt.

Quod proinde spectat ad syros nestorianos, huius apud ipsos fidei, quod nempe matrimonium sit sacramentum, testem habemus locupletissimum Sulaka patriarcham in professione fidei, quam Romae adhuc monachus an. 1553 emisit, in qua sacramentorum numero matrimonium diserte adscribit inquiens: « Credimus quoque in sanctum baptisma et in sacrificium quod est corpus et sanguis Christi, et in sacerdotium sanctum et in matrimonium (21). » Item testem habemus Ebediesu, qui agens *de sacramentis ecclesiae*, de matrimonio eiusque mysteriis scribit: « con-

(19) Haec huius orationis formula est: «Domine Deus noster, qui anni coronae benedixisti; et has coronas connubii lege ad invicem iunctis imponi tradidisti, veluti continentiae mercedem eis reddens, quia puri ad nuptias a te sancitas commendarunt etc.» Cf. in hanc actionem notas Goarii l. c.

(20) Cf. Goarium l. c.

(21) Cf. Io. Simon. Assemanum *Bibliotheca orientalis*. Romae 1728. tom. III par II. *Dissert. de syris nestorianis* pag. CCCXVII seqq.

iugium quod secundum legem christianam contrahitur. . . *opus sanctum* scripturae appellant: sanctum nempe est coniugium per omnia, et immaculatus coniugum thorus: quum potissimum a b. Paulo idipsum esse sacramentum statuitur eorum, quae supra mundum eminent: *hoc enim,* inquit, *sacramentum magnum est: ego autem dico in Christo atque ipsius ecclesia* (22). » Eiusdem sacramenti ritus, non secus ac baptismi, eucharistiae, aliorumque sacramentorum extat in rituali chaldaeorum, atque ita inscribitur: *ordo desponsationis;* tum in eo continetur *ordo sponsalium; ordo benedictionis sponsi et sponsae, benedictio vestium, coronatio coniugum et benedictio thalami* (23). In quem ritum commentarios ediderunt Georgius Arbelensis, et Timotheus II. patriarcha, qui praeterea adnotat ad coniungendos sponsos in matrimonium requiri ut adsint *sacerdos, crux, calix vino et aqua mixtus, pulvereque quodam aspersus et annulus* (24). Sed ut redeamus ad Ebediesum Sobensem, cum inter nonnullorum nestorianorum errores circa sacramenta eos recensuisset, qui pro matrimonio inter septem sacramenta ponebant *signum crucis* subdit: « Qui vero *fermentum* pro sacramento non agnoscunt, matrimonium iuxta legem Christi initum pro septimo sacramento enumerant. . . . Si quis autem ex externis sciscitetur, quo pacto singula praedicta sacramenta sanctitatem et sacramenti rationem obtineant, respondemus; tria ad confectionem cuiuslibet sacramenti concurrere: primum quidem est ipse sacerdos verus. . . . Alterum vero est verbum et praeceptum Domini sacramentorum, quod de singulis sacramentis mandavit: tertium conscientiae minime haesitantes suscipientium, et forti fide roboratae; pro certo

(22) Dissert. cit. pag. CCCXVIII. Hic Ebediesu Aredi filius ab anno Christi 1074 ad 1090. sedem patriarchalem tenuit. Cf. Ibid. pag. CLXXIV.

(23) Cf. Ibidem.

(24) Ibid.

habentes ea, quae in sacramentis significantur, virtute caelesti fieri (25), » ut alios praeteream (26).

Eamdem esse iacobitarum et coptorum fidem, testis est Iosephus Abudaenus in opusculo de eorum institutis (27). Addit vero eruditissimus his praesertim in rebus Ioseph Simon Assemanus: « Ad sacramenta quod spectat, septenarium eorum numerum, qualis ab ecclesia catholica agnoscitur, apud iacobitas sacrosanctum esse liquet ex eorum ritualibus et pontificalibus libris, quorum exemplar Michaëlis (28) patriarchae auctoritate editum habemus in bibliotheca vaticana; longum autem hic foret recensere eius gentis scriptorum opera, quae sacramenta ecclesiae et divina officia doctis commentariis illustrarunt, ut Ioannes Darensis, Moses Barcepha, Dionysius Barsalibaeus, Iacobus Tagritensis, Gregorius Bar-hebraeus aliique (29). » Sane de matrimonio tamquam de vero sacramento a Christo Domino instituto disserit Bar-hebraeus sub titulo *De sponsalibus* (30), nec non Abu-Isaac Benassal in *Nomocanone* sub titulo *De sponsalibus et matrimonio* (31).

De coptis iacobitis speciali ratione disserens Sollerius haec habet: « Inter sacramenta verum et proprium habere locum (matrimonium), ut caetera omittam, ex eo aperte conficitur, quod sacerdos nubentibus assistens, et consue-

(25) Etenim Assemanus tom. III. *Biblioth. orient* part II. pag. CCXL. agens de syrochaldaeis nestorianis, qui commentaria ediderunt circa septem sacramenta, in quorum numero matrimonium includunt, inter alios hi ab eo nominatim recensentur: Narses, Hananus, Ios. Arzunita, Ios. Adiabenus, Ebediesus Mosulanus, Io. Phinphonsis, Abraham Bar-Liphe, Cyriacus Nisibis, Io. Bar-Abgan, Elias Bar-Chanus, Georgius Arbelae.

(26) Ibid. tomi III. part. I. pag. 356 seq.

(27) Quod Oxonii latine prodiit an. 1675.

(28) Hic Michaël cognomento *magnus* in serie patriarcharum iacobitarum centesimus claruit circa an. 1190. Adeoque sec. XII. hoc ritualium exemplar exaratum est.

(29) *Biblioth. orien.* tom. II. *Dissert de monophytis* n. V. *de sacramentis ecclesiae.*

(30) In *Libro Directionum*, seu *Epitome ecclesiasticorum canonum.*

(31) Part. II. cap. II.

tas preces recitans, identidem repetat gratiam contrahentibus ex ea susceptione conferri. Omnia ordinate procedunt : praemittuntur sponsalia , caventur impedimenta , mutuus consensus et acceptatio expresse declarantur, iisque rite peractis, celebratur missa, sub cuius finem sponsus uterque, praevie confessus, sacram eucharistiam recipit, et in pace dimittitur. Quid hic ad sacramenti rationem deesse velint critici, haud equidem assequor ; si quid aliunde peccet coptorum ignorantia, id neque huic, neque aliis sacramentis detrimentum afferre posse perspicuum est (32). » Alia plura videri possunt apud Renaudotium, quae orientalium omnium perpetuam consensionem in recensendo coniugio inter septem sacramenta a Christo instituta manifestissime ostendunt (33).

His aliquid adiicere lubet ex ecclesia armena ad constituendum pleniorem orientalium omnium communionum consensum circa veritatem sacramenti matrimonii. Constat porro armenos una cum ceteris septenarium quavis aetate sacramentorum numerum admisisse et credidisse omnia et singula a Christo instituta. Cuius affirmationis vadem damus infensissimum ecclesiae catholicae hostem atque monophysiticae haereseos promotorem acerrimum Vartanum, qui in *monitis ad armenos* haec scribit: « Paulus apostolus discipulum suum Dionysium de septem ecclesiae sacramentis erudivit (34) , » et iterum : « Septem, inquit, ecclesiae sacramenta iugiter exercemus. Christianismus enim in septem ecclesiae sacramentis nititur (35). » Enu-

(32) *Acta sanctor.* Bolland. mensis iunii tom. V. in appendice ad patriarchas alexandr. *De coptis iacobitis* sect. III. *De coptorum sacramentis et ieiuniis.* §. 224. pag. 147

(33) Op. cit. *De la perpétuité de la foi* tom. V. liv. VI. ch. IV.

(34) Cap. I.

(35) Cap. VI. Quum Vartanus hic armeniorum episcopus, prout armeni eiusque scripta testantur, duobus fere ante concilii florentini celebrationem seculis opera sua ediderit, patet qua affirmaverit inscitia Kemnitius in *Exam. conc. Tridentini* par. II. cap. *De numero sacrament.* pag. 35. « Septenarium numerum

merans autem eiusmodi sacramenta pergit idem auctor: «Primum sacramentum est baptismus; secundum missae sacrificium; tertium benedictio unguenti, quod latini chrisma vocant ; quartum est ordo ; quintum est *matrimonium;* sextum est oleum, quo unguntur infirmi etc. (36). » In rituali eorundem armenorum libro ritus describitur quo conficitur hoc sacramentum, qui non abludit ab eo quo ceterae ecclesiae orientales utuntur, atque gratiae et sanctificationis fit mentio, quae per eius susceptionem confertur.

Sic enim sacerdos, dum benedicit nuptiis, adprecatur: « Benedic, Domine, istorum coniugium benedictione perpetua, et concede, ut per *hanc gratiam* isti fidem, spem et charitatem custodiant: dona eis mentem sobriam, cogitationes pias . . . sanctum conserva istorum cubile, ut omni ex parte roborati, in tuo beneplacito perseverent. » Deinde coronas imponens eorum capitibus, prosequitur: « Benedic, Domine, et sanctifica horum servorum tuorum coniugium: tu enim eos ad benedictionem hanc tuam perduxisti, et posuisti in capitibus eorum coronam de lapide pretioso. . . . Non enim prohibuisti nuptias, sed sanctificasti eas, et sacerdotaliter benedixisti, atque veracissimo tuo verbo confirmasti, dicens: *quod Deus coniunxit, homo non separet* (37). » Quibus nihil luculentius desiderari potest ad significandam gratiam, et sanctificationem, quae per nuptias communicatur. Alia non pauca, quae hanc in rem proferri possent ad perpetuam adstruendam ecclesiarum tum orientalium tum occidentalium fidem ac praxim quoad huius sacramenti veritatem praetermitto, cum ea quae allata sunt ad sobrium quemquam hominem persuadendum sufficiant.

sacramentorum a florentina synodo armenis obtrusum fuisse, cum eum per mille et eo amplius annos ignorassent.» Cf. Clem. Galanum in *Conciliatore ecclesiae armenae cum romana.* Romae 1661. tom. II. quaest. 3. §. 1. pag. 439.

(36) Ibid. cap. VI.

(37) Apud Galanum op. et loc. cit. §. V. pag. 469 seq.

Quanta autem sit liturgiarum, ac sacramentariorum auctoritas ad ecclesiae fidem testandam ac patefaciendam nemo nisi hospes in theologicis disciplinis ignorat. Siquidem heic agitur non de testibus singularibus atque privatis, sed de collectivis et publicis; agitur de vocibus integrae communionis seu ecclesiae; agitur de testimonio concordi et solemni ecclesiarum, licet interdum inter se non solum ritibus, verum etiam fide et communione dissidentium a pluribus seculis; agitur de testimonio sectarum, quae a seculo rei christianae quinto, aut sexto separatae sunt ab ecclesia romana seu catholica, quarum euchologia vel paulo post separationem confecta sunt, seu potius antea, additis deinceps ac interiectis erroribus sectae uniuscuiusque propriis, quibus ipsae antiquissima illa euchologia corruperunt (38). Agitur de eo quod in usu quotidiano positum est, cuiusmodi sacramentorum administratio est ac susceptio, ac proinde de manu, ut ita dicam, in manum transmittebatur; agitur denique de re summi momenti, nimirum de sacramentis quorum doctrina singulari quadam cura fuit semper ab ecclesia servata. Est igitur sacramentariorum, euchologiorum, ritualium, liturgiarumque testimonium omni exceptione maius.

Cum vero horum librorum origo ipsis ecclesiarum incunabulis tribuenda sit, immo vero apostolis, qui ecclesias

(38) Constat enim plerasque liturgias orientales apud syros, coptos, sive monophysitas, sive nestorianos ante eorum defectionem in usu fuisse. Qua de causa tam monophysitae quam nestoriani cuiuscumque sectae sua repetunt euchologia, liturgias, ac ritualia ab ipsis apostolis; idem dic de armenis, ceterisque, cuius rei monumenta esse possunt vel ipsa nomina Iacobi, Marci etc. quibus eiusmodi libri sunt inscripti, saltem quatenus confecti sunt iuxta ordinem ac documenta, quae in absolvendis divinis officiis ac sacramentis administrandis apostoli aut viri apostolici tradiderunt.

Cf. Renaudotium *Liturgiarum orientalium collect.* Paris 1716. tom. I. in *Praefat. generali,* tum in *Dissert. de liturgiarum orientalium origine et auctoritate,* nec non in *Dissert. de coptitarum alexandr. liturgiis* tom. I. Item Assemanum *Biblioth. orient.* tom. II. parte secunda *Dissert. de syris-nestorianis* §. XXII. *Ritus et consuetudines peculiares nestorianorum* n. 5.

per orbem universum instituerunt, cumque mira consensione matrimonium inter sacramenta a Christo Domino instituta, illiusque administrandi ritus ab immemorabili descriptus inveniatur tum in Sacramentariis ecclesiarum occidentalium, tum in Euchologiis ecclesiae graecae, et ecclesiarum omnium orientalium, pronum est colligere, prout ab initio constituimus, constare evidentissime quovis tempore ecclesiam universam doctrinam hanc, immo fidem professam esse publice ac solemniter, matrimonium vere et proprie esse sacramentum, seu signum efficax gratiae.

Quod si talis fuit iugis ac perpetua ecclesiae fides, cum ecclesiae patres iuxta fidem quae in eadem ecclesia vigebat scripserint, aut fuerint locuti, hoc ipso illorum testimonia quae ambigua videri possunt, locutionesque obscurae, quaeque per se minus essent aptae ad rem conficiendam, ex cognita ecclesiae fide novam lucem novumque robur acquirunt. Patres enim perinde ac de aliis articulis, qui postea in dubium revocati sunt, ita etiam de huius sacramenti veritate veluti omnibus perspecta atque a cunctis admissa sunt locuti; neque umquam directe eam sibi adstruendam sumpserunt, quasi de re dubia ageretur. Quoties propterea disserunt de nuptiis celebrandis cum conscientia episcopi, de benedictione a Domino nuptiis impertita, de copioso gratiae munere illis adnexo, quoties, inquam, hasce aliasve similes formulas usurpant, toties testimonium perhibent veritati quam ecclesia usu ipso ac praxi quotidiana ante omnium oculos conspectumque profitebatur.

Quibus praemissis, nihil aliud superest, quam ut singularia quaedam patrum testimonia ac effata proferamus. Quamvis vero ea notissima sint, omniumque pene ore trita, atque a theologis catholicis iamdiu collecta, ne tamen quidpiam ad pleniorem probationem adversus huius temporis haereticos desideretur, qui adhuc pugnaciter de-

negant huius sacramenti veritatem, non piget ea denuo heic describere. Ne vero inordinate ea proferamus, in quasdam veluti classes eadem redigemus.

Ac primo quidem ea adducimus, in quibus mentio fit de *benedictione*. De hoc porro vetustissimo ritu iam locutus est Tertullianus inquiens: « Quod (matrimonium) ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et *obsignat benedictio* (39).» Atque praetermisso Soterii papae testimonio, quod procul dubio adscriptitium est (40), s. Syricius loquens de lectoris coniugio « Una tantum, inquit, et ea quam virginem *communi per sacerdotem benedictione* perceperit uxorem contentus (41).» Hilaricus Diaconus, seu auctor Commentarii in epist. b. Pauli, quod s. Ambrosio tribuebatur, scribit: « Primae nuptiae *sub benedictione Dei* celebrantur sublimiter (42).» Ad quem ritum aperte etiam alludit s. Gregorius nazianzenus dum Procopio amico suo ita scribit de nuptiis Olympiadis quibus interesse non potuit: « Nuptias celebramus, forsan dixeris, idque aureae tuaeque Olympiadis, ac grex episcoporum aderat: tu vero aberas, vir egregie, vel dedignatus, vel gravatus. Neutrum horum.... Nam alioquin quantum ad voluntatem attinet, et adsum ac simul festum celebro, *iuvenilesque dextras inter se iungo atque utrasque Dei manui* (43). Item s. Isidorus Hispal.

(39) Lib. II. *Ad uxor.* cap. 8. Ex quo loco apparet iam a Tertulliani aetate, nempe sub finem seculi II. intra missarum seu *oblationis* solemnia coniugia celebrata fuisse, quae est sacramenti signaculum, ut loquitur Rigaltius ad h. Loc. Cf. etiam adnotat. p. De la Cerda.

(40) Huius pontificis verba, quae haec sunt: « Ut sponsus et sponsa cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicantur » allegat Hugo Menardus in nota 1146. ad *Lib. Sacrament. s. Gregorii papae*, at haec epistola ad merces isidorianas pertinet. Cf. Coustant *Epist. rom. pont.* p. 83. Inserviunt tamen uti monumentum illius aetatis in qua eiusmodi epistola conficta est. Idem dic de epistola supposititia Horsmisdae quam pariter profert idem Menardus.

(41) Epist. ad Himerium episc. tarraconensem c. IX.

(42) Comment. in ep. I. ad Cor. c. VII. v. 40. in append. ad opp. s. Ambrosii. Hi commentarii omnium qui supersunt antiquissimi esse videntur; nam s. Io Chrysost. posterior est aeque ac Theodoretus.

(43) Epist. CXCIII. ed. Paris. 1840. opp. tom. II. alias ep. LVII

scribit : « Nam quod in ipsa coniunctione connubii *a sacerdote benedicatur*, hoc est a Deo prima in ipsa coniunctione hominis factum est (44).» Et haec quidem quod ad hanc primam classem attinet attulisse sufficiat (45).

Ad alteram classem eos patres refero qui *sanctificationem* coniugio tribuunt. Eiusmodi sunt s. Ambrosius, qui christianos dehortaturus a iungendis nuptiis cum infidelibus, hac ratione utitur : « Nam cum ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione *sanctificari* oporteat, quomodo potest coniugium dici, ubi non est fidei concordia (46),» et alibi, « Neque vero nos negamus *sanctificatum* a Christo esse coniugium, divina voce dicente : *erunt ambo in unam carnem et in uno spiritu* (47).» Item s. Cyrillus alex. « Christus, inquit, ipse cum discipulis suis invitatus venit (ad nuptias), non tam epulaturus, quam ut miraculum faceret, ac praeterea generationis humanae principium *sanctificaret*, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut qui naturam ipsam hominis renovaturus erat, non solum iis, qui iam in ortum vocati erant, benedictionem impertiretur, sed et iis quoque qui postea nascituri essent *gratiam* praestitueret, et eorum ortum *sanctum* efficeret (48).» S. Augustinus praeterea addit : « Bonum nuptiarum per omnes gentes, atque omnes homines in causa generandi est, et in fide castitatis quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in *sanctitate* sacramenti (49).»

Tertia classis ex iis coalescit patribus, qui gratiam per coniugium conferri aperte significant, aut supponunt.

(44) *De origin. eccles.* lib. II. cap. 19.

(45) Alia videri possunt apud Hug. Menardum loc. cit.

(46) Epist. XIX. ad Vigil. ed. Maur. col. 844.

(47) In epist. ad Siricium papam n. 5. apud Coustant. *Epist. rom. pont.* col. 670.

(48) *Comment. in Ioan.* lib. II. cap. 2. v. 1. opp. ed. Paris. 1638. tom. IV. pag. 155.

(49) *De bono coniugali* cap. XXIV. n. 32.

Tales sunt Tertullianus, qui loquens de coniugio in quo alter coniugum ex paganismo ad fidem christianam convertitur, ait: « Si ergo ratum est apud Deum matrimonium huiusmodi, cur non et prospere cedat, ut pressuris, et angustiis, et impedimentis, et inquinamentis non ita lacessatur, habens iam ex parte divinae gratiae patrocinium (50)? » Innocentius vero I. scribit: « Statuimus, fide catholica suffragante, illud ésse coniugium, quod erat primitus gratia divina fundatum (51). » Idipsum habet s. Ambrosius, qui « Cognoscimus, inquit, veluti praesulem custodemque coniugii esse Deum, qui non patiatur alterum thorum pollui; et si qui fecerit peccare eum in Deum, cuius legem violat, *gratiam solvat*: et ideo quia in Deum peccat, sacramenti caelestis amittit consortium (52); » loquitur autem s. Doctor, ut patet ex orationis serie, de christianis, ac proinde de gratia sacramentali, in quam peccat qui matrimonium foeditate aliqua deturpat.

Huc accedit quarta classis patrum, quae ex iis constituitur, qui coniugium pressa significatione *sacramentum* vocant, uti iterum Tertullianus, qui improbans bigamiam successivam scribit: « Ut igitur in Domino nubas secundum legem et Apostolum (si tamen vel hoc curas), qualis es id matrimonium postulans, quod eis a quibus postulas, non licet habere; ab episcopo monogamo, a presbyteris et diaconis *eiusdem sacramenti*, a viduis quarum sectam in te recusasti? (53). » Item s. Leo M., qui ostensurus aliud esse uxorem, aliud vero concubinam, scribit: « Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se *Christi et ecclesiae sacramentum*, dubium non est eam mulierem non pertinere

(50) Lib. II. *Ad uxor.* cap. VII. ed. Rigalt.
(51) Epist. XXXVI. *ad Probum.* Apud Coustant col. 910.
(52) Lib. I. *De Abraham* c. VII. n. 59
(53) *De monogamia* cap. XI. ed. cit.

ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium (54),» quae nempe non fuerit legitimo coniugio iuncta. Sic etiam passim eadem habet s. Augustinus, uti cum scribit: «Per hoc ergo Dominus invitatus venit ad nuptias, ut coniugalis castitas servaretur, et ostenderetur *sacramentum nuptiarum* (55).» Et iterum: «In nuptiis, inquit, bona nuptialia diligantur proles, fides, *sacramentum* (56);» et alibi, ut contraponat paganorum nuptiis nuptias christianas, scribit: «In christianarum nuptiis plus valet *sanctitas sacramenti*, quam foecunditas uteri (57).» Ac ceteris eiusmodi praetermissis, duo sunt testimonia in quibus eius mens de sacramenti huius veritate maxime patefit, ac sensus in quo ipse sacramenti vocem usurpat agens de coniugio christiano. Primum est, ubi matrimonii sacramentum confert cum sacramento baptismi scribens: «Quoniam sane non tantum foecunditas, cuius fructus in prole est; nec tantum pudicitia, cuius vinculum est fides; verum etiam *quoddam sacramentum nuptiarum* commendatur *fidelibus* coniugatis . . . Huius proculdubio *sacramenti* res est, ut mas et foemina connubio copulati, quamdiu vivunt, *inseparabiliter* perseverent. . . Ita manet inter viventes quiddam coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre: manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum foederis, sicut apostatae anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit (58).» Alterum est illud in quo coniugium comparat cum sacramento ordinationis. Etenim postquam dixisset, ut retulimus, «Bonum nuptiarum per omnes gentes

(54) Epist. CLXVII. *ad Rusticum narbonens. episc.* in resp. ad inquisit. IV. ed. Ballerin. tom. I. col. 1422.

(55) *Tract.* IX. in Io. n. 2.

(56) Lib. I. *De nupt. et concupisc.* c. XVI. n. 19.

(57) Lib. *De bono coniugali* c. XVIII. n. 21.

(58) Lib. I. *De nupt.* c. X. n. 11.

atque omnes homines in caussa generandi est, et in fide castitatis; quod autem ad *populum Dei* pertinet, etiam in sanctitate *sacramenti*, per quam nefas est etiam repudio discedentem alteri nubere » pergit: « Quemadmodum si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum ordinationis; et si aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad iudicium, permanente (59). »

Hinc matrimonium, utpote sacramentum ad ecclesiae regimen semper pertinuit. Quare s. Ignatius M. iam ab ipso ecclesiae primo labente seculo scripsit: « Decet ut sponsi et sponsae *de sententia episcopi* coniugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum, et non secundum cupiditatem (60). » Presbyteros in ecclesia graeca iugiter christianis nuptiis adfuisse constat tum ex Clemente alex., qui reprehendens mulieres fictis capillitiis ornatas, accedentesque ad nuptialem benedictionem a presbytero accipiendam inquiebat: « Cui manus imponet presbyter? Cui autem benedicet? Non mulieri quae est ornata, sed alienis capillis, et per ipsos alii capiti (61); » Tum ex Synesio, qui profitetur se de Theophili alexandrini patriarchae manu uxorem accepisse scribens: « Mihi et Deus ipse, et lex et sacra Theophili manus uxorem dedit (62); » Tum denique ex consuetudine, quae hactenus penes graecos, non secus ac apud orientales perdurat, numquam extra eccle-

(59) Lib. *De bono coniug.* c. XXIV. n. 32.

(60) Epist. ad Polycarp. c. V. ed. Cotel.

(61) Lib. III. Paedagog. ed. Ven. 1757. pag. 291.

(62) Epist. 105. ed. Petav. Paris. 1633. in quem loc. Petavius adnotat: « Nisi christianus esset (Synesius), cum uxorem duceret, non opinor de episcopi manu eam accepisset. Non enim gentilium nuptias conciliaret sacerdos. Quippe christianorum proprium illud est matrimonium, *quod ecclesia conciliat, et confirmat oblatio et obsignatum angeli renunciant*, ait Tertullianus, lib. 2. ad uxor. c. 9. »

siam celebrandi coniugia, ac sine sacerdotali ministerio, adeo ut illicita connubia habeantur, quae secus inita fuerint, subiicianturque poenitentiae, qui sine ecclesiastico apparatu matrimonium inierint (63). Idem dic de praxi et usu in ecclesiis occidentalibus, ut ex allatis documentis satis patet.

Quum igitur exploratum sit, patres iuxta eam fidem et doctrinam, quae in ecclesia obtinebat, esse locutos; exinde colligitur eorumdem effata, dum agentes de christiano connubio eidem adscribunt sanctificationem, sanctitatem, benedictionem, gratiam, dum sacramentum vocant, dum testantur Christum coniugium sanctificasse, nuptiis benedixisse, gratiam nuptiis conciliasse, totidem esse testimonia, quibus efficitur matrimonio veram competere sacramenti rationem. Nisi enim de sacramento presse sumpto illorum verba essent accipienda, in perpetua collisione, aut oppositione forent cum ecclesiae fide atque doctrina. Siquidem ecclesia quotidiana praxi declarasset se verum administrare sacramentum, se intendere verum sacramentum conferre, seu sacramentum a fidelibus confici in celebratione nuptiarum, patres vero locuti fuissent aut de sacramento late sumpto, aut de vacua ceremonia ac ritu. Quod non solum nefas est dicere ac sentire, sed plane absurdum, ac patribus summopere iniuriosum.

Merito propterea diximus ex doctrina ac fide universalis ecclesiae lucem affundi patrum dictis, si quae minus decretoria ex se viderentur, eorumque sensum germanum determinari.

Quae cum ita se habeant, iam patet quid de Erasmo sentiendum sit, dum in adnot. ad I. Cor. VII. leviter nimis, ac temere etiam affirmavit nuspiam sive apud graecos, sive apud latinos quidpiam offendi, unde liqueat

(63) Cf. Goarium in notis ad Euchologion *in officio coronationis.*

coniugium inter septem sacramenta connumerari (64); aut de Cassandro, dum in consultatione pro pace auctoritate fretus potissimum Durandi insinuat matrimonium non esse sacramentum proprie dictum (65); aut de recentioribus quibusdam, qui matrimonium inter sacramenta recensent ab ecclesia instituta. Quidam enim nescio cuius falsae pacis cum protestantibus conciliandae cupidi, temere excogitarunt ecclesiae institutioni referendum esse sacramentum matrimonii; atque affirmare non dubitarunt matrimonia, seu, ut quidam loquuntur, sollemnia connubialis contractus ab ecclesia in numerum primariarum ceremoniarum, in partem cultus Dei publici, in sacramentorum systema assumpta fuisse, atque adeo hinc conspicuum reddi, Christum ecclesiae potestatem dedisse, ut sacramentis ab ipso Christo institutis, alia deinceps pari auctoritate parique cum effectu superadderet, prout temporum adiuncta postularent (66). Nimirum eo progressi sunt quidam, ut assererent Christum immediate duo tantum sacramenta instituisse, baptisma scilicet et eucharistiam; cetera, ac nominatim matrimonium, mediate solum per ecclesiam. Ita quidem imprudentes liberioresque theologi putabant se facile posse ad ec-

(64) Opp. ed. Lugd. Batav. 1705. tomo VI. col. 690, ubi postquam inficiatus est s. Augustinum vocem *Sacramenti* usurpasse eo in sensu quo nos ea nunc utimur, et postquam silentium auctoris operum quae sub Dionysii nomine circumferuntur, notaverit, subdit: « Quum tot voluminibus tractatum sit de matrimonio vel a graecis vel a latinis, nullus est locus unde liqueat illos coniugium inter septem sacramenta commemorare. » Deinde agendi rationem urget Iovinianì, qui inter cetera argumenta, quibus supra virginitatem attollere nititur matrimonium, huius dignitatis mentionem nullam iniecit. Quam falsa sit prima eius assertio ex allatis a nobis documentis abunde constat. Quoad Iovinianum attinet, sufficit animadvertere, eius disputationem versatam fuisse inter *statum* et *statum*, non autem circa *ritum*, quo aut virginitas aut coniugium consecratur.

(65) Inter opp. Grotii Theologic. ed. Amstaelod. 1679. tom. III. p. 579. Tacet vero Cassander hac ipsa de causa, ut nuper vidimus, Durandum in posteriore editione fassum esse matrimonium esse sacramentum, quin *de haeresi male audiebat*, ut testatus Domin. a Soto in 4. dist. 26. q. 2. art. 3.

(66) Ita Oberthur in sua *Idea biblica ecclesiae Dei*. Solisbasci 1828. ed. sec. vol. III. pag. 216 seq.

clesiam catholicam protestantes perducere, qui duo tantum sacramenta a Christo instituta esse contendunt. At dum hac distinctione inter immediatam mediatamque sacramentorum institutionem rati sunt protestantes ad unitatem pertrahere, non adverterunt se potius ad protestantes accedere. Ad hanc autem sententiam de ecclesiastica sacramenti matrimonii institutione devenerunt, quia putarunt non solum pro divina huius sacramenti institutione nullum biblicum testimonium afferri posse, sed neque quidpiam certi ex traditione posse adduci (67), atque Augustinum primum fuisse, qui de matrimonio disserens *sacramenti* vocem adhibuerit, eamque probabilius, non sensu proprio, at mystico et typico quo ille maxime delectabatur (68). At vero quam imperite haec dicta sint aperte liquet ex documentis hactenus allatis, quibus veritatem sacramenti matrimonii tum publicis ac solemnibus ecclesiarum, tum singularibus patrum testimoniis comprobavimus.

ARTICULUS II.

Veritas Sacramenti Matrimonii ostenditur ex communi Scholasticorum doctrina.

Operae pretium est expendere, num antiquiores scholastici a patrum doctrina desciverint, an vero traditionis filum insecuti perrexerint germanam de veritate sacramenti matrimonii doctrinam a patribus acceptam conservare. Non enim desunt, qui eos incusent quod ab ea defecerint sive ob antiquorum documentorum inopiam et ignorationem, sive ob neglectam antiquitatem novamque in doctrina sa-

(67) Ita cit. Oberthur op. et loc. cit. necnon Holdener, praesertim vero Beda Mayer.

(68) Ita Lassaulx, Wiesse, et Kustner, quorum postremus scribere non dubitavit: «Dogmatis de sacramento matrimonii auctor extitit Augustinus, qui locum Pauli ephes. V. *falso* interpretando, in eo typum matrimonii Christi cum ecclesia coniunctionem significantis, quaerebat.» *De matrim.* Lipsiae 1810. Ita etiam alii apud Roskowány in op. *De matrim. in eccles. cathol.* Augustae Vindelic. tom. I. pag. 29. nota (87).

cra tractanda invectam methodum, seu potius philosophandi rationem. Idque tam circa sacramentum ipsum coniugii, tum potissimum circa naturam gratiae quae per hoc sacramentum confertur.

Nos iniurios in scholasticos eiusmodi accusatores esse omnino arbitramur circa utrumque articulum; idque evincimus tum a priori, tum a posteriori. A priori quidem, quia 1. transitus a patribus ad scholasticos ita pedetentim factus est, ut se mutuo exceperint. Iam enim caeperat nova methodus introduci, quando patrum series nondum expleta erat (69); adeoque fieri non potuit ut isti adeo deflexerint a sanctorum patrum institutis ut novam intulerint doctrinam, neque solum diversam, sed contrariam illi quam patres tradiderunt. Hoc certe absonum est cogitare. Alioquin in reprachensionem certissime incurrissent; Quia 2. constat eos in patrum lectione non adeo hospites fuisse, ut ignoraverint quae ab ipsis fuerant litteris consignata: hinc eos videmus passim ad ss. praesertim Augustinum, Hieronymum, Gregorium M., Ioannem Chrysostomum aliosque provocare (70); Quia 3. nonnulli ex iis ipsis, qui huius temeratae doctrinae circa coniugium insimulantur, erant episcopi, aut praelati, qui certe ignorare non poterant id quod erat in usu quotidiano positum, cuiusmodi profecto erat celebratio coniugiorum (71); 4. Quia plura ex illis, quae adhuc supersunt ritualia, in quibus ordo traditur celebrandorum coniugiorum, et in quibus aperte

(69) Dixi: caeperat *nova methodus* introduci, nam si presse ac rigoroso sensu loqui velimus, scholastici non caeperunt nisi post Petrum Lombardum, qui ob editos suos quatuor libros sententiarum, *Magister sententiarum* fuit nuncupatus, qui vero hos libros commentariis illustrarunt vocati sunt *scholastici* respectu *magistri*. Si ampliori significatione scholasticorum nomen usurpemus, certum est quod longe ante Magistrum caeperint, cum, uti videbimus, in notis chronologicis vel ipsum s. Bernardum praecesserint.

(70) Satis est manibus terere istorum volumina, ut quisque saepe suis ipsis oculis deprehendat passim hos patres ab ipsis allegari pro substrata materia.

(71) Tales inter ceteros fuerunt Petrus Lombardus, s. Bonaventura, Durandus, Petrus Paludanus etc.

gratiae nubentibus a Deo datae vel dandae fit mentio una cum voce ipsa *sacramenti,* vel aetate ipsa exarata sunt, qua coepit scholasticorum epocha, vel paulo anteriori. Haec autem cum asservarentur in omnibus ecclesiis ac monasteriis, et iugiter adhiberentur, nulla ratione poterant a scholasticorum notitia subduci. Itaque exploratum est optime compertam scholasticis fuisse veram ecclesiae de sacramento matrimonii doctrinam, quin necesse ipsis fuerit ad illam sibi comparandam, graecam, aut syriacam, aut chaldaicam linguam addiscere, et euchologia graecorum, aut orientalium consulere. Adeoque ad eos veluti ad manum devenit doctrina patrum et ecclesiae sensus et praxis.

Nunc id ipsum ostendendum est a *posteriori,* allatis in medium apertis ipsorum testimoniis, quod quidem hoc ordine praestabimus: 1. doctrinam scholasticorum circa septenarium sacramentorum numerum eorumque naturam exponemus: 2. in particulari ac nominatim de christiano coniugio id ipsum efficiemus; non quidem omnium ac singulorum, quod nimis prolixum ac inutile foret, sed praecipuorum, eorum praesertim qui hac in re quoquomodo a vero ablusisse perhibentur, a scholasticae primordiis ad Petrum Paludanum usque testimonia aliquot insignia describemus. Hac ratione veluti ob oculos in tabula scholasticorum doctrinam et traditionis continuationem a patribus deductam habebimus usque ad dimidium fere sec. XIV. (72).

Itaque primus qui sese offert est Hugo a s. Victore, qui praecessit aetate s. Bernardum (73). Hic porro in op. inscripto *Eruditionis Theologicae* in tract. IV. cap. I. agit *De sacramentis in generali,* constituitque ea septem esse, de quibus singillatim pertractat tum in hoc tum in insequentibus tractatibus, nec non in altero op. quod est *De*

(72) Hic enim pius insignisque theologus O. P. vita functus est an. 1342.

(73) Nam Hugo Victorinus extremum diem clausit die 11. febr. an. 1140; s. vero Bernardus die 20. august. 1153.

sacramentis fidei. Iam vero sic ipse definit sacramentum: « Sacramentum est visibilis forma invisibilis gratiae in eo collocatae, quam scilicet confert ipsum sacramentum. Sacramentum, pergit, non solum significat, sed etiam *confert* illud, cuius signum est vel significatio (74).» Igitur ex Hugone de natura sacramentorum novae legis est producere gratiam, et quidem propriam uniuscuiusque sacramenti; cum vero inter septem sacramenta recenseat matrimonium, ergo et matrimonium suam confert gratiam, ad quam significandam et conferendam institutum est. Verum non indigemus ratiocinatione ad hoc evincendum, cum expresse id doceat Hugo scribens: « Hoc est sacramentum magnum in Christo et ecclesia (75).» Agens de matrimoniis infidelium docet. « Ea quidem esse vera, sed non *sanctificare, nec gratiam conferre* » uti coniugia christianorum; deinde subdit: « Dicitur veritas sacramentorum virtus, et *gratia spiritualis*, quae in ipsis et per ipsa sacramenta perficitur, quam veritatem accipere non possunt, qui sacramenta Dei indigne percipiunt (76):» ut alia quamplura praeteream (77). Nulla idcirco de mente Hugonis Victorini tum circa veritatem sacramenti matrimonii, tum circa gratiam, quae per ipsum confertur, dubitatio esse potest.

Huic proxime aetate accessit Petrus Pictaviensis (vita enim functus est an. 1175), qui et ipse definivit sacramentum novae legis: « Invisibilis gratiae in eo collatae visibilis forma.» Hoc ponit discrimen inter sacramenta veteris legis et novae legis, quod illa *figurarent*, ista *efficiant* gratiam

(74) Tract. IV. *De sacr. in gen.* c. I. opp. ed. Ven. 1688. tom. III. fol. 204. *tergo*.

(75) *De sacram. fidei*, par. XI. cap. II. fol. 209.

(76) Ibid. cap. XIII. fol. 208.

(77) Sic part. VIII. *De sacr.* hanc etiam differentiam assignat Hugo inter utriusque, veteris ac novae legis sacramenta. « Quod quia nostra sacramenta sunt signa *et causae* (gratiae); illa sunt signa tantum. Quia illa promittunt quod non continent, ista autem dant quod continent.»

quam significant; quod septem sint sacramenta, et coniugium sexto loco ponit (78).

Magister sententiarum seu Petrus Lombardus lib. IV. Sentent. dist. 2. septem et ipse numerat novae legis sacramenta, ac septimo loco coniugium ponit. Praemissa vero in dist. 1. generali definitione sacramenti, quod nimirum sit *sacrae rei signum;* pressius vero: « Sacramentum, inquit, proprie dicitur quod ita signum est gratiae Dei, et invisibilis gratiae forma, ut ipsius rei similitudinem gerat et *causa exsistat.* Non ergo significandi tantum gratia sacramenta instituta sunt, sed *etiam sanctificandi:*» transitum deinde facit ad assignandum discrimen quod interponitur inter sacramenta legis veteris, et sacramenta novae legis, illudque in eo constituit, quod illa *significarent* tantum, haec autem praeterea gratiam *conferant,* usurpans ad hoc verba s. Augustini dicentis « quia illa *promittebant tantum* et *significabant,* haec autem *dant* salutem (super Psal. LXXIII.).» Cumque definitio toti definito competere debeat, liquet ipsum docere tum coniugium ut verum proprieque sacramentum novae legis a Christo institutum fuisse, uti sacramenta reliqua, tum gratiam conferre: alioquin non discriminaretur a coniugio in veteri lege, secus ac ipse docuerit (79). Quid igitur sibi vult, quum sive in dist. 2. sive in dist. 26. affirmat matrimonium post peccatum datum esse *in remedium?* Nil aliud profecto quam gratiam huius sacramenti propriam spectare praecipue ad cohibendam concupiscentiam; dixi *praecipue,* in praesenti nempe infirmitatis conditione: nam idem Magister affirmat institutum praeterea fuisse coniugium ad mutuam coniugum fovendam charitatem, et sic referre per consensum unionem

(78) *Sententiar.* par. V. c. 2. 3 et 14.

(79) Hoc vidit s. Thomas, qui in dist. 26. qu. 2. art. 3. « Definitio, inquit, et definitum debent converti. Sed in definitione sacramenti ponitur *causalitas gratiae,* ut in 1. dist. patuit. Ergo cum matrimonium sit sacramentum, erit causa gratiae.»

spiritualem animorum uti figuram coniunctionis Christi cum ecclesia per charitatem. In hunc finem adducit s. Augustini testimonium : « In nuptiis plus valet *sanctitas sacramenti*, quam faecunditas ventris (80).» Ergo nimia levitate nonnulli affirmarunt Magistrum sententiarum aut non admisisse veritatem huius sacramenti, aut saltem denegasse per ipsum conferri gratiam (81).

Neque ab his recessit Albertus M. qui in Comment. in 4. lib. Sentent. in dist. 1. art. 2. septem sacramenta novae legis cum recensuisset, excurrit per singula usque ad matrimonium inclusive. Quod vero attinet ad gratiam, ipse uti fundamentum posuit, « quod omnis gratia sacramentalis ordinatur contra peccatum, » postea subiicit: « Quod omne sacramentum ecclesiae confert gratiam aliquam contra peccatum, *sicut est matrimonium.*» Et in art. 4. suam facit definitionem sacramenti quam dedit Hugo: « Sacramentum est corporale et materiale elementum oculis extrinsecus suppositum ex *similitudine* repraesentans, ex *institutione* significans, et ex *sanctificatione* invisibilem gratiam conferens, » quam deinde explanat et accommodat sacramento matrimonii (82).

Alberto succedit eius discipulus scholasticorum princeps, s. Thomas. Ut eumdem in eo ordinem consectemur, et ipse in 4. Sent. dist. 2. q. 1. art. 2. constituit septem esse sacramenta, excurritque per singula. Disserens autem de efficacia sacramentorum novae legis in dist. 1. q. 1. art. 4. statuit sacramenta haec *gratiam causare*, ac per hoc differre a sacramentis veteris legis, quae hanc tantummodo figurabant. Applicat deinceps matrimonio hanc doctrinam

(80) *Petri Lombardi episc. parisiens. Sententiarum lib. IIII.* Lovan. 1557. dist. 26.

(81) Inter ceteros Melchior Canus *De Locis* lib. VIII. cap. V. scribit « Magistrum et Durandum non refero qui in universum opinantur, matrimonium gratiam non conferre. » De Durando postea.

(82) Opp. ed. Lugdun. 1651. tom. XVI. floruit autem Albertus M. an. 1265.

in 2. dist. q. 1. art. 1. in solutione quaestiunculae secundae, in qua opinionem illorum refellit, qui sentiebant in matrimonio non conferri gratiam, eo quod ordinatum tantum sit in remedium contra concupiscentiam, ostenditque hoc remedium haberi non posse sine gratia quam confert matrimonium, atque concludit: « et ideo Magister dicit, quod matrimonium est tantum in remedium; *sed hoc est per gratiam quae in eo confertur* (83). » Eadem repetiit s. Doctor ad dist. 26. q. 2. art. 3. quam ita concludit: « Definitio et definitum debent converti, sed in definitione sacramenti ponitur causalitas gratiae. Ergo cum matrimonium sit sacramentum, erit causa gratiae. Praeterea Augustinus dicit (super Gen. ad lit. lib. IX. cap. VII.) quod matrimonium est aegrotis in remedium. Sed non est in remedium, nisi in quantum aliquam efficaciam habet. Ergo habet aliquid efficaciae ad reprimendam concupiscentiam. » Nec obstat in corpore articuli doctrinam hanc *probabilius* adstrui; nam istud probabilius refertur ad duas sententias quas refellerat; ut patet tum ex contextu, tum ex eius positione absoluta, quam attulimus (84).

Neque est pariter ambigendum de s. Bonaventurae circa hos articulos doctrina. Etenim et ipse in Comment. in 4. lib. Sentent. dist. 2. q. 3. statuit thesim seu conclusionem « septem sunt sacramenta et non plura. » Quam conclusionem probat per sacramenta singula, et cum pervenit ad matrimonium scribit: *In auxilium temperantiae matrimonium* (85). Et dist. 26. « Cum ergo, inquit, coniugium sacramentum sit, et sacrum signum sit et sacrae rei, scilicet coniunctionis Christi et ecclesiae; » et rursum

(83) Opp. ed. De Rubeis 1780. tom. XII.

(84) Ibid. tom. XIII.

(85) Nam ipse statuit sacramenta instituta esse ad sanandum vulnera, et ad adiuvandum ad virtutes, prout de sacramentis singulis ostendit. Quod vero attinet ad matrimonium docet matrimonium, esse contra concupiscentiam, prout sanat, et in auxilium temperantiae prout adiuvat virtutem.

q. 2. « An in sacramento matrimonii conferatur gratia?» Resp.: « Nunc, tempore legis novae non tantum praestat illud remedium (ut in lege veteri), sed etiam aliquod gratiae donum digne suscipientibus, utpote his, qui ex charitatis consensu uniuntur ad procurandam prolem ob divinum cultum « quod deinde fuse evolvit (86). Demum in resp. ad 4. solvit difficultatem canonistarum, qui negabant gratiam per matrimonium conferri, ne simoniacus esset contractus de dote dum celebratur coniugium.

Post s. Bonaventuram commemorandus est Ioannes Duns Scotus, qui in Comm. in 4. Sentent. dist. 2. q. 1. septem concludit fuisse *a Christo vel Deo instituta sacramenta pro tempore istius legis;* deinde ostendit de sacramentis singulis ex saeris litteris, inclusive de matrimonio; demum id ipsum de omnibus universim evincit hac ratione: « Quod autem haec omnia a solo Deo fuerint instituta patet per illud, quod tactum est in generali de institutione sacramenti. Nulli enim competit signum instituere practicum nisi vel respectu alicuius actus sui proprii, vel respectu alicuius, qui subest sibi quantum ad illum actum. Sacramentum autem est signum practicum respectu effectus Dei proprie, et Deus non potest in actu sibi proprio alicui alii subesse: ergo etc.» Quod deinde pluribus prosequitur,

(86) « Ex hac gratia, inquit, fit remedium contra triplicem inordinationem concupiscentiae, et nascitur triplex bonum matrimonii. Concupiscentia enim inclinat ad multas: quia luxuriosus non est una contentus: et in matrimonio datur gratia homini, ut soli uxori velit coniungi: et ita pronitas ad multas excluditur per copulam singularem. Concupiscentia etiam inclinat ad delectationem non ad utilitatem: quia luxuriosus non quaerit nisi satisfactionem appetitus, seu appetitus sensitivi. Datur ergo gratia in matrimonio, ut non cognoscat uxorem nisi propter prolem, et ita excluditur delectatio appetitiva per copulam utilem. Item: Concupiscentia fastidium generat post impletionem. Unde luxuriosus, postquam cognovit unam, illam respuit, et vadit ad aliam. In matrimonio vero datur gratia, ut semper velit esse cum una: et ita excluditur variarum concupiscentia per copulam inseparabilem. Ex copula singulari oritur bonum fidei, ut ad aliam non accedat. Ex copula utili bonum prolis. Ex copula inseparabili bonum sacramenti.» En igitur quid sibi voluerint antiqui scholastici cum dicerent matrimonium institutum *in remedium*, vel *in remedium concupiscentiae*.

ostendendo habere sacramenta efficaciam a Deo tamquam causa principali, a Christo tamquam a causa meritoria (87). Nominatim autem quod attinet ad matrimonium, dist. 26. quaest. unica n. 13. proposito dubio, ut fieri solet a scholasticis, utrum matrimonium sit sacramentum, atque exposita parte negante, ita resp.: «Sed quia communiter tenet ecclesia sacramentum matrimonii esse septimum inter ecclesiastica sacramenta, et de sacramentis ecclesiae non est aliter sentiendum, quam sentit ecclesia romana, *(Extra de haereticis. Ad abolendam),* ita dici potest quod contractui matrimoniali *adnexit Deus* sacramentum proprie dictum saltem pro lege evangelica, *alioquin non esset sacramentum novae legis,* et tunc oportet dicere, quod institutum fuerit a Christo, sicut universaliter dictum est supra (dist. 1. et 2. q. 1.) de sacramentis ecclesiae (88).» Igitur Scotus non secus ac ceteri omnes professus est tum matrimonium esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, ipsum gratiam producere aeque ac sacramenta reliqua, atque per hoc differre a sacramentis veteris legis (89).

Coaevus Scoto, imo aliquanto tempore anterior fuit Richardus de Mediavilla O. M. utpote qui floruit an. 1290. Iam vero Richardus de matrimonio scribit: «Ante novam legem fuit institutum, et tunc gratiam gratum facientem non conferebat, et in nova lege non est evacuatum, sed

(87) Opp. ed. Lugdun. 1559. tom. VIII.

(88) Ibid. tom. IX. Ant. Hiquaeus in suis illustrationibus in Scotum, adiecit: «Statuit *conclusionem fidei*, nempe matrimonium esse verum sacramentum novae legis, quam probat *ex cap. Ad abolendam. De haereticis.*

Hoc autem caput de haereticis datum est a Lucio III. an. 1181. ac reperitur in lib. Decret. V. tit. VIII. *De haereticis* cap. 9. atque ita se habet: «Ad abolendam... Universos qui de sacramento corporis et sanguinis D. N. I. C. vel de baptismate, seu de peccatorum confessione, matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis aliter sentire, aut dicere non metunt, quam sacrosancta rom. ecclesia praedicat et observat . . . vinculo perpetui anathematis innodamus.»

(89) Floruit autem Scotus sub finem saec. XIII. et initio saec. XIV. Obiit enim immatura aetate Coloniae an. 1308.

approbatum et confirmatum, et factum *gratiae causativum* (90).»

Durandus a monte Porciano episcopus meldensis in Comment. in 4. lib. Sentent. a reliquis descivit, ita tamen, ut quin traditionem infirmet, eam potius confirmet magis pugnando secum, et cum ceteris. Etenim ipse in dist. 1. q. 4. agnoscit discrimen inter sacramenta veteris legis et sacramenta novae legis, quod illa *saltem per se non continerent gratiam*, haec vero *dent*. Ibid. in resp. ad 4. concedit per *omnia* novae legis sacramenta *plenius* gratiam conferri quam per sacramenta veteris legis. In dist. vero 2. q. 2. constituit septem esse novae legis sacramenta, et quemadmodum ad alias virtutes alia sacramenta ordinata sunt, ita matrimonium ordinatur ad *actum temperantiae*: praemiserat enim: «ad actus virtutum, quae sunt septem, tres theologales, et quatuor cardinales *expediunt* nos.» His in universum constitutis circa numerum et efficaciam sacramentorum novae legis, ad dist. 26. in qua sermo est de matrimonio in specie art. 3. expresse affirmat: « Tenendum est absolute quod matrimonium est sacramentum, cum hoc determinet ecclesia *(Extra de haereticis. Ad Abolendam)*, ubi memorat matrimonium inter alia sacramenta, et docere oppositum *est haereticum.*» Hactenus bene. Ast paulo infra autumat matrimonium *citra haeresim* dici posse sacramentum *aequivoce* ratione signi rei sacrae, respectu ceterorum sacramentorum, non autem *univoce*, quatenus, sicut cetera sacramenta, gratiam non producit *ex opere operato*; sed solum ex opere operantis (91).»

Ast in hoc non cohaeret sibi, tollit enim differentiam quam ipse assignaverat in dist. 1. et 2 inter sacramenta

(90) *Super quatuor libros sententiarum Petri Lombardi.* Brixiae 1591. tom. IV. in dist. 26. art. 4. q. 2.

(91) *In Petri Lombardi sententias theologicas commentariorum* libri IIII. Venet. 1571. fol. 367. *tergo.*

veteris et novae legis ; neque cohaeret cum aliis, quia fatetur communiter ceteros theologos contrarium tenere. Et reipsa non innititur ad fulciendam sententiam suam nisi auctoritati trium canonistarum (92) et glossae, ob levem illam rationem, quod, si per matrimonium produceretur gratia, iam non posset absque simoniae labe pacisci de dote. His adiecit postea Magistrum sententiarum, quamvis immerito, ut paulo ante vidimus. Atque hinc factum est ut omnes sive coaevi, sive subsequentes scholastici in eum hac de causa insurrexerint.

Iure itaque meritoque affirmavimus hunc auctorem sua agendi ratione non modo non infirmare, sed confirmare potius ecclesiasticam hac in re traditionem. Confirmat in doctrina generali de sacramentis, in discrimine quod vel ipse assignavit ex communi doctrina de diversa efficacia sacramentorum veteris ac novae legis, in eo quod nullum pro sua sententia afferre potuerit theologum, in eo quod fatetur de contraria in scholis vigente doctrina, in impugnatione denique quam sustinere debuit a reliquis theologis omnibus (93).

Reliquum est ut, quemadmodum proposuimus, examini critico subiiciamus Petrum Paludanum, qui vulgo inter eos connumerari consuevit qui inficiati sunt per coniugium christianum gratiam conferri sacramentalem. Ast immerito et contra omnem veritatem hac de re accusatum insignem hunc theologum fuisse non modo manifestum est ex iis, quae scripsit

(92) Tales sunt Gauffridus, Ostiensis, et quidam Bernardus in *Apparatu*.

(93) Quocirca Dominic. Soto in op. *In IV. librum sententiar. commentarii*. Metymnae a Campi 1581. tom. II. pag. 80. Durandum vellicat scribens: « Et idem Durandus negans (matrimonium) conferre gratiam, simul in prima editione, ut refert Capreolus, negavit esse simpliciter sacramentum novae legis : sed in posteriori editione, quia de hac haeresi male audiebat, ut periculum sibi caveret, concessit quidem esse, sed tamen negando conferre gratiam; si id simpliciter negasset asserendoque subinde non esse cum aliis novae legis *univocum* parum sibi cavisset. Et ideo solum dixit *non esse haereticum*. Fallit tamen, hoc ceu probabile sustinendo.»

in suis Commentariis in IV. Sentent. dist. 1. et 2. ubi cum reliquis scholasticis septem novae legis sacramenta a Christo instituta fuisse docet, differentiamque inter sacramenta veteris ac novae legis in eo constituit, quod illa *gratiam promitterent*, ista vero *contineant et conferant;* sed potissimum ex iis, quae habet in dist. 26. quae est de matrimonio. Siquidem quaest. 4. insequentes conclusiones constituit: 1. «De ratione sacramenti non sunt nisi duo, scilicet, quod sit signum, et quod sit *causa gratiae:* utrumque autem non aequivoce, non metaphorice, sed proprie convenit matrimonio . . . ergo est vere et proprie sacramentum, sicut alia, licet non aeque perfectum (94). Iuristae autem et qui negant matrimonium conferre gratiam non possunt adstruere matrimonium esse sacramentum novae legis. » In conclusione 2. duabus probat rationibus matrimonium esse vere et proprie sacramentum novae legis; 1. sic, «Omne remedium, inquit, praestitutum contra peccatum est sacramentum: sed matrimonium est in remedium praestitutum contra peccatum, dicente Apostolo I. ad Cor. 7. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat;* ergo est sacramentum. 2. sic. Si matrimonium non esset sacramentum, causa matrimonii esset pure corporalis et pertineret ad iudicem secularem et non ecclesiasticum. Sed illud est contra canones; ideo etc. »

Deinde reiicit nonnullorum explanationem sensus vocis *remedii* ad quod institutum dicebant matrimonium, scribens: « Quia illud, quod confert remedium contra peccatum *gratiam adiutricem conferendo ex opere operato,* est sacramentum; cum haec sit definitio eius: hoc competit matrimonio: quia non ex natura actus confert gratiam, licet alias praebeat remedium; scilicet ex divina institutione

(94) Istud *non aeque perfectum* non refertur ad sacramentum in se, sed ad dignitatem, comparate ad alia sacramenta, quae finem nobiliorem habent in gratia quam producunt.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

habet conferre gratiam adiutricem ad hoc quod *sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione et honore.* »

Demum in concl. 3. confutat contrariae sententiae rationes desumptas ex eo quod matrimonium aliquid habeat sibi proprium non commune ceteris sacramentis, ostendens quod, si eiusmodi rationes quidpiam valerent ad evincendum matrimonium non esse sacramentum vere et proprie, neque conferre gratiam ex opere operato, posset ipse evincere nullum prorsus esse sacramentum, cum nullum sit, quod aliquid sibi proprium non habeat in quo cum ceteris non conveniat, prout fuse evolvit.

Ad difficultatem autem speciatim petitam ex eo quod interdum coniugium celebretur absque ministro ecclesiae, nimirum sine sacerdote, resp. « Dicendum est quod illud sacramentum, cuius tota efficacia est ex materia et forma, *non autem ex potestate ministri*, illud potest conferri ab alio, quam a ministris ecclesiae et in necessitate et extra necessitatem, licet non debeat nisi ex necessitate: sicut est de effectu eucharistiae, quia tota virtus causandi gratiam est in eo quod suscipitur . . . sibi valet susceptum a laico quem credit suum curatum . . . ita est de baptismo, cuius tota virtus est in materia et forma, non in ministro: unde etiam extra necessitatem potest, sed non debet ministrari nisi a presbytero. Matrimonium autem est huiusmodi, quia eius virtus non est in ministro ecclesiae: et ideo non propter hoc quod non est necessarium, cum sit necessarium communitati, sicut baptismus personae singulari, sed quia virtus eius non est in ministro ecclesiae, potest essentia eius haberi sine ministro: licet forte non debet nisi in facie ecclesiae et per sacerdotem celebrari, si possit haberi (95). » Atque haec attulisse ex Paludano sufficiat ad ostendendum quam falsum sit quod ei affin-

(95) *Petri a Palude* O. P. *Quartus sententiarum liber.* Paris. 1514. fol. 142. seq.

gitur, quasi ipse perperam senserit sive de veritate huius sacramenti, sive de vera gratiae collatione per matrimonium.

Ita explevimus quod nobis proposuimus: ostendimus nimirum pervulgatam opinionem de scholasticis quod aut in dubium revocaverint sacramenti matrimonii veritatem, aut inficiati fuerint, vel saltem haeserint circa vim eiusdem in gratia producenda, omni destitui fundamento (96). Quod cum fuerimus assecuti, novum ex scholasticorum consensu argumentum prodit de continuata a sanctis ecclesiae patribus usque ad concilium florentinum ac tridentinum iugi in ecclesia circa hoc sacramentum traditione.

Quod vero attinet ad Durandum et iuristas, quos ille imprudenter contra concordem scholae sensum secutus est, ostendimus eum, quin nobis officiat seu universali et constanti traditioni, eidem potius satis luculentum suffragium tulisse tum quod sibi minime cohaerere visus est, tum quod aperte fassus sit a communi scholae doctrina discessisse, tum denique quod statim a ceteris omnibus sive coaevis

(96) Porro ut Melchior Canus suam adstruat sententiam de sacerdote sacramenti matrimonii ministro, quam deinde paulo post expendemus, his caepit verbis viam sibi parare lib. VIII. cap. V. «Ostendam primum, opinionem communem illam esse (de matrimonio sacramento sine ecclesiae ministro), non scholae dogma fixumque iudicium. . . . Lege magistrum, div. Thomam, Scotum, Bonaventuram, Riccardum, Paludanum, Durandum, ceterosque scholae theologos, et nisi statim eorum pendentes ac vacillantes animos deprehenderis, tum vero me aut stultum, autem temerarium iudicato. Nam et cum quaerunt, an matrimonium *conferat gratiam*, id quod eo loco maxime finiendum erat, non definiunt tamen, sed in his referunt, quae in hominum opinione sunt posita.» Verum pace docti viri tantum abest nos deprehendere insignes illos doctores animo pendentes ac vacillantes hac de re, num scilicet per matrimonium conferatur gratia, ut eos videamus id vere finire, definireque ceu fixum scholae dogma, fixumque iudicium, non solum, sed ut veram ecclesiae doctrinam sive ante sive post Durandum, adeo ut eum tamquam de haeresi suspectum habuerint, eo ipso quod circa gratiae collationem per sacramentum matrimonii haesitantem viderint contra unanimem scholae sensum, ecclesiaeque doctrinam. Singillatim illorum testimonia adduximus. Hinc sine integrae scholae iniuria illis affingi nequit eiusmodi animi suspensio et haesitatio. Num vero dissenserint scholastici inter se circa sacramenti matrimonii ministrum, cap. insequenti videbimus.

*

theologis sive posterioribus fuerit impugnatus. Idem dic de antiquis iuristis, quorum etsi minima sit in theologicis rebus auctoritas, attamen vel inviti nobis favent, dum omnes concedunt matrimonium esse novae legis sacramentum, praesertim post Lucii III. summi pontificis decretalem *in cap. Ad abolendam* datum an. 1181 : licet impingant deinde in scopulum sibi fatalem, quod si concederent per matrimonium gratiam conferri ex opere operato, non posse vitari Simonis labem, dum in eo contrahentes paciscuntur de dote. Verum in hoc eos sibi turpiter contradixisse merito illis exprobrabant, ut vidimus, scholastici, qui ostendunt actum esse de sacramento novae legis, ubi negetur per ipsum gratiam ex opere operato conferri (97). Verumtamen in hunc ipsum scopulum impegit vel ipse Durandus certe non contemnendus theologus, et si qui alii fuerunt obscuri nominis scholastici, quorum scripta ad nos non pervenerunt, quorum opinionem commemorant perstringuntque quotquot aetate illa de re theologica bene meriti sunt, et quorum commentaria adhuc possidemus.

ARTICULUS. III.

Veritas Sacramenti Matrimonii ostenditur ex Ecclesiastica interpretatione textus Paulini Ephes. V. 32.

Quemadmodum ex publicis et solemnibus ecclesiae documentis de matrimonii sacramento singularia patrum testimonia lucem ac vim acquirunt, ita ex utroque capite lux affunditur in verba Pauli Ephes. V. 32. *sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in ecclesia* (98).

(97) Hi sunt nihilominus iuristae illi, quos effert Canus hac ipsa de causa supra scholasticos, eorumque, ut sibi eos faventes efficiat, sensum intorquet contra apertam ipsorum mentem. Verum de hoc, postea.

(98) Quae verba in graeco textu ita efferuntur: Τὸ μυστήριον τοῦτο μένα ἐστὶν ἐγὼ δὲ λέγω εἰς χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν; seu *in Christum et in ecclesiam*.

Nam quamvis haec verba per se satis non evincant christianorum coniugium vere et proprie esse sacramentum, quum ad primitivum protoparentum matrimonium, atque ad successiva etiam matrimonia ante Christum referantur, tamen si ecclesiasticae intrepretationis ratio habeatur, inde effici potest huiusmodi verba proprio quodam sensu ad sacramentum matrimonii christiani maxime pertinere; adeoque quod per se satis innuunt ac insinuant, accedente catholica interpretatione etiam certo demonstrant. Vidimus enim tum in ritualibus tum in euchologiis, tum etiam a rom. pontificibus, atque a patribus ea verba proferri, aut ad ea alludi, ita ut ex sensu totius antiquitatis constet ea de vero sacramento gratiam conferente in christianorum coniugiis esse intelligenda.

Quamobrem non immerito Bellarminus ex Ephes. V. 32. patrum traditioni innixus conficit matrimonium christianorum vere et proprie novae legis esse sacramentum. Si enim, ut ipse ratiocinatur, ad constituendum sacramentum tria ostendenda sunt, institutio scilicet divina, signum seu symbolum rei sacrae, et gratiae sanctificantis promissio, cum tria haec concurrant in christianorum coniugium, profecto nihil est quod desiderari possit ad huius sacramenti virtutem. Porro de divina matrimonii institutione nulla est quaestio, cum protestantes id ultro fateantur, imo contendant; et praeterea evidenter constet ex Genes. II. 18. Math. XIX. 6. I. Cor. VII. 38. I. Timoth. IV. 3. et V. 14. Hebr. XIII. 4.

Iam vero quod christianorum coniugium signum et symbolum sit rei sacrae evincit ex hoc textu Ephes. V. 32. ubi Apostolus matrimonium non solum *sacramentum* expresse vocat, sed addit *magnum* esse *in Christo et in ecclesia; sacramentum* autem hoc loco non coniunctionem Christi cum ecclesia, prout Lutherus, Calvinus, Erasmus aliique contendunt, sed ipsum viri ac mulieris coniugium

ab Apostolo appellari ostendit tum ex veterum interpretatione, Ambrosiastro, Hieronymo, Gregorio nazianzeno, Chrysostomo, et Augustino; tum ex ipso contextu paulino, atque ex Apostoli scopo. Nam cum dicat Apostolus: *sacramentum hoc magnum est;* pronomen *hoc,* utpote demonstrativum, necessario referri debet ad id quod proxime praecessit; proxime vero illud praecessit: *Relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una;* igitur ex Apostolo *sacramentum hoc,* nimirum quod relinquat homo patrem et matrem, et adhaereat uxori suae, et sint duo in carne una, magnum est, quia Christi et ecclesiae coniugium repraesentat. Scopus insuper apostoli id exigit, qui is est, ut inducat coniuges ad mutuam benevolentiam, ad quam eos provocat hoc mysterio, quod matrimonium in se refert coniunctionis Christi et ecclesiae. Hoc ipsum confirmatur ex gr. textu in quo habetur εἰς χριστὸν καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν *in Christum et in ecclesiam;* seu referri mysterium coniugii tamquam in terminum in Christum et ecclesiam, veluti signum, seu symbolum ad significandam unionem Christi cum ecclesia, quam repraesentat: adeoque mysterium seu sacramentum est in coniugio, non autem in Christo et ecclesia secus ac contenderint illi novatores (99).

Quod vero signum hoc sacrum conferat gratiam quam significat, ostenditur ex eo quod loquatur Apostolus de dilectione spirituali seu supernaturali, qua christiani coniuges mutuo se prosequi debent, ut referant dilectionem

(99) Hoc demum agnoverunt vel ipsi protestantes; siquidem Koppe in *Novo Test.* gracce *perpetua annotatione illust.* Gottingae 1823. vol. VI. in hunc loc. scribit: « Sed retulerim ad superiora omnia μυστήριον μέγα ἐστι, et verterim *ratione Christi.* »

Nec abnuit Rosenmüller, qui pariter explanans haec Apostoli verba, scribit: «Mysterium vocat Paulus eam rem de qua antea sermo fuerat, nempe mutuum coniugum amorem, et mutuam benevolentiam: μυστήριον autem h. l. est *res* sub qua simul aliquid latet, quae connotat aliud aliquid, nempe amorem Christi erga caetum suum.»

illam, qua Christus ecclesiam prosequitur, et sancte gubernat, et ipsa ecclesia Christo adhaeret per fidem, spem et charitatem, eique per obedientiam subiicitur. Dixerat enim v. 25. « Ecclesia subiecta est Christo . . . et Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, » prout I. Tim. II. 15. scripsit: « Salvabitur (mulier) per filiorum generationem (idest *in filiorum generatione*), si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate (100). » Eiusmodi autem spiritualis seu supernaturalis dilectio et charitas haberi nequit nisi per gratiam. Cum igitur ex Apostolo christianorum coniugium debeat in ratione signi praeseferre Christi cum ecclesia unionem per gratiam, et hanc gratiam ad hoc munus explendum conferat necesse est.

Dixi *christianorum coniugium;* quia licet Apostolus alludat etiam ad coniugium protoparentum, et posterorum omnium, quia et illa coniugia suo modo repraesentabant futuram Christi cum ecclesia coniunctionem, attamen cum nondum tunc fuerit effecta, ea erant tantum typica quaedam repraesentatio: at posteaquam effecta est tum physica Verbi unio cum humana natura, tum moralis per gratiam cum ecclesia, coniugia christianorum eamdem unionem *signo practico* repraesentant. Praesertim cum ea referat Apostolus ad inducendos *fideles* ad mutuam charitatem et dilectionem ad Christi et ecclesiae prototypum significandum; et hac ratione dixit: sacramentum hoc magnum *est*, non autem *fuit*. Quo sensu s. Augustinus passim affirmat

(100) Heic scite observant interpretes catholici cum Bellarmino, ab Apostolo quatuor bona enumerari matrimonii christiani contra quatuor mala, quae sine gratia Dei in matrimonio evitari non possunt. Primum est malum, non servare coniugii fidem. Secundum, odium et rixae, quae subinde inter coniuges oriuntur. Tertium, immunditia quaedam et turpitudo ex rebellione membrorum. Quartum, intemperantia. His Paulus opponit fidem, dilectionem, sanctificationem, et sobrietatem, in quibus permanendum esse dicit, tamquam videlicet *in ipsa matrimonii celebratione* acceptis.

in libro *De bono coniugali*, matrimonium non esse sacramentum nisi in Christo et in ecclesia (101).

Ex qua postrema animadversione etiam intelligimus s. Augustinum *sacramenti* vocem, cum agit de coniugio christianorum, non latiori significatione, ut contendit Vasquezius (102), sed presse usurpasse ad verum proprium-que sacramentum exprimendum. Etenim praeter ineluctabile argumentum de locutione patrum iuxta analogiam fidei in ecclesia vigentis, id patefaciunt verba ipsa s. Doctoris quibus contradistinguit matrimonium christianorum et coniugia ethnicorum dicens: « In civitate Dei nostri, in monte sancto eius, hoc est, in ecclesia, ubi nuptiarum non solum vinculum, verum etiam *sacramentum* ita commendatur (103). » Quod quidem vinculum indissolubile alibi vocat *rem sacramenti* (104), seu effectum sacramenti.

(101) Eius testimonia paulo post referemus.

(102) In Tract. *De sacram. matrim.* disp. 2. cap. 5. §. 32. Cuius verba haec sunt: « Postquam singula loca Augustini perlegi, et attente consideravi anno Domini 1588. manifeste deprehendi ipsum non loqui de sacramento proprie... sed de sacramento latiori significatione, prout est signum unionis Christi cum ecclesia. » Ergo iuxta ipsum s. Augustinus numquam locutus esset de matrimonio in sensu ecclesiae, iuxta analogiam fidei, iuxta praxim et usum quotidianum, iuxta mentem ceterorum patrum. Quod quam absonum sit, quisque ex se intelligit. Verum neque secum ipse vir doctus cohaeret. Nam iuxta ipsum in vet. lege matrimonium latiori significatione, imo etiam apud infideles fuisset sacramentum, attamen s. Augustinus agnoscit apertum discrimen inter coniugium veterum, et coniugium christianorum ratione *sacramenti*, quam in sola ecclesia agnovit.

(103) Lib. *De fide et operibus* cap. VII. n. 10.

(104) *De nupt. et concup.* lib. II. cap. X. Ut enim animadvertit praeclare Salmeronius, qui egregie totum hoc argumentum pertractat et evolvit in Diss. XIII. in hunc Apostoli loc. Ephes. V. matrimonium, quatenus est contractus humanus, non est sacramentum unum ex septem; nec habet gratiae promissionem sicut nec alii contractus civiles. Deinde quatenus vinculum adhuc proprie sacramentum non est; nam eiusmodi vinculum inter infideles invenitur, ut Paulus docet Cor. VII. de foemina, quae consentit habitare cum viro infideli. Ad haec, vinculum est effectus ipsius caeremoniae et contractus, quia post illa vinculum subsequitur, ideo est effectus sacramenti, seu res sacramenti, sicut et gratia; non autem sacramentum ipsum. Tertio vero, quatenus est caeremonia et signum sensibile, sacramentum est novae legis, et cum aliis sex connumeratur, et gratiam Dei confert contrahentibus. Hactenus ille; tom. XV. ed. Colon. Agripp. 1604. p. 261. Ex his

uti sumptionem spiritualem corporis et sanguinis Christi, seu mysticam unionem cum Christo vocavit *rem* sacramenti baptismi (105); ut alia plura eiusdem s. Augustini testimonia praeteream, quae superius attulimus, quaeque eius mentem aperte declarant.

Ex his praeterea disiectae sunt difficultates, quibus Caietanus, Estius, aliique post eos permoti sunt ad negandam efficaciam huius paulini commatis Ephes. V. 32. ad probandam veritatem sacramenti matrimonii; potissima ratio quae ab iis affertur ex eo desumitur quod Apostoli sententia: *Sacramentum hoc magnum est* veritatem habuerit ab initio, quum dictum est: *Propter hoc relinquet homo etc.* Ast vero ex eo tempore nondum caepit matrimonium esse signum efficax gratiae, sed tale demum est a Christo novae legis auctore institutum. Altera vero ratio est, quod veteres nuptiarum sacramentum non ex isto loco probent, sed magis eam statuere soleant ex facto Christi, qui nuptiis in Cana Galilaeae benedixit, utique benedictione spirituali. Quod etsi Scriptura non expresserit, in concilio tamen ephesino, tamquam traditione acceptum, et apud multos patres legitur (106).

Verum prima ratio iam ex dictis praeoccupata est, ostendendo diversa ratione Apostoli verba ad connubia veterum, et ad connubia christianorum referri.

Altera vero ratio est falsa; licet enim plures veteres

etiam intelligimus qua ratione interdum s. Augustinus improprie *Sacramenti* vocem usurpet agendo de matrimonio, praesertim in lib. I. *De nupt. et conc.* c. XXI. scribens: « Quod in Christo et in ecclesia est magnum sacramentum, hoc est in singulis quibuscumque viris atque uxoribus minimum, sed tamen coniunctionis *inseparabile sacramentum.*» Ubi comparat vinculum, seu rem sacramenti in singulis coniugatis cum vinculo quo arctissime Christus coniunctus est cum humanitate et cum ecclesia.

(105) Lib. III. *De peccator merit. et remiss.* c. IV.

(106) Ita Estius in Comment. in hunc loc. Ad Caietanum quod spectat, notum est ipsum *Comment. in nov. test. Erasmizare*, ut coaevi eius loquebantur, et quemadmodum negat verba Ephes. V. pertinere ad sacramentum matrimonii, ita etiam negat verba Iacobi V. 14. pertinere ad sacramentum extremae unctionis.

patres repetant nuptiarum sacramentum ex benedictione Christi nuptiis in Cana Galilaeae celebratis, quod non abnuimus, quin etiam ultro fatemur; tamen non minus certum est atque exploratum veteres pariter eamdem veritatem ex paulino commate adstruere. Nam praeter ritualia et euchologia utriusque occidentalis et orientalis ecclesiae, quae, ut vidimus, aut alludunt ad haec Apostoli verba, aut ea expresse referunt, certum est plerosque veterum hunc ipsum textum urgere. Nam praeter s. Augustinum, qui aperte ait: *sacramentum nuptiarum* commendari fidelibus coniugatis ab *Apostolo ad Ephesios* (107), alii praesto sunt magno numero.

Sane Clemens alex. « Quod si *lex sancta* est, inquit, sanctum est matrimonium. Mysterium ergo hoc ad Christum et ecclesiam ducit Apostolus (108). »

Ambrosianus: «Mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in ecclesia. Mysterii sacramentum grande in *unitate viri ac mulieris* esse significat. Nec hoc prodit, sed aliam causam, quae non discordet a memorato mysterio, flagitat, quum scit ad profectum humani generis pertinere, hoc est ecclesiae et Salvatoris, ut sicut relictis parentibus homo uxori suae adhaeret, ita et, relicto omni errore, ecclesia adhaereat et subiiciatur capiti suo, quod est Christus (109). »

S. Io. Chrysostomus, recitatis Apostoli verbis *sacramentum hoc magnum est etc.*, scribit: « Quid est hoc? Magnum sacramentum, ipse dicit, quia magnum quid et admirabile significavit beatus Moses, imo vero Deus. Interim autem dicit: *in Christo dico*, quoniam et ipse dimisso Patre descendit et venit ad sponsam, et factus est in

(107) *De nup.* lib. I. c. X. Profert enim ibi ex loco de quo disserimus ea verba: *Viri diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit ecclesiam.*

(108) Lib. III. *Strom.* ed. Oxon. 1715. opp. tom. I. pag. 549.

(109) Inter opp. s. Ambros. in append. in ep. ad Ephes. ad h. l.

spiritum unum . . . et pulchre dixit : *Magnum est mysterium,* perinde ac si diceret : Ast allegoria non evertit dilectionem (110). »

S. Hieronymus : « Qui uxorem diligit se ipsum diligit : sic et nos nostras amemus uxores. Id ipsum antea per allegoriam in Christo interpretatur et in ecclesia, ut Adam Christum, et Eva praefiguraret ecclesiam ; » et paulo post s. Gregorium nazianzenum refert sibi enarrantem Apostoli verba, quasi dixisset : « Scio quia locus iste ineffabilibus plenus sit sacramentis, et divinum cor quaerat interpretis : ego autem pro pusillitate sensus mei, in Christo interim illud et in ecclesia intelligendum puto (111). » Nempe locum Apostoli exponit de coniugio protoparentum praefigurante unionem Christi factam cum ecclesia.

Theodoretus, praemissis Geneseos verbis relatis ab Apostolo *propter hoc etc.* subdit : « Reverere primam legem, quae post mulieris creationem lata est, et in hominum natura coaluit. Qui enim matrimonium contrahit, parentibus relictis, uxori coniungitur, et tanta fit coniunctio, ut duo una caro existimentur . . . Divinus porro Apostolus recitata lege matrimonii, ostendit eam in spiritualibus quoque nuptiis elucere, et vociferatur : *sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et ecclesia.* Ipse enim, superno Patre relicto, coniunctus est ecclesiae . . . Non omnino, inquit, in Christum et ecclesiam nuptialem legem transtulit (112). »

Neque aliter s. Athanasius Apostoli verba exponit ; scribens enim de virginitate : « Audi, inquit, ancilla Christi, et quicumque salutem quaerunt, et auscultant verba oris mei, et accipiant aures tuae a Deo inspiratos sermones.

(110) Hom. XX. in cap. V. epist. ad Ephes. ex vers. Montfaucon.

(111) Lib. III. *Comment.* in epist. ad Ephes. c. V. ed. Vallars.

(112) *Theodoreti interpretatio,* in epist. ad Ephes. V. 31. 32. opp. ed. Paris. 1602. tom. III.

Hoc enim mysterium, inquit divus Paulus, *magnum est*, eo quod omnis, qui agglutinatur uxori, ambo unum corpus sunt (113). »

Et ante hos omnes Origenes: « Scriptum est, inquit, in lege: *Propter hoc relinquet etc.* Haec quod allegorica mysteria contineant, Paulus cum in epistola sua hoc ipsum posuisset exemplum, pronunciat dicens: *Mysterium hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in ecclesia.* Quod autem oporteat hoc etiam secundum litteram custodiri, ipse Dominus et Salvator docet, dicens: *Scriptum est propter hoc etc.* et ostendit utique observanda esse haec etiam secundum litteram, cum adiicit: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* (114).

Origeni autem praecessit s. Irenaeus qui scripsit: «Nam quum de vitae huius coniugio scriberet (Paulus), hunc in modum est locutus: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in ecclesia* (115): » exprobans gnosticis, quod paulino textu abuterentur, eum transferentes *ad ea coniugia quae in Pleromate sunt*, ut ipse loquitur, cum Apostolus locutus sit de coniugio christiano.»

His veluti sigillum adiicimus auctoritatem rom. pontificum, ex quibus s. Leo M. in ep. ad Rusticum eamdem exhibet verborum Apostoli interpretationem scribens: «Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se *Christi et ecclesiae sacramentum*, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur *nuptiale non fuisse mysterium* (116).»

Et haec quidem attulisse sufficiat (117). Interim ex is

(113) Lib. *De virginit.* n. 2. opp. ed. Maur. tom. II. pag. III.
(114) *Hom. X. in num.* opp. ed. De la Rue tom. II. pag. 305.
(115) Adv. haeres. lib. I. cap. VIII. n. 4. ex Billii versione.
(116) Ep. cit.
(117) Nonnulla alia cf. apud Salmeron. Diss. cit. necnon apud Bolaeum in *Traité des empêchemens du mariage* chap. II.

patet haud paucos veteres Apostoli verba exposuisse de coniugio, quatenus aut ante Christi adventum typum gerebat futurae coniunctionis Christi cum ecclesia, aut post eius adventum, eamdem coniunctionem ac mysterium incarnationis in se repraesentat, cuius signum ac symbolum est, et quidem efficax gratiae ad munia implenda, quae ibidem Apostolus coniugibus christianis commendat. Neque his patribus alii adversantur, qui benedictionem seu vim gratiae conferendae coniugiis christianorum repetunt ex benedictione a Christo adiecta in nuptiis Canae (118).

Nulla igitur ratione omitti debet argumentum biblicum quod licet per se, ut monuimus, minus efficax ad probandum videri possit, quo sensu tridentinum affirmavit Apostolum in adducto textu *innuisse* Christum gratiam conferre, quae amorem naturalem perficeret, coniugesque sanctificaret; si nihilominus spectetur sensus traditionalis vel a primis ecclesiae seculis tum in sacramentariis ac ritualibus libris, tum a rom. pontificibus ac ss. patribus passim, atque ab interpretibus catholicis receptus, atque ex communi scholasticorum consensione, qui huic inniti textui paulino consueverunt ad statuendam veritatem sacramenti matrimonii, vim omnimodam ad probandum paulinus textus obtinet. Saltem veteres omnes, qui *sacramenti* vocem hoc in textu ab Apostolo adhibitam censuerunt in sensu sacramenti presse sumpti de signo sacro et efficaci gratiae, totidem sunt locupletissimi testes veritatis huius

(118) Quod Calmet *Comment.* in h. loc. animadvertit scribens: « Coniugium Adae et Evae typus erat coniugii inter Iesum Christum et ecclesiam; hoc vero inter Iesum Christum et ecclesiam forma est, atque exemplar illius, quod inter Christifideles habetur. Hoc Salvator ad sacramenti dignitatem evexit, eique gratiam suam tribuit, vel cum adfuit nuptiis Canae, vel cum docuit aut per se, aut apostolos suos fidelium coniugium imaginem esse unionis eiusdem cum ecclesia.»

Cf. etiam Tirinum hic, nec non *Biblia maxima* p. Io. De la Haye tom. XVIII. in h. loc. sive *Controvers. fidei. Controv. XXVII. De matrimonio.*

sacramenti, quae iugiter in ecclesia christiana seu catholica viguit et obtinuit (119).

Quid nimirum, si haeretici non acquiescant huic biblicae probationi, si alia etiam multo validiora reiiciunt biblica testimonia, quae aperte adeo nobis veritatem exhibent ceterorum sacramentorum, quae tamen ipsis respuere placuit propria ipsorum exegesi, quin rationem habeant ullam unanimis consensus totius antiquitatis? Nimirum ipsi prius ex privato sensu interpretantur, seu potius detorquent Scripturas, in quibus nil vident nisi quod ipsis arridet; cum vero ipsis seculorum omnium interpretatio obiicitur patrum, conciliorum, rom. pontificum, et ecclesiae universae sensus et praxis, eam utpote *hominum* interpretationem superbe respuunt atque contemnunt. Quid porro agas cum eiusmodi haereticis, qui nihil nisi sua magnifaciunt utpote soli videntes, dum caeteri eorum existimatione et iudicio totidem caeci sunt? Ipsi ut plurimum pene exclusive vocum ethimologias consectantur atque grammaticam philologiam, uti ex eorum libris patefit; interim logicam, seu verius traditionalem exegesin omittunt, atque catholicos ut minus peritos exegetas passim carpunt.

Atque ut insistamus in eo quem versamus textu paulino, autumant protestantes ideo catholicos agnoscere in coniugio sacramentum, quia Apostolus iuxta vulgatam versionem scripsit: *Sacramentum hoc magnum est*, non animadvertentes ipsum graece posuisse *μυστήριον*; quasi nempe 1. catholici peregrinam hanc ignorassent eruditionem; 2. nescirent perinde passim esse graecis *mysterium* quod est latinis *sacramentum*, qua sacramenti voce cum illi ca-

(119) Sane conc. tridentinum post allata Pauli verba immediate subdit: «Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet, merito inter novae legis sacramenta connumerandum *sancti patres nostri, concilia et universalis ecclesiae traditio* semper docuerunt.»

reant, *mysterii* voce significant, quod isti sacramentum vocant; 3. non alia de causa in allegato textu viderent sacramentum in coniugio christiano, quam ex voce materiali, quae in eo occurrit, et non potius ex intima rei natura, atque ex totius orationis serie; 4. denique toties catholici admitterent sacramentum presse dictum, quoties in Bibliis vox *sacramenti* reperitur, quod tamen quam falsum sit, patet ex eo quod sex alia sacramenta agnoscant, quin umquam tali nomine in Scripturis ea donentur; tum ex eo quod, licet pluries tam in veteri quam in novo foedere *sacramenti* vox inveniatur (120), nuspiam tamen catholici ex iis ullum allegarunt locum ad evincendum sacramentum proprie dictum designari.

Quae quidem adnotare constitui, ut catholici theologi longe absint ab eiusmodi novatorum agendi ratione, nec sinant se irretiri ipsorum laqueis, cum nervus probationum, quibus fidei dogmata adstruuntur, in sensu potissimum traditionali constituendus sit, sine quo Scripturae in varios sensus facile detorqueri possunt, ita ut vix vim omnem non amittant. Tum etiam ut non adeo sese praebeant difficiles in nonnullis probationibus admittendis urgendisque, quae si haereticis praesto essent, illas contra nos maxime urgerent, canerentque triumphum. Dum nonnulli theologi sub criticae severitatis obtentu, eas negligunt, aut respuunt etiam, interim vix non ab ipsorum manibus, ut ita dicam, veritates catholicae elabuntur (121).

(120) Tob. XII. 17. Dan. II. 47. Coloss. I. 27. I. Tim. III. 16. Apoc. I. 20. item XVII. 7. et in ipsa epist. ad Ephes. I. 9. et III. 3.

(121) Exemplo sit ipse Vasquez, qui dum ad adstruendam dogmaticam sacramenti matrimonii veritatem nullum invenit in scripturis testimonium; dum testimonia s. Augustini omnia respuit; dum testimonia seponit Leonis papae, Chrysostomi, et Ambrosiani, utpote qui ex eius systemate non loquantur nisi de sacramento latiori significatione accepto, rem totam revocat ad pauca quaedam testimonia, quorum aliquod desumptum est ex spuria Evaristi Decretali, alterum ad rem non facit, cuiusmodi est illud s. Siricii papae in epist. ad Himerium tarraconensem, in qua est sermo de sponsalibus, non autem de matrimonio:

Sed ut finem iam huic satis prolixae disceptationi imponamus, ex hactenus dictis constat veritatem sacramenti matrimonii ostendi ex perpetua ecclesiae doctrina, atque ex ipsa etiam ecclesiastica interpretatione verborum Pauli Ephes. V.

CAPUT II.

DE MATRIMONII CHRISTIANI MINISTRO

ARTICULUS I.

Quaestionis origo.

Nemo est disciplinis theologicis vel mediocriter initiatus, qui non perspiciat quantae gravitatis sit controversia quam agitandam suscipimus, de matrimonii christiani ministro. Siquidem ex quo caepit in ecclesia catholica disceptari quaestio, contrahentes ne haberi deberent coniugalis sacramenti ministri, quemadmodum hactenus receptum erat, an vero sacerdos, illico ex posteriori hac sententia originem duxit exitialis ac inaudita hactenus distinctio inter contractum et sacramentum in coniugiis christianorum, ac paullatim *matrimonii civilis* profanum nomen inventum est.

Originem huius controversiae repetit Benedictus XIV. in celeberrimo opere De synodo dioecesana (1) a Guilielmo episcopo parisiensi, qui in suo tractatu *De sacram. matrim.* c. IX. distinguere visus est rationem contractus a dignitate sacramenti, illamque ab hac quandoque separari. Hac in

Quia illa benedictio quam NUPTURAE *sacerdos* imponit etc., ut admonet Coustant in adnot. ad hanc epist., aut saltem dubia res est; frustra autem Vasquez contra veterum documentorum testimonium negat datam fuisse benedictionem sponsalibus. Cetera quae adiicit decretoria omnino, saltem aliqua, non videntur. Verum quidem est, quod hic tractatus sit posthumus ac solum inchoatus, quique secundis curis a Vasquezio ipso emendatus fuisset.

(1) Lib. VIII. cap. XIII. n. 1. 2.

hypothesi si coniugium absque sacerdotali benedictione mutuo tantum contrahentium consensu celebraretur, solius contractus naturalis, aut civilis conditionem induceret, perpetui tamen atque indissolubilis; si vero sacerdotis praeterea praesentia ac benedictione muniretur, sacramenti naturam assequeretur, gratiamque coniugibus conciliaret. Quocirca in hac sententia nuptialis foederis sacramentalis minister foret sacerdos, forma autem verba, quae a sacerdote sacro hoc in ritu promuntur; materia porro remota, quam dicunt, consisteret in ipso contrahentium consensu, seu civili contractu. Hinc coniugia omnia clandestina, quae celebrari contigerit sine sacerdotis opera, totidem forent meri contractus naturales, aut civiles; quae cohonestata fuerint sacerdotis benedictione, totidem evaderent sacramenta presse dicta. Quae res sacramenti baptismatis exemplo illustratur et confirmatur, cuius remota materia aqua est naturalis, fit autem sacramentum dum verbum ad elementum accedit.

Haec eadem doctrina tribuitur Petro Paludano scholastico seculi XIV.; floruisse siquidem peribetur an. 1340.; nec non concilio provinciali coloniensi, quod celebratum est an. 1536., nec non Hermanno, qui postea ab ecclesia per apostasiam defecit, ut profiteretur haeresim lutheranam, quo praesule concilium coloniense celebratum fuerat. Is enim in suo catechismo, quem per id temporis in usum suae archidioeceseos vulgaverat, insinuavit hanc sententiam de sacerdote ministro sacramenti matrimonii.

Haec quidem Benedictus XIV. ac reliqui omnes, qui de huius sententiae primordiis disseruere. Verum, re bene perpensa, deprehenditur omnium primum, qui doctrinam de sacerdote christiani coniugii ministro, adeoque de distinctione inter contractum mere civilem et sacramentum in nuptiis christianorum in scholas catholicas invexerit, fuisse celebrem Melchiorem Canum, qui opus suum *De locis*

theologicis vulgavit an. 1562, aut 1563 (2). Hoc in opere cl. auctor lib. VIII. cap. V. totus in eo est, ut evincat non alium huius sacramenti ministrum esse, aut esse posse praeter unum sacerdotem, qui benedictione christianos coniuges sacro foedere copulat, eorumque consensum seu contractum elevat ad dignitatem sacramenti, gratiam ex opere operato impertiendo. Quod vero attinet ad nuptiale foedus quodcumque sine sacerdotali benedictione initum, ad merum naturalem civilemque contractum amandat. Suam hanc sententiam ipse pariter Guilielmo parisiensi, Petro Paludano, immo vero et ipsi s. Thomae tribuit.

Ast perperam; siquidem etsi Guilielmus summopere commendet benedictionem sacerdotalem in nuptiis celebrandis, attamen eam non habet uti essentialem ad verum constituendum coniugium, et ad sacramentum conficiendum. Nam ipse aperte statuit coniugium et sacramentum haberi per solum contrahentium consensum, ex quo patet benedictionem ab eo requiri ad integritatem, atque uti meram *convenientiam*, ut aiunt; minime vero uti partem essentialem qua sacramentum constituatur, uti constat tum ex rationibus quas adducit, exemplisque quibus utitur ad rem suam, tum ex orationis serie.

Quod ut evincamus, satis nobis erit verba eiusdem auctoris in medium afferre, ut eius germana mens melius percipiatur. Sic igitur scribit Guilielmus in opusc. *De matrimonio* cap. VI. *De sanctitate matrimonii*. «Habet etiam matrimonium *non parum* sanctitatis ex benedictione, vel

(2) Nonnulli primum fuisse hoc Cani opus vulgatum an. 1562. existimant, alii vero an. 1563. Verum componi possunt hae sententiae ex iis, quae scribunt pp. Quetif et Echard in *Scriptoribus ordinis praedicatorum* in art. *Melchior Canus* tom. II. pag. 177.; hoc opus privilegium impressionis obtinuit Matriti die 27. Augusti 1562. et iterum die 22. nov. eiusdem anni; editum autem est Salmanticae typis elegantibus in fol. an. 1563. quo eodem anno die 11. novembr. habita est sess. XXIV. conc. tridentini, uti notum est ex historia card. Pallavicini lib. XXIII. cap. 9. n. 15. ubi scribit paulo ante annum quo datum fuit a concilio decretum de matrimoniis clandestinis Canum opus suum vulgasse.

oratione sacerdotali; sine qua numquam celebrandum est matrimonium, quam quicumque contempserint, aut declinaverint, *nisi metu iusto, aut alia causa necessaria*, non sunt coniuges habendi, sed fornicarii, nec filii eorum legitimi esse censendi. Etenim nec cibus sumendus est absque oratione, et benedictione sacerdotali; ubi sacerdotis est copia, nec aliquod opus etiam leve, aut modicum, quod operis nomine dignum sit, aggrediendum vel faciendum absque benedictione et divina invocatione (3).» His plures alias adiicit per integrum folium probationes, quibus solum evincat convenientiam recipiendi exquirendique benedictionem sacerdotis, quo sancte celebretur coniugium, atque inter ceteras affert exemplum petitum ex antiquis patriarchis, qui orationi referebant acceptam prolem quam ex coniugio susceperunt, non obstante uxorum suarum sterilitate; nec umquam vocat sacerdotem *ministrum* sacramenti matrimonii; talis porro foret, si benedictio seu oratio. quam fundit sacerdos super contrahentes, formae rationem haberet.

Nec minus luculenter Guilielmus mentem suam patefacit in capite IX, cui titulus: *Quaestiones quatuor singulares,* scribens: «Utrum sacramentum veri nominis et sacramentalis virtutis sit (matrimonium), si *praeter* nuptialem benedictionem, et orationem, quam habere potest, contrahatur? Verum certum est, quia et *sacrum signum est, et sacrans, sive sanctificans virtute essentiali*. . . . et forsitan merito, dummodo nuptialis benedictio *non contemnatur;* sed virtutem sacramentalem omnino non habet, nec veri nominis est sacramentum, nisi sicut diximus. Unde et matrimonium apud fideles, et apud infideles, aequivoce dicitur: apud infideles enim non est, nisi sicut diximus; apud fideles autem est illo modo, et insuper sacrans benedictionis virtute, quod est proprium verorum *plenae vir-*

(3) Opp. ed. Venet. 1591. tom. II. pag. 492. col. 1.

tutis sacramentorum (4).» His aliud adiicimus testimonium ex allegato cap. VI. ubi affert rationes septem ad matrimonii sanctitatem adstruendam; porro septimo loco eam ponit quae petitur: « Ex ipso sacramento, quo ipsum matrimonium sacrum signum est matrimonii spiritualis, quod esse debet inter Deum et animam humanam.» Quod quidem fuse enarrat, ac demum concludit Guilielmus: « Et attende quod ipsum sacramentum matrimonii fortissimam habet impressionem spiritualis matrimonii propter vehementiam rememorationis ipsius. Assidue enim illud coniugibus, quantum in ipso est, rememorat, et imprimit, et propter hoc fortissimum est adiutorium a parte ista, vehementerque impressivum sanctitatis (5).»

Ex his testimoniis simul collatis colligimus quod iuxta mentem Guilielmi parisiensis 1. matrimonium fidelium habeat rationem sacramenti ex se ipso, quatenus est signum sacrum et sacrans gratiae sanctificantis, quae in omnibus sacramentis novae legis confertur; 2. quod hoc sit essentiale ipsi signo quod habetur per coniunctionem nubentium, seu per eorum consensum; 3. quod signum sacrum et sacrans non interveniat in coniugio infidelium, adeoque istorum connubium non habeat rationem sacramenti, prout habet fidelium coniugium; 4. quod benedictio sacerdotalis minime censenda sit essentialis sacramento matrimonii, cum sacramentum habeatur, ubi necessaria causa interveniente, benedictio sacerdotalis omittitur. Hoc vero affirmari non posset, si sacerdotalis benedictio ad sacramenti formam atque adeo ad eius essentiam spectaret; 5. quod proinde eiusmodi benedictio et oratio superveniat coniugio iam contracto, seu sacramento matrimonii iam confecto ad ulteriorem a Deo impetrandam sanctitatem, vi inhaerente ipsi orationi, quatenus nomine ecclesiae funditur a sacer-

(4) Loc. cit. pag. 496. vol. II.
(5) Ibid. pag. 491. col. 1.

dote; quapropter haec benedictio accidentalis est ex Guilielmo censenda, qui ipsam eodem modo requirit ad sanctificandum cibum et potum, aliudque opus quodcumque ex monito Apostoli, quod ipse refert immediate post allegata verba ex cap. VI. «Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum (6).»

Nec obest Guilielmum benedictioni tribuere sacerdotali *virtutem sacramentalem*, aut etiam asserere matrimonio sine benedictione celebrato haud competere *veri nominis sacramentum;* uti enim liquet ex totius orationis serie, Guilielmus nil aliud significare intendit, quam fructum, sive gratiam minime obtineri ab iis, qui connubium non contrahunt iuxta ecclesiae ritum, sed clandestino more, quod semper illicitum fuit, cum a clandestinis nuptiis ecclesia semper abhorruerit, easque vetuerit; adeoque latiori significatione *virtutem sacramentalem*, ac *veri nominis sacramentum* nominat. Siquidem in hoc ipso contextu iam affirmaverat auctor noster, matrimonium esse per se *verum sacramentum*, utpote *signum sacrum* et *sacrans* et *sanctificans;* item habere *virtutem sacramentalem*, et quidem *virtute essentiali*, quamvis celebratum fuerit absque sacerdotali benedictione.

Nisi proinde velimus sibimetipsi in eadem periodo Guilielmum turpiter contradicere, fateamur necesse est, nonnisi latiori sensu, ut diximus, eum affirmasse per sacerdotalem benedictionem et orationem haberi veri nominis sacramentum, et sacramentalem virtutem, quatenus cum debitis dispositionibus ad sacramentum matrimonii contrahentes accedunt; aut etiam ad uberiorem fructum obtinendum ex opere operantis. Hoc ipsum aperte confirmatur ex loquendi ratione quam usurpavit Guilielmus, dum voluit emolumentum exponere, quod matrimonio provenit

(6) Coloss. III. 27.

ex sacerdotali benedictione, dicens: « Habet *etiam* matrimonium non parum sanctitatis ex benedictione; » si igitur *etiam* supervenit aliquid sanctitatis coniugio ex benedictione, manifestum est ex eius mente sanctitatem inhaerentem esse ipsi coniugio. Unde vero habet christianorum connubium eiusmodi sanctitatem, nisi ex eo quod sit sacramentum, etiamsi legitima aliqua de causa contingat matrimonium sine benedictione celebrari?

Nec pariter obstant quae scripsit Guilielmus de his, qui nulla legitima intercedente causa benedictionem sacerdotalem neglexerint, eos neque coniuges habendos, sed potius *fornicarios*, eorumque liberos *legitimos non esse censendos*; siquidem hisce locutionibus non aliud significare intendit, quam non esse eiusmodi coniuges in eorum censu habendos, qui debita pietate, ac dispositionibus necessariis connubium inierint, et ad ecclesiae catholicae normam atque praescriptum, eorumque filios veluti ex profano toro genitos esse. Alioquin si in rigore ac presse ea verba acciperentur nimis evincerent. Evincerent enim nec valere eiusmodi connubia sic inita in ratione meri contractus sive naturalis sive civilis, secus ac contendant adstipulatores contrariae sententiae, qui distinguunt in matrimonio etiam christiano rationem sacramenti a ratione contractus, prout cum aut sine benedictione sacerdotali initum fuerit. Praeterea ex Guilielmo, ut vidimus, connubium etiam sine benedictione sacerdotali celebratum est verum matrimonium, immo et sacramentum; ergo, qui, praetermissa benedictione sacerdotali, illud ineunt, sunt vere et proprie coniuges, eorumque proles legitima est, etiam ex eiusdem Guilielmi doctrina.

Demum, ut constat ex allatis textibus, Guilielmus repetit sanctitatem coniugii christiani ex ipsa natura *signi sacri et sacrantis*, quod inest coniugio ipsi, seu consensui, quo initur connubium, quatenus praesefert coniunctionem spiritualem animae cum Deo, eamque vehementissimam,

quaeque praebet fortissimum adiutorium nubentibus, utpote *impressivum*, ut ipse loquitur, sanctitatis. Porro id omne est prorsus independens a superveniente sacerdotis benedictione et oratione, cum intimum sit ipsi coniugii celebrationi. Ergo quaqua versus spectetur doctrina Guilielmi, patet alienum prorsus esse ab eius mente asserere sacramentum matrimonii a sacerdotali benedictione pendere, adeo ut cesset sacramenti ratio, quoties desit benedictio, ac dilabatur in rationem puri contractus naturalis, aut civilis. Hinc, quod consequens est, sacerdos non est sacramenti matrimonii minister, ut contendit Canus, qui hanc sententiam Guilielmo parisiensi affingit.

Consuevit praeterea a nonnullis ex eodem Guilielmo parisiensi episcopo textus adduci ex eius op. *De baptismo* depromptos, ubi disserens de baptismi vi et efficacia ad impertiendam sanctitatem, eam repetit ex invocatione ss. Trinitatis; deinde vero ex eadem invocatione, et benedictionis virtute efficaciam pariter ceterorum sacramentorum derivat; cum igitur de matrimonio loquitur haec habet: « Sic et in coniugatis, ut gratia, et sanctificatio, quae eis postulatur, eisdem donetur, ipsa benedictio nuptialis impetrat (7). » Ex quo concludunt Guilielmo hanc stetisse mentem, non alium praeter sacerdotem, qui nuptiis benedicit, huius sacramenti ministrum esse agnoscendum.

Iam vero si quis accuratius huius auctoris verba perpendat, haud aegre sibi persuadebit non aliud sibi Guilielmum proposuisse, quam ratiocinari ex praxi, quae obtinebat in ecclesia celebrandi nuptias in facie ecclesiae, seu praesente sacerdote, qui nubentibus benedicebat ac fausta a Deo precabatur, uti ex ritualibus illius aetatis libris a Martenio vulgatis liquet, de quibus opportuno loco disseremus. Cum proinde commendet in sacramentis reliquis sacerdotalis benedictionis virtutem, capta occasione, eam-

(7) Cap. I. in fine pag. 400.

dem pari ratione commendat in coniugio, quod numquam, aut fere numquam absque benedictione sacerdotali celebrari consueverat; minime vero sibi proposuit adstruere eiusmodi sacerdotalem benedictionem formam esse sacramenti matrimonii, quod tamen necesse foret, si ipse censuisset sacerdotem vere esse huius sacramenti ministrum (8).

Ne tamen quispiam regerat nos hac ratione vim inferre Guilielmi verbis, iuverit totum eorum contextum expendere: ac primo animadvertendum est, quod dum ipse disserit de sacramento poenitentiae: « In confitente, inquit, ut vincula peccatorum disrumpantur et dona gratiarum ei restituantur, *benedictio sacerdotalis*, et absolutio facit. » Iam vero exploratum est in hoc sacramento formam non in benedictione sacerdotali, sed in sola absolutione consistere; attamen Guilielmus eadem ratione de utraque disserit, et utramque, benedictionem scilicet et absolutionem, per modum unius coniungit, perinde ac si essent ambae eiusdem virtutis, quod profecto nemo dicet. Secundo animadvertendum, quod, dum idem auctor loquitur de effectu aliorum sacramentorum, diversa utatur formula ab ea quam

(8) Haec quae dicimus lucem mutuantur ex eo, quod cum pietate defervescente non pauci christiani saec. VIII. et IX. a vetusta ac laudata consuetudine desciscerent nuptialem benedictionem a sacerdote exquirendi in celebratione suorum coniugiorum. Carolus magnus circa annum DCCLXXX. in occidentalibus partibus restaurare cupiens antiquam disciplinam, annuentibus episcopis, legem tulit, qua nullum coniugium, nisi cum precibus et oblationibus sacerdotalibus fieret, et quaecumque coniugia aliter facta essent, ea non vera coniugia, sed *adulterium*, *concubinatum et fornicationem* haberi iussit. En verba capituli CCCCLXIII. libri VII. Capitularis Caroli M. « Aliter legitimum . . non sit coniugium, nisi ab his qui super ipsam foeminam dominationem habere videntur, et a quibus custoditur, uxor petatur, et a parentibus propinquioribus sponsetur, et legibus dotetur; et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur. . . . Taliter enim et Domino placebunt, et filios *non spurios sed legitimos atque haereditabiles* generabunt. » Apud Balazium *Capitularia regum francorum*. Paris. 1687. tom. I. pag. 1129. Cum igitur lex haec Guilielmi parisiensis aetate adhuc vigeret, ratio apparet, quare ipse adeo urgeat susceptionem sacerdotalis benedictionis in nuptiis, et eos, qui eam negligerent, *fornicarios* appellet, eorumque liberos edixerit *legitimos non esse censendos*.

usurpat agens de sacramento matrimonii. De invocatione enim quae fit in collatione baptismi scribit: « Ex solo Deo datore, qui invocatus ad hoc adest, et assistit, *et operatur intus*... quod aqua habet operari exterius; » et de confirmatione scribit: « Quod invocatio divini Numinis, seu benedictio, *operatur ipsum robur* » et de eucharistia: « Ut verus, inquit, ac vivificus panis, qui de caelo descendit, adveniat, eadem benedictio, et ex eodem *facit;* » idipsum pariter dicit loquens de remissione peccatorum per benedictionem et absolutionem sacerdotis utendo eodem verbo *facit;* sic etiam de sacra ordinatione: « Ut gratia, inquit, sanctificationis et sacri ministerii ordo in eos (ordinatos) veniat, episcopalis manus impositio et benedictio *operatur.* » Contra vero de benedictione nuptiali scribit eam *impetrare,* et quidem personis, seu *coniugibus* gratiam et benedictionem. Verum quidem est eadem ipsum voce uti, cum loquitur de sacramento extremae unctionis, dicens: « Sic et extremam unctionem recipientibus oratio sacerdotalis et benedictio remissionem *impetrat* peccatorum et corporum sanctitatem (forte sanitatem). » Ast ratio est, quia hoc sacramentum praeter peccatorum remissionem et animae sanctificationem, consuevit interdum conferre corporis sanitatem, quae ab oratione et benedictione sacerdotis non parum dependet. Ceterum de germana Guilielmi mente in administratione sacri coniugii diiudicandum est ex iis, quae ex professo seu data opera scripsit in opusculo de matrimonio, cuius sententiam expendimus.

Et de Guilielmi parisiensis sententia hactenus. Quod enim attinet ad Petrum Paludanum, et s. Thomam, quos pro opinione sua profert Canus, operosum non est ostendere ambos longe a placito adstruendo abfuisse, quod ipsis tribuitur. Contrarium siquidem uterque plane consectatus est. Id vero eo libentius demonstrare aggredimur, quod magis confirmet quae de Guilielmo diximus, quem nemo

affirmaverit discedere voluisse a doctrina, quam theologi unanimi consensu aetate sua adstruebant, quin id indicaverit.

Atque ut a Paludano exordiamur, is in Comment. in 4. Sent. dist. 26. q. 1. dub. 3. sic definit generatim matrimonium: «Matrimonium est duarum personarum idonearum legitimus in coniunctione consensus (9).» Et ibid. Defin. 5. «Matrimonium, inquit, est consensus maris et foeminae habitus in praesenti (10).» Ne quis vero suspicaretur ipsum locutum de solo matrimonio, prout est contractus, dist. 26. quaest. 4. sibi obiicit: « Sacramentum, quod non est necessitatis, habet per ministros ecclesiae dispensari; unice solus baptismus, qui est sacramentum necessitatis potest per quemlibet laicum dispensari; sed matrimonium non est necessitatis quantum ad quamlibet personam, tamen non dispensatur per ministros ecclesiae: benedictio enim nubentium non est de necessitate matrimonii. Ergo matrimonium non est sacramentum (11).» Respondet autem : « Dicendum est ergo, quod illud matrimonium, cuius tota efficacia est in materia et forma, non ex parte ministri, illud potest conferri ab alio, quam a ministro ecclesiae etiam in necessitate et extra necessitatem : licet non debeat nisi in necessitate: sicut de effectu eucharistiae indigne susceptae: quia tota virtus causandi gratiam est in eo, quod suscipitur: et licet non debeat ministrari nisi a sacerdote, excepta necessitate... tantum sibi valet susceptum a laico, quem credit suum curatum quantum a suo curato. Ita est de baptismo, quoniam eius virtus non est in ministro ecclesiae: et ideo non propter hoc, quod non est necessarium, cum sit necessarium communitati, sicut baptismus personae singulari, sed quia virtus eius non

(9) Fol. 138. ed. Paris. 1514.

(10) Nam affert quinque definitiones matrimonii, ac in nulla earum mentionem iniicit sacerdotis, aut sacerdotalis benedictionis.

(11) Fol. 140. verso col. 2.

est in ministro ecclesiae, potest essentia eius haberi sine ministro: sed forte non debet nisi in facie ecclesiae et per sacerdotem celebrari, si possit haberi (12).» Sibi praeterea obiicit: « Omne sacramentum habet formam distinctam a materia: sed hoc non est in matrimonio. Non enim verba exprimentia viri consensum sunt magis forma vel materia quam verba mulieris, et e converso. Ergo matrimonium non est sacramentum (13).» Quam difficultatem ita solvit: « Ad 2. dicendum. . . . quod matrimonium habet formam distinctam a materia, quia *verba sunt forma, contrahentes sunt materia* . . . forma est expressio consensus (14).»

Post adeo luculenta testimonia mirum videri debet Canum inter assertores sententiae suae etiam Paludanum recensere potuisse. Verumtamen Canus ita sententiam Paludani exponit: « Non ii solum, quos diximus, nostrae sententiae assentiuntur, sed Petrus Paludanus Sent. 4. dist. 5. q. 2. imprudens in eam quoque descendit. Nam cum vir et foemina *civiliter* contrahunt, etiamsi peccatores sint, nec poenitentiam agant, non credit eos esse reos sacrilegii. Id quod nullo modo probabile esset, si eiusmodi matrimonium esset verum ecclesiae sacramentum. Omnes quippe sine controversia sacrilegi sunt, qui post peccatum mortale sine poenitentia Christi sacramenta percipiunt (15).

Ita quidem Canus de Paludano disserens; ast non ita Paludanus, qui in allegato loco contrarium plane adstruxit, cum enim sibi quaestionem proposuisset, utrum peccator possit aliquo in casu minister esse sacramenti, quin se sacrilegii reum efficiat, respondet, id interdum fieri, et exemplum adducit laici, qui in necessitate administraret baptismum, et qui in pari casu contraheret coniugium. Si

(12) Fol. 141.
(13) Fol. 140.
(14) Fol. 141.
(15) *De Locis* lib. VIII. cap. VII.

quid ponderis haberet Cani ratiocinatio, sequeretur iuxta Paludanum nec ipsum baptismum a laico peccatore administratum in necessitate fore validum et sacramentum. Sed praestat eiusdem Paludani verba describere ad omnem removendam ambiguitatem: « Praeterea non videtur, inquit, quod peccator contrahens matrimonium peccet, cum tamen essentia matrimonii consistat in mutuo consensu per verba unius alteri expressa: *hic enim consensus sacramentum ministrat, non autem sacerdos benedicens*, qui solum sacramentale quoddam adhibet (16). »

Illud igitur: *vir et foemina civiliter contrahunt*, solius est Cani, non autem Paludani, qui affirmat eos contrahere, imo et *administrare sacramentum* per mutuum consensum. Postrema autem verba, quae ex Paludano adduximus de sacerdote benedicente, *qui solum sacramentale quoddam adhibet*, patefaciunt sensum in quo veteres, uti Guilielmus parisiensis aliique interdum vocant *sacramentum*, aut *sacramentale* benedictionem sacerdotalem in nuptiis iungendis.

Hac eadem phrasi usus est s. Thomas, qui pariter a Cano uti assertor sententiae suae his verbis laudatur: «D. vero Thomas, licet in scripturis communes fere opiniones sequeretur, *a veritate tandem coactus, nostrae opinioni subscripsit*. Cum enim in 4. dist. 1. q. 1. art. 3. docuisset verba in omni sacramento necessaria esse, quinto id argumento impugnavit in hunc modum. Poenitentia et matrimonium sunt sacramenta: sed de integritate eorum non sunt verba aliqua etc. Cui argumento ita quidem respondit, quod matrimonium secundum quod est in officium, et poenitentia secundum quod est virtus, non habent aliquam formam verborum: sed secundum quod utrumque est sacramentum *in dispensatione ministrorum ecclesiae consistens*, utrumque habet aliqua verba. Hactenus d. Thomas. Et 4. lib. adversus gentes c. 78. non aliter docet nuptias sacramen-

(16) In 4. dist. 5. q. 2. fol. 23. verso col. 1. 2.

tum esse, nisi ad modum, quem diximus, per ecclesiae ministros populo dispensentur. Ea, inquit, quae per ministros ecclesiae populo dispensantur, sacramenta dicuntur. Matrimonium igitur, secundum quod consistit in coniunctione maris et foeminae intendentium prolem ad cultum Dei generare et educare, est ecclesiae sacramentum. Unde et quaedam benedictio nubentibus per ministros ecclesiae adhibetur. Haec ille.» Ita quidem Canus connitens ad se trahere angelicum Doctorem (17).

Verum irrito prorsus conatu eum id intendere, multiplici patet ratione; ac primo quidem ex ipsis locis quos pro se allegat Canus. Etenim post allata priora verba ex Comment. in lib. Sentent. subdit illico s. Thomas aperiens mentem suam: «Sicut in matrimonio *sunt verba exprimentia consensum*, et iterum benedictiones ab ecclesia institutae.» Itaque verba, quibus ex divo Thoma conficitur sacramentum matrimonii, sunt *verba exprimentia consensum*, quibus deinde ab ecclesia adiectae sunt benedictiones, tamquam aliquid sacramentale superveniens. Nec alium sensum fundunt quae ex posteriori loco, 4. nempe libro, contra gentes adducta sunt; siquidem ex s. Doctore matrimonium uti sacramentum consistit in coniunctione maris et foeminae intendentium prolem ad cultum Dei generare et educare. Qua de causa huic coniunctioni, quae sacramentum constituit, utpote rei sacrae, ecclesia *quamdam* benedictionem adiecit per suos ministros.

Sane s. Thomam minime spectasse benedictionem sacerdotis nuptiis superadditam nisi uti sacramentale quoddam, expressis verbis tradit in 4. Sent. dist. 26. q. 1. art. 1. ubi ex instituto de sacramento matrimonii agit resp. ad 2. dicens: «Benedictio sacerdotis non est de essentia matrimonii, sed *est quoddam sacramentale*.» Et iterum ibid. art. 3. ad 3. «Verba consensum exprimentia directe faciunt nexum

(17) Ibid.

quemdam, *qui est sacramentum matrimonii.* » Videat igitur Canus num s. Thomas *veritate tandem coactus* sententiae suae subscripserit.

Quoniam vero b. Thomae, qui floruit seculo XIII. mediante (18), nec non Guilielmi parisiensis, qui eiusdem seculi initio inclaruit (19), ac demum Petri Paludani, qui seculo insequenti sua edidit Commentaria (20), sententias expendimus, reliquum est ad unanimem scholasticorum doctrinam hac in re patefaciendam, et praecipuorum saltem, qui per idem tempus scripta sua vulgarunt, subiiciamus testimonia.

Omnium antiquissimus post Hugonem Victorinum, de quo postea loquemur, qui sese offert est Petrus pictaviensis (21), qui *Sententiarum* part. V. cap. XIV. loquens de matrimonio ait: «Sacramentum hoc est consensus animorum et carnalis copula, non sunt duo sacramenta, sed unum sacramentum unionis Christi ad ecclesiam.» et cap. XVI. « Efficiens causa matrimonii est consensus animorum.... consensus coniugalis societatis expressus verbis de praesenti facit matrimonium, qui consensus non potest legitime contrahi inter consanguineos etc.» Profitetur autem hoc ipso in loco se tradere quae *communi consensu* docent theologi.

Paulo post eidem successit Robertus Pullus (22), qui *Sententiar.* part. VII. cap. XXXV. « Cum utriusque consensus, inquit, per coniugium fiat, necessarius est, si alter, aut ambo matrimonio contradicunt, aut prae aetatis teneritudine consensum adhibere nondum sciant, hic tamdiu connubium deest, quamdiu par consensus abest.» Deinde ibid. prosequitur: « Verumtamen Dominus cuiusmodi per-

(18) Natus enim est an. 1224. et in caelum evectus an. 1274.

(19) Obiit an. 1249.

(20) An. 1330. creatus est patriarcha hierosolymitanus, mortuus vero est an. 1372.

(21) Obiit an. 1175.

(22) Obiit an. 1220.

sonae connubio forent aptae, minime determinavit, determinandum autem ecclesiae suae commisit; quaedam docuit ipse, quaedam docenda reservavit ecclesiae suae,» et cap. XXXVII. «Alii autem autumant consensum utriusque, *quoniam ipse est coniugii effector*, praevalere» etc.

Huic addimus s. Bonaventuram b. Thomae coaevum, qui in 4. Sentent. dist. 26. q. 2. scribit: «Alii dicunt, quod in sacramento matrimonii datur gratia digne et devote suscipientibus ratione benedictionis superadditae. Deus enim eis benedicit ad benedictionem sacerdotis. *Sed haec positio non videtur valere*, quia *illa benedictio est sacramentalis:* et si sacramentale efficit, *quanto magis sacramentum?*» Ergo ex s. Doctore per benedictionem sacerdotis non efficitur sacramentum, quod distinguit a benedictione ipsa sacerdotis. Atque idcirco ex eius sententia sacerdos non est minister sacramenti matrimonii. Et ipse in quaestione insequenti cum ceteris omnibus constituit sacramentum matrimonii perfici *consensu contrahentium*. Obiit porro s. Bonaventura an. 1274.

Io. Duns Scotus, qui paulo post scriptis suis ecclesiam illustravit (23), in 4. Sent. dist. 26. quaest. unica art. 2. «De ministro, scribit, est aliud dubium, quia ut plurimum ipsimet contrahentes ministrant sibi ipsis hoc sacramentum vel mutuo, vel uterque sibi; sed nec hoc requiritur necessario, si in omni contractu est sacramentum, quia aliquando parentes contrahunt pro filiis, aut filiabus praesentibus, eis non exprimentibus signa propria: si ergo ibi est sacramentum, oportet dicere, quod minister huius sacramenti potest esse indifferenter quicumque potest esse minister in actu matrimonii.» Atque ibi obiter adnoto, quandoquidem commoda se se offert occasio, perperam Canum scripsisse Scotum inficiatum esse coniugia, quae solis nutibus contrahuntur, esse sacramenta. Nam Scotus, *hipo-*

(23) An. 1300.

thetice, ut aiunt, solum affirmavit nutus vel signa ad conficiendum coniugium, seu sacramentum non sufficere, si Christus *determinasset verba* ad sacramentum conficiendum, quod ipse non admittit. Idem dic de Petro Lombardo, qui scribit non sufficere ad matrimonium, si contrahentes *mente* consentiant, et hunc consensum non exprimant verbis vel *aliis certis signis*. Sic etiam s. Thomas, qui « Dicendum, inquit, quod quamvis non possint vota sua mutuo verbis tales (muti) exprimere, possunt tamen *exprimere nutibus, et tales nutus pro verbis computantur*. » Ubi igitur hi auctores docuerunt non confici sacramentum matrimonii solis nutibus, cum omnes contrarium affirment (24) ?

Neque aliter sensit qui integro post seculo floruit Dionysius carthusianus (25) in 4. Sent. dist. 26. qu. 1. scribens : « Alii dicunt, quod gratia datur in matrimonio ratione benedictionis... sed hoc non valet, quoniam benedictio illa *est quid sacramentale*, sacramentum autem est efficacius ad dandam gratiam, quam sacramentale. Benedictio quoque non datur nisi in primis nuptiis. »

His coronidis gratia nonnullos addam ex scholasticis posterioribus, qui doctrinae hactenus in ecclesia unice vigenti circa sacramenti matrimonii ministrum calculum suum adiecerunt, quin vel leve dubium de eius veritate moveant. Horum plerique vel ipsa Cani aetate, vel paulo post floruerunt, nec tamen a recepta in ecclesia sententia deflexerunt.

Itaque Paulus Soncinas in *Epitome quaest.* Ioannis Capreoli in 4. Sent. dist. 26. inficiatur quod hoc sacramentum « dispensetur per ministros ecclesiae, quia non habet pro materia et forma nisi actum suscipientis (26). »

(24) Cf. Scotum dist. 26. quaest. unica tom. IX. p. 587. Petr. Lomb. dist. 27. §. 3. *De consensu qui efficit matrim.* ed. Lov. pag. 439. s. Thom. ad dist. 27. q. 1. art. 2. ad 2.

(25) An. 1450.

(26) Pag. 159. col. 1

Stambachus Wendelinus *Suppl. comment.* Gabrielis Biel in 4. Sent. dist. 27. « Consensus contrahentium, inquit, est causa efficiens matrimonii (27)» et «debet esse exterius manifestatus, quia sacramenta sunt signa sensibilia (28).»

Franciscus Orando Mogillon de Paredes in 4. Sent. dist. 27. prop. II. ait: «Causa efficiens matrimonium est consensus mutuus coniugum expressus per verba de praesenti (29). » Et dist. 28. subdit: « Clandestina matrimonia fuerunt vera, rata et firma ante concilium tridentinum, post istud sunt ipso iure nulla (30).»

Stephanus Brulifer seu Brulever in 4. dist. 26. §. 1. scribit: « Sacramentum autem matrimonii est expressio certorum verborum vel signorum maris et foeminae ad se invicem significantium traditionem mutuae potestatis corporum.» Et paulo post addit: « In ipso sacramento signum est verbum vel nutus: verba sunt: *Do si des;*» et dist. 27. q. 3. « Consensus est causa matrimonii. . . . et non sufficit consensus vocalis sine mentali, quia in omnibus sacramentis requiritur intentio faciendi quod facit ecclesia.»

Nicolaus de Orbellis in 4. dist. 27. q. 1. «Cum matrimonium sit sacramentum de cuius ratione est, quod sit signum sensibile, oportet consensum matrimonialem per verba vel alia signa exprimi.»

Io. Paulus Palanterius in 4. dist. 27. sect. CXIII. «Quaedam sunt de sacramenti necessitate, et quaedam de solemnitate. In matrimonii substantiam est consensus per verba de praesenti expressus» et iterum: « sacramentum matrimonii est expressio verborum maris et foeminae signantium traditionem mutuae potestatis (31).»

(27) Pag. 144.
(28) Pag. 146. col. 1.
(29) Fol. 5. vers.
(30) Fol. 9.
(31) Pag. 333-335.

Ioannes de Carthagena *Disputation. selectae* in 4. Sent. disp. VI. diss. II. cap. I. « Si duo baptizati conveniunt ad faciendum contractum matrimonii coram parocho et testibus, non tamen habeant intentionem faciendi sacramentum, nihilominus manet validum matrimonium non solum in ratione consensus, sed etiam in ratione sacramenti, quia non est in potestate contrahentium auferre rationem sacramenti a praedicto contractu (32). » Agit autem de intentione ministri, solvitque difficultates quibus impugnatur doctrina de contrahentibus sacramenti matrimonii ministris,, eamque explanat, confirmatque.

Atque hos ex prope innumeris aliis, qui afferri possent in rem nostram, adduxisse sufficiat.

Tuto enim affirmare possum sententiam hanc seu potius doctrinam *unanimem* omnino fuisse inter scholasticos usque ad Canum. Nam incipiendo ab Hugone Victorino, qui anterior est s. Bernardo patrum postremo, ad unum omnes constituerunt essentiam *sacramenti* matrimonii in consensu mutuo contrahentium consistere. Hugo enim a s. Victore, Didascalus a nonnullis nuncupatus, qui obiit die 11. febr. an. 1140. in op. *De sacramentis* lib. II. part. XI. cap. 3. « Si quis, inquit, quaerat, quando coniugium esse incipiat? Dicimus quod ex quo talis consensus qualem supra definivimus (nempe inter personas *legitimas*), factus fuerit, *ex eo statim* coniugium est, quem etsi postea copula carnis sequitur, nihil tamen coniugio amplius ad *virtutem sacramenti* confertur (33). » Hunc ceteri sequuti sunt usque ad Petrum Lombardum, qui ab an. 1159. ad an. 1164. fuit episcopus parisiensis. Hic in pluribus exscripsit Hugonem quem sequitur in hac doctrina. Denique veniunt quotquot eius extiterunt commentatores, id est quatuor circiter millia. Porro doctrina, quae per quinque

(32) Opp. ed. Ven. 1588. tom. III. fol.
(33) Pag. 306. 397.

fere secula exclusive viguit in ecclesia, ipso Cano teste hoc ipso lib. VIII. cap. IV. et V. non potuit non esse doctrina ecclesiae ipsius. Quod si scholastici ad unum omnes constituerunt essentiam sacramenti matrimonii in mutuo contrahentium consensu, profecto non alios eiusdem sacramenti ministros quam contrahentes, nec aliam formam praeter verba quibus exprimitur consensus, quaerere fas est.

Superest ut expendamus utrum saltem concilium provinciale coloniense, quod celebratum est an. 1536. sub archiepiscopo Hermanno, postea lutherano apostata, recesserit a communi, immovero unanimi theologorum doctrina, ut contendit Canus. Hic enim scribit loc. cit. «Patres item concilii coloniensis aperte inficiantur, clandestinum matrimonium esse proprie sacramentum: atque iidem quoque non obscure asserunt, aliud esse verbum, quo contrahitur matrimonium, aliud, quod efficit matrimonii sacramentum: nec satis esse ad sacramentum ea verba, quibus mutuus consensus exprimitur, sed aliud verbum requirendum, quod, ut in ceteris sacramentis accedens ad elementum faciat sacramentum; quod utique verbum fidei est, non naturae. Quorum sententiam in hoc difficile est factu non probare.»

Haec quidem Canus; ast nihil tale habet concilium coloniense, quod octo capita de matrimonio complectitur. Ad eius concilii intelligentiam praemittam necesse est, quod passim insinuavi, nempe sacramentum etiam valide confectum gratiam non conferre propter obicem, hunc autem poni, si absque benedictione sacerdotis suscipiatur. Qua animadversione praemissa, facile est ostendere nihil in concilio coloniensi haberi quod Cano faveat. Etenim in cap. XL. quod unice ad rem praesentem facit, haec leguntur: « Quod sacramentum, si quis, sicut decet, acceperit, *accedente* sacerdotali precatione, confert donum Spiritus, quo vir diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit

ecclesiam.» Iam vero si quis attente verba haec perpenderit, colliget, sacerdotalem precationem *accedere* ad sacramentum matrimonii, non ut sacramentum efficiat, sed ut sacramentum legitime et cum fructu suscipiatur, eo quod celebretur matrimonium in facie ecclesiae, et iuxta ecclesiasticum ritum et praescriptum ab ea ordinem, non autem clandestina ratione. Nihil igitur continent de iis, quae superstruxit Canus. Ne quis porro dicat sensum, quem concilio tribuimus, ex nostra interpretatione pendere, iuverit animadvertere hanc instructionem, quae actis concilii coloniensis inserta est, non aliud esse quam Enchiridion quod exaravit celebris Gropperus. Porro Gropperus agens de matrimonio scribit: « Superest, ut verbum et elementum huius sacramenti indicemus, et gratiam insuper in eo conferri demonstremus. Verbum itaque huius sacramenti, quo accedente ad elementum fit sacramentum, id nimirum est, *quo ambo mas et foemina* (cum pietatis respectu, quae in Deum est, sibi mutuo fidem coniugalem dant accipiuntque) *non quovis modo, sed in Dei nomine coniunguntur et copulantur.*» Exinde patet quaenam fuerit mens concilii huius dum sacerdotali *precationi* tribuere videtur donum Spiritus, nempe eo sensu quo exposuimus, eo vel magis quod aperte alludat ad precationem ac benedictionem quae intra missarum solemnia datur sponsis, quae certe omnium consensu formam sacramenti nostri non constituit. Quod si sacramentum matrimonii conficitur per contrahentium consensum verbis de praesenti expressum, plane consequitur ministrum eius haud esse sacerdotem, sed contrahentes ipsos; solus quippe sacramenti ille minister est, qui formam pronunciat: tales autem sunt ex concilio contrahentes; ergo ex eodem soli contrahentes ministri sunt sacramenti matrimonii.

Quod si nihil habet concilium coloniense quod faveat Cano, imo quod ei non adversetur in cap. XL.; multo

minus eiusdem placito favent, quae in capitibus insequentibus habentur, quae de alio omnino sunt argumento. Nam in cap. XLI. praebetur instructio moralis coniugibus ; in cap. XLII. agitur de coniugii bonis, fide, prole et sacramento; in XLIII. expromitur desiderium de abolendis in posterum matrimoniis clandestinis, quae licet concilium prohibeat, attamen si fiant, rata ea agnoscit; in cap. XLIV: decernit synodus coniunctionem per sacerdotem cum benedictione ac precibus *intra missarum solemnia* in templo secundum antiquos canones et ecclesiasticum ritum fieri. Vetat autem in cap. XLV. ne coniungantur peregrini et ignoti, nisi legitimis testimoniis constet de statu eorum libero; in cap. XLVI. loquitur de impedimento consanguineitatis et affinitatis, demum in cap. XLVII. abrogat ludicra quaedam fieri solita post coniunctionem sacerdotalem ab adstantibus (34).

Cum autem solae sint quas expendimus auctoritates, quibus Canus innititur ut demonstret alios sententiae suae praeivisse, neque ipsae rem conficiant, quin etiam eidem contrariae sint, aperte consequitur ipsum revera primum omnino fuisse in ecclesia Dei, qui novam hanc doctrinam invexerit de sacerdote sacramenti matrimonii ministro, ac propterea de inaudita hactenus reali distinctione inter civilem matrimonii contractum et sacramentum in coniugio christiano.

ARTICULUS II.

Quaestionis progressus.

Vix Melchior Canus novam suam sententiam proposuerat de sacerdote nuptiarum christianarum ministro, deque distinctione inter contractum et sacramentum, cum nonnullos, uti fit, illico sui placiti adstipulatores nanciscereturr, plerisque tamen eidem contradicentibus. Nam vel

(34) Cf. *Acta concil.* Harduini tom. IX. col. 2010 seq.

in ipso tridentino concilio, cum ageretur de novo inducendo clandestinitatis impedimento, iam eam sententiam protulerat Simon Vigorius; ast, uti refert card. Pallavicinus, *paucos* ex patribus illis sectatores habuit (35). Paulo tamen post theologi, iurisque canonici interpretes magno numero ei sese adiecerunt, uti Sylvius, Estius, Iuvenin, Piette, Gibertus, Du-Hamel, l'Herminier, Tournely, aliique passim (36). Ex quibus tamen Tournely fatetur: « Si ex auctoritate et numero scholasticorum pugnandum hic foret, vinceret haud dubie opposita sententia (37).» Adeo vero tractu temporis istorum numerus auctus est, ut eruditus Roskovàny scribere potuerit: « Ex recentioribus paucissimi veterum scholasticorum complectuntur opinionem, quasi scilicet ipsi contrahentes sacramentum matrimonii sibi administrarent (38).»

Numero animosiores facti recentiores nonnulli theologi, et canonici iuris periti ulterius fortasse quam par foret in propria adstruenda sententia progressi sunt, et parum modeste in contraria vellicanda se se gesserunt. Siquidem friburgensis canonum professor, I. A. Petzek sententiam, quae contrahentes sacramenti ministros statuit, et infirmis niti fundamentis, et plane religionis dogmatibus periculosam esse asseruit, eo quod illa admissa, nulla ratione

(35) *Dell' istoria del conc. di Trento* lib. XX. cap. IV. n. 1. ubi scribit: «Essendo concordi (i teologi) negli altri punti, disconsentivano sopra due. L'uno era: se qualunque matrimonio fra cristiani fosse sacramento: il che sentivano *quasi tutti:* o sol quello, che vien benedetto dal sacerdote; secondo l'opinione di Guglielmo parigino (ut putabant): la quale era difesa dal prenominato Simone Vigor e da *pochi altri*.»

(36) Istorum opera singillatim allegare superfluum censeo, cum nota sint, et iam retulerit Benedictus XIV. *De synodo* lib. VIII. cap. XIII. n. 3. et postea s. Alphonsus De Ligorio in peculiari dissert. *De ministro et forma sacramenti matrimonii*, quam adtexuit cap. II. tract. VI. *De matrim.*, ubi plures alios ex antiquioribus recenset, qui sententiam Cani adoptarunt.

(37) *Tract. De matrim.* pag. 124. ed. Paris.

(38) *De matrimonio in ecclesia catholica* tom. I. *De potestate ecclesiae legislativa circa matrimonium*. Augustae Vindelic. 1837. §. 27.

adversus protestantes matrimonii sacramentum ex traditione vindicari possit (39). Sic etiam Io. De Laussaulx notionem et rationem contractus in matrimonio a ratione sacramenti separanda, opinionem de contrahentibus, tamquam ministris sacramenti profluxisse censet ex *erronea*, ut ait, sententia, quod matrimonium christianorum absque sacramento consistere nequeat (40). Marianus Dobmayer haud dubitavit affirmare sententiam, quae sacerdotem sacramenti matrimonii ministrum constituit e natura sacri ministerii profluere (I. Cor. IV, 1.) vi cuius dispensatio mysteriorum Dei sacris ministris generaliter adserta est, a qua ut in uno recedatur sacramento, nullum seu sac. Scripturae, seu prima ecclesia fundamentum praebent. Quapropter, infert, *ob traditionis dumtaxat obscuritatem*, et nondum latam ab ecclesia definitionem, in scholis opinionem de contrahentibus qua ministris matrimonii invaluisse (41).

Nec satis; nam Sauter adeo progressus est, ut affirmaverit « Eos solum non videre, quam inepte minister (matrimonii) extra sacerdotem quaeratur apud quos tantum opinio praeiudicata potest, ut etiam sine ratione valeat (42). » Thomas Dolliner ex dissensionibus de materia, et forma infert illos, qui pro contrahentibus ut ministris pugnant, impetere fundamentum eiusdem sententiae (43). Ita etiam Andreas Muller (44), ac Bruner bambergensis (45). Maurus vero Hagel theologus dillingianus strenue adeo pro sen-

(39) In op. *Vindiciae Dissertationis, de potestate ecclesiae in statuendis matrimonii impedimentis.* Friburgi 1787. pag. 39. not. 37.

(40) In op. germ. cui titulus latino idiomate: *Consensus legum gallicarum de impedimentis matrimonium cum Verbo Dei.* Confluentibus et Hadamar 1816. pag. 39 seqq.

(41) *Systema theologiae catholicae* tom. VII. Solisbaci 1839. pag. 428 seqq.

(42) *Fundamenta iuris eccles. cathol.* ed. 3. Rotwillae 1826. vol. II. pag. 210.

(43) In op. german. *Manuale iuris matrimonialis quod viget in Austria* tom. II. n. 29.

(44) In op. germ. *Lexicon iuris ecclesiastici* tom. I. p. 114. Herbip. 1830.

(45) In op. germ. *Dogmatica catholica* tom. III. pag. 134 seqq. Francof. 1829.

tentia de sacerdote ministro dimicavit, ut opinionem contrariam *plane absurdam* esse asseruerit, et inter scholasticorum commenta adnumeraverit (46). Georgius Fejer eamdem sententiam tum ex praxi perpetua ecclesiae utriusque, orientalis nempe et occidentalis, per sacerdotalem benedictionem contrahentibus impertitam, tum ex ss. patrum testimoniis evincere adnititur (47). Idipsum pertentavit Berg professor uratislaviensis, qui praeterea exegetice patrum testimonia expendit ad propugnandam sententiam de sacerdote ministro sacramenti matrimonii (48). Stattlerus demum pronunciavit firmis adeo fundamentis inniti sententiam hanc, ut « ea tamquam dogma aliquando definiri ab ecclesia possit, non secus ac conc. tridentinum plane definivit matrimonium esse novae legis sacramentum, eoque gratiam conferri (49).»

Hinc mirum non est si Roskovàny, qui istorum quos recensuimus catalogum texuit, eamdem opinionem fovere videatur dum scribit: «Innegabile esse ultro assevero, primorum iam seculorum patres pro hac ipsa sententia, quod scilicet matrimonii minister sit sacerdos, testimonium perhibuisse, dum necessitatem benedictionis sacerdotalis praedicarunt; cum enim nomina *materiae, formae, ministri* tardius primum in theologiam illata fuerint, non poterant patres rem forte commodius et clarius exprimere, nisi dicendo: nubentes per benedictionem sacerdotis sanctificari (50).»

(46) *Demonstr. relig. Chr. catholicae* tom. II. pag. 212. Augustae Vindel. 1832.

(47) *Matrimonium ex instit. Christ.* Pestini 1838. pag. 29.

(48) In op. german. cui titulus latine: *De necessitate benedictionis sacerdotalis ad sacr. matrimonii.*

(49) *Tract. de matrim.* cap. VII. §. 21.

(50) Op. cit. *De potest. ecclesiae legislat.* sub finem §. 28. Plures alios auctores consulto praetermisimus ex iis, qui hanc sententiam tuentur, cum res molesta accideret omnes velle enumerare, quorum plerique notissimi sunt. Multo vero magis eos omisimus, qui sententias plane singulares sectati sunt, uti Maldonatus, qui *De matrimon.* quaest. I. opp. tom. II. pag. 441 seq. docuit sacerdotem ministrum quidem esse ordinarium, contrahentes vero ministros esse extraordinarios;

Licet vero, uti ex dictis constat, plures theologi Cani adhaeserint sententiae, numquam tamen defuerunt iique non pauci, qui tum ea ipsa, tum maxime posteriori aetate ad haec usque tempora illius opinioni sese acriter opposuerint. Quo factum est, ut antiqua doctrina in scholis catholicis communior semper perseveraverit.

Ac primo quidem insurrexerunt adversus Canum Dominicus Soto, qui eius sententiam prorsus *singularem* appellavit (51). Bellarminus (52), Vasquez (53), Theophilus Raynaudas (54), Simonettus (55), Van Espen (56). Hos deinceps sequuti sunt Marbesius, Pontas, auctor *Theologiae petrocorensis*, *Theologiae gratianopolitanae*, Pothier, redactores *Callationum andegavens.*, Billuart, theologi wirtemburgenses, Sardagna, aliique plures, quos dum s. Alphonsus De Ligorio (57) recenset ac sequitur, horum sententiam *moraliter certam* affirmare non dubitat.

Recentissimi etiam scriptores eamdem adversus Canum sententiam propugnarunt. Ex horum numero est Ferdinandus Walter canonista Bonnensis, qui censet sententiam de presbytero ceu ministro sacramenti matrimonii infirmis nimium rationum momentis niti; contra vero sententiam de contrahentibus uti ministris tum naturae rei congruere, tum validissimis fulciri argumentis (58). Et Henri-

vel eos qui putarunt sacerdotem et contrahentes constituere ministrum totalem, et completum huius sacramenti, quatenus contrahentes suppeditant materiam, sacerdos autem formam. Quae prorsus absurda videntur.

(51) In 4. *Sent.* dist. 26. q. 2. art. 3.

(52) *De matrim.* cap. 7. et 8.

(53) *De matrim.* disp. 3. dub. 5.

(54) In *Heteroclitis spiritual.* puncto 14. opp. tom. XVI.

(55) *Inst. theol.* tom. III. tract. 18. disp. I. art. 2.

(56) *Ius ecclesiast. univ.* tom. I. part. II. tit. 72. c. 3.

(57) Dissert. cit. n. 397.

(58) In op. germ. *Manuale iuris ecclesiast.* Bonnae 1829. §. 310. pag. 563. 565. not. (*o*).

cus Klee (59), et Vernier (60), et D. Carrière, qui etsi neutri sententiae calculum suum adiiciat, profitetur tamen, quod si ferendum sibi iudicium aliquod esset, sua faceret verba celebris theologi Liebermann. Verba porro Liebermann ab ipso relata haec sunt: « Liberum est cuilibet illam sententiam sequi, quam ipse putat veriorem, aut nullam amplecti, cum res in medio relicta sit ab ecclesia. Liceat tamen, quid in hac controversia mihi videatur, sine omni contentione edicere. Habet Cani sententia primo aspectu aliquid, quod eam commendet; verumtamen si res propius perspiciatur, et argumenta sine praeiudicata opinione ponderentur, fateor me magis in oppositam sententiam inclinare (61).» Ita quidem Liebermann, qui praeterea ibidem adiecit: « Diffiteri non possumus huic opinioni (Cani) se adiunxisse omnes ecclesiasticae potestatis osores, omnes qui Iansenii sectam secuti sunt, aut ianseniano fermento turgebant, omnes qui se curiarum civilium partibus addixerunt, aut quoquo modo assentatores facti sunt politicae potestatis. Nolumus tamen his, quae ab extrinseco petita sunt, maiorem vim tribuere, quam oportet, neque iis, qui bono ac sincero animo hanc opinionem sequuntur, aliquid detrahere.» Fatetur siquidem « reperiri viros incorruptae omnino fidei, ac nulla mala suspicione aspersos, in illis in primis regionibus, ubi potestas politica libentius in iura ecclesiae invehit, quibus visum est hac ratione facilius extricari posse multas difficultates, quibus causae matrimoniales ultimis hisce seculis implicatae sunt (62).»

(59) In op. germ. *De matrimonio disquisitio.* Moguntiae 1833. pag. 65.

(60) In op. *Theolog. pract.* n. 820. *De la jurisdiction de l'eglise sur le mariage par un ancien vicaire-général* ch. II. pag. 24.

(61) D. Carrière *De matrimonio.* Paris 1837. tom. I. cap. III. §. 2. n. 144. Exinde patet non satis accurate Roskowany in op. cit. §. 28. not. 152. scripsisse Liebermann propendisse *ad illam de sacerdote qua ministro matrimonii amplectendam* sententiam.

(62) *Institut. Theolog.* tom. V. pag. 357 seqq

At nunc rursum apud recentissimos auctores praevalet antiqua sententia, quae sola tot seculorum lapsu in ecclesia viguit, quod scilicet qui contrahunt ipsi sunt huius sacramenti ministri. Interim ex levi hac historica adumbratione pronum est colligere, nonnullos auctores ex iis, qui Cani sententiam amplexi sunt, ulterius quam par esset, uti ab initio adnotavimus, nimio aestu abreptos, fuisse progressos. Decepti siquidem specie, quam prima fronte exhibet opinio illa, ita in contrariam insurrexerunt, ut eam tamquam *absurdam*, tamquam *omni ratione destitutam*, tamquam *prodentem catholicum dogma* de veritate sacramenti matrimonii, tamquam denique *non ferendam omnino* traduxerint. Quod quam temere fecerint ex iis, quae in huius tractationis decursu dicturi sumus, facile patebit.

ARTICULUS III.

Corollaria ex nova sententia de sacerdote christiani Matrimonii ministro.

Vix dici potest quot quantaque ex Cani sententia perniciosissima consectaria deducta sint ad temerandam sanam de matrimonii christiani doctrinam. Procul dubio clarissimus auctor huiusmodi consectaria non praevidit, multo vero minus intendit, dum novam hanc professus est opinionem; quinimo contra eius intentionem ac mentem illata fuisse dicenda sunt. Sed ea est principiorum theoreticorum natura, ut cum faecunda sunt, paulatim ac pedetentim evolvantur eae, quas in se continent, practicae deductiones. Quod cum multiplici ostendi ratione possit, ne extra argumentum, quod versamus, frustra vagemur, ea potiora consectaria perstringam, quae a non paucis Cani sectatoribus ex statuto principio evoluta sunt.

Ac *primo*. Ex sententia, quod sacerdos sit christiani coniugii minister, ac proinde quod verba, quae ab ipso in iungendis nuptiis proferuntur, sint forma sacramenti,

illico vel ipse Canus intulit posse, imo et debere seiungi in connubio fidelium rationem contractus civilis a ratione sacramenti. Idque necessarium Cano fuit ad suum theorema adstruendum, admittere alioquin debuisset connubia illa omnia sacramenta esse, in quibus actio sacerdotis haud intervenisset, seu haberi sacramentum sine ministro proferente formam, quod esset absurdum ac doctrinae catholicae contrarium (63).

Secundo. Unde alii deducunt ita in connubiis christianis seiungi contractum a sacramento, ut illa constituat materiam quam vocant *remotam* sacramenti, cui accedente forma per verba sacerdotis sacramentum exsurgat, ad eum modum, quo aqua, quae est materia *remota* baptismi, et panis ac vinum, quae sunt remota materia eucharistiae nonnisi per verborum prolationem eius qui abluit, aut sacerdotis consecrantis sacramenta evadunt, iuxta tritum illud Augustini effatum: *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum* (64).

Tertio. Sed alii pari iure intulerunt: ergo cum contractus sive naturalis sive civilis natura sua subiaceat potestati principum, in horum erit arbitrio eas conditiones moderari atque decernere, quae concurrant necesse est, ut legitimus habeatur, prout in ceteris contractibus omnibus usuvenit ad societatis bonum, quemadmodum, uti vide-

(63) Animadvertendum tamen est, ex Cani doctrina eiusmodi distinctionem locum habere in illis coniugiis, quae vel celberata fuerint ante concilii tridentini sess. XXIV. decret. *De reform. matrim.* cap. I. publicationem, vel in locis omnibus celebrarentur, in quibus idem decretum publicatum non est, vel ubi promulgatum fuit iis solis in casibus, in quibus quavis de causa contigerit benedictionem sacerdotalem non haberi. Nam, ut suo loco ostendemus, hanc ipse distinctionem non admisit, saltem expresse, ubi sacerdotis benedictio nubentibus collata fuerit.

(64) Hoc est quod contendunt; et ita exponunt mentem Cani qui ea abutuntur ad temerandum veram ecclesiae catholicae de hoc sacramento doctrinam. An iure vel non id isti contendant, pariter idoneo loco expendemus. Certum enim est plerosque antiquos theologos, qui Cani doctrinae adstipulantur, id inficiari, ut postea videbimus.

bimus, argumentatus est Paulus Sarpius, ac deinde plures alii eius vestigiis insistentes.

Quarto. Quod si talis concedatur esse laicorum principum potestas in contractum coniugalem, qui constituit materiam *remotam* sacramenti matrimonii, pronum erat aliis inferre, quod factum est: ergo ad civiles principes atque ad seculares magistratus spectat efficere, ut materia inepta sit ad sacramentum, adeoque ad eos pertinet statuere impedimenta matrimonium dirimentia, et quidem exclusive, ita ut ius nullum ecclesiae competat illa decernendi.

Quinto. Quapropter, si ecclesia anteactis temporibus impedimenta matrimonium dirimentia constituit, dicendum omnino est, aut eam id effecisse ex tacito, aut expresso principum consensu, aut sibi potestatem non suam usurpasse, medio praesertim aevo, quando ob ignorantiam calamitatemque illius aetatis omnia iura tenebris obvoluta iacerent, omniaque permixta atque confusa essent.

Sexto. Cum praeterea agatur de iure inalienabili, quo fruuntur principes vi propriae auctoritatis, fit, ut si ipsi velint, bonumque reipublicae poscat, vindicare sibi hanc potestatem actu possint, ac propterea corrigere, immutare, nova statuere, et abrogare impedimenta, quae nunc obtinent, ab ecclesia constituta.

Septimo. Ex eodem fonte dimanat, quod alii dixerunt, videlicet ut cum ambae potestates, ecclesiastica nempe atque civilis, saltem per modum unius ad coniugii christiani sacramentum concurrant, debeant pariter per modum unius et pari iure concurrere ad leges ferendas circa eiusmodi matrimonia; vel si id placet magis, ecclesia quidem poterit eas leges condere, quae prospiciunt nuptiarum sanctitati, potestas vero civilis eas ferre, quae valorem contractus attingant, eumque legitimum reddant; erunt scilicet habendae tamquam duae potestates a se invicem

independentes, quae sub diverso respectu idem obiectum attingunt.

Octavo. Ex hac doctrina ulterius progrediuntur qui dicunt potestatem civilem spectare posse subditorum suorum coniugium sub unico respectu contractus sive naturalis, sive civilis, nulla ratione habita ad sacramentum, quod accedit, cuius curam universam permittit ecclesiae; ac proinde decernere posse conditiones, quae ad ipsum moderandum opportunas iudicet, contractumque coniugalem initum a fidelibus, sive a subditis in foro suo firmum ratumque habeat, nullo etiam interveniente religioso ritu. Quod si fideles praeterea ut propriae conscientiae consulant sive ante, sive post consensum coram civili magistratu expressum, petere et excipere benedictionem sacerdotalem velint, id in eorum arbitrio civilis potestas omnino relinquat. Verbo dicam; poterit princeps validum legitimumque decernere matrimonium mere *civile*, quod vocant, ita ut pleno iure contrahentes cohabitare simul valeant, et proles ab iis progenita tamquam legitima coram lege declarata esse censeatur.

Nono. Inde sequitur etiam, quod si fideles contractu civili contenti, negligant, aut etiam nolint sacramentum suscipere, quod ab illo dispesci potest, id eorum arbitrio relinquatur; praesertim cum nulla divina lege, hac in hypothesi, ad illud suscipiendum adigantur; ad summum enim se speciali illa sacramentali gratia privabunt, citra ullum conscientiae piaculum.

Decimo. Hinc concludunt, qui hac sententia abutuntur: cum contractus iste sive naturalis, sive civilis omnimodam firmitatem non habeat, fieri aliquando posse, ut eiusmodi coniunctio maritalis abrumpatur, maxime si finis praecipuus, qui intenditur, obtineri nequeat, qui est prolis susceptio; aut etiam si animorum concordia, aut coniugale debitum, aliaque eiusmodi haberi non possint. Quocirca legislator

civilis, si pro certo habeat in nonnullis rerum, aut personarum adiunctis ad societatis bonum conferre vinculi coniugalis dissolutionem, poterit legem ferre, ut libere solvi possit, ex. gr. in casu adulterii, aliove eiusmodi; siquidem agitur de contractu, qui, in hypothesi, eius subiicitur potestati.

Undecimo. Facile insuper ex his colligunt qui divortiis favent, nihil obesse, quin, dissoluto primo coniugali contractu quoad vinculum, possit quispiam secundam, vivente priori, ducere uxorem; imo et tertium et quartum inire coniugium, anterioribus successive solutis. Etenim nihil est, quod huic agendi rationi obsistat, spectata in se civilis contractus natura; attamen quam turpe hoc sit, quamque abhorreat ab honestatis principiis, nemo est, qui non videat.

Duodecimo. Quod dictum est de matrimonio, subdunt alii, ob rationis paritatem affirmari debet de sponsalibus, quorum moderandorum ius vindicare sibi poterit potestas civilis, utpote quae spectari debeant veluti praeparationes quaedam ad contractum mere civilem ineundum, aut etiam, si lubet, ad contractum, qui debet materiam *remotam* constituere ad sacramentum conficiendum.

Decimotertio. Eadem de causa iidem inferunt, discussio et iudicium causarum matrimonialium, quaecumque eae sint, spectabunt ad tribunalia civilia. Nam si contrahatur tantum matrimonium civile, evidens est ad iudices laicos eas causas exclusive pertinere; si vero nuptiae coram ecclesia celebrentur, hae quoque ad magistratus civiles pertinebunt: utpote quod, spectando civilem contractum distinctum a sacramento, ea etiam materia civili potestati competit eiusque iurisdictioni subest. Ad summum ius civile dimittet iudicibus ecclesiasticis causam dicere circa effectus mere spirituales, quique sanctitatem tantummodo sacramenti attingunt; praecisione facta a contractu mere civili.

Decimoquarto. Demum concludunt, universa propemodum legislatio canonica evanescet circa christiana connubia, eique sola legislatio civilis sufficietur, si, uti animadvertimus, illam unice partem excipias, quae afficit dispositiones quae ad sacramentum rite suscipiendum requiruntur.

Talia sunt praecipua corollaria, quae ex Cani sententia haud pauci etiam inter catholicos deduxerunt contra mentem, ut diximus, auctoris, qui profecto longe ab eiusmodi doctrinis aberat, neque praevidit in quam malam partem maleferiati homines sententia hac sua fuissent abusuri. In eiusmodi enim consectariis evolvendis, quae profecto ex Cani sententia legitime non descendunt, praecipue excelluerunt, qui aulici scriptores audiunt, qui nempe ex assentatione erga principes veriti non sunt causam catholicam prodere; etiam pseudo-politici, qui prae gaudio exiliunt quoties ecclesiae catholicae, ac sedis apostolicae iura invadere possunt, ut illa in principes transferant. Exinde etiam profluxerunt, quae synodus pistoriensis constituit circa impedimenta matrimonium dirimentia; quae circa matrimonium civile alicubi tentata sunt; quae circa divortia, aut polygamiam variis in regionibus ingenti publicae honestatis iactura, et morum corruptela agitantur, aliaque eiusmodi mala non pauca, quae hisce temporibus magis ac magis in dies crescunt et dilatantur.

Quapropter, ut perniciosae eiusmodi doctrinae quantum in nobis erit obsistamus, huc conatus dirigemus omnes, ut eam radicitus extirpemus et convellamus. Itaque ex hac brevi futurae tractationis adumbratione, iam progredimur ad exponenda utriusque sententiae de ministro fundamenta; quae deinceps per quamdam crisin expendemus, ut veritas suo in lumine collocetur. Quod ut plenius obtineamus, argumenta singillatim proferemus sive ex Bibliis, sive ex patribus, sive ex alio quovis theologico fonte deprompta,

prout ab alterutrius sententiae patronis in medium allata sunt. Constanter autem exordiemur a Melchiore Cano, qui sententiae de sacerdote sacramenti matrimonii ministro propugnatorum agmen ducit. Argumentis autem a Cano prolatis ea adiiciemus, quae ab aliis deinde excogitata sunt. Simili ratione argumenta ex ordine proferemus et expendemus pro altera sententia, quae contrahentes docet esse christiani matrimonii ministros.

CAPUT III.

ARGUMENTA AFFERUNTUR PRO SENTENTIA DE SACERDOTE CHRISTIANI MATRIMONII MINISTRO

ARTICULUS I.

Argumenta Biblica.

Ac primo quidem quod spectat ad argumenta biblica, frustra est ab huius sententiae assertore Cano sacrarum litterarum testimonia quaerere; quum ne unum quidem Scripturarum locum ab eo allatum invenerim, ex quo ipse sententiam suam vel hauserit primo, vel deducendo confirmarit.

Verum quod Canus non habet, id invenerunt scriptores recentiores, qui Cani sententiam sequuti sunt. Nam urgent fere omnes theologi huius sententiae patroni, quod legitur I. Cor. IV. 1. « Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et *dispensatores mysteriorum Dei*.» Iam vero, aiunt, nemo est qui dubitet hac phrasi *mysteriorum Dei* designari *sacramenta* novae legis; cum igitur horum sacramentorum universim sacerdotes ab Apostolo aperte dispensatores appellentur, consequens est, ut quemadmodum ceterorum, ita et sacramenti matrimonii sacerdos dispensator sit, et minister.

Imo Marianum Dobmayer affirmantem legimus, sententiam, quae sacerdotem sacramenti matrimonii ministrum

docet e natura sacri ministerii profluere, vi cuius *dispensatio mysteriorum Dei* sacris ministris generaliter adserta est, a qua, *ut in uno* recedatur sacramento, nullum seu s. Scripturae, sive prima ecclesia fundamentum praebent. Itaque hic auctor assumit ex allato testimonio sacerdotem connubii christiani ministrum declarari. Et ita porro auctores reliqui eadem plane ratione ex hoc paulino textu rem suam conficiunt, quin necesse sit singulorum verba describere, quae tandem eodem recidunt.

Cum vero hoc solum sit documentum, quod ex Scriptura depromitur, non est quod diutius in hac inquisitione detineamur.

ARTICULUS II.

Argumenta traditionalia.

Traditionalium argumentorum nomine intelligimus documenta, seu media illa, per quae ad nos antiqua traditio pervenit, atque nobis eadem traditio innotescit. Eiusmodi porro instrumenta censentur esse veterum patrum atque scriptorum ecclesiasticorum effata ac testimonia, romanorum pontificum et conciliorum, oecumenicorum praesertim, decreta atque sanctiones, ac universae demum ecclesiae praxis.

Sane haec sunt documenta illa, quibus ad adstruendam thesim suam utitur Canus, cuius verba iam describo, quaeque ita se habent: «Ac patrum quidem memoria matrimonium proprie esse sacramentum, ita demum proditum est, si sacerdotis ministerium interveniat. Sic Calixtus in Epist. ad omnes Galliarum episcopos prodit I. q. 4. cap. *Consanguineorum*. Sic Ciricius ad Comerium tarraconen. episcopum, cap. 4. Sic Nicolaus, 31. quaest. 2. cap. *Lotharius*. Sic Hormisdas, Evaristus, Isidorus, quos refert Gratianus 30. q. 5. prodidere. Sic concilium carthaginen. IV. c. 13. referturque 30. q. 5. c. *Sponsus*. Sic concilium lugdu-

nense, et refertur 25. qu. 3. c. *Nulli*. Sic concilium lateranense *De simonia* c. *Cum in ecclesiae corpore*. Sic concilium constantiense sub Martino V. in fine concilii. Sic Clemens *De privileg. Religiosi*. Sic Ambrosius lib. I. Epistolarum ep. I. quae scribitur ad Vigilium. Quorum ego testimonia non adscribo, nec expendo. . . Certe Evaristus in Epist. suorum decretorum matrimonium clandestinum sine sacerdote contractum, tantum abest, ut sacramentum ecclesiae fateatur, ut adulterinum etiam contubernium appellet.»

Post haec recurrit Canus ad iurisperitorum sententiam, quorum iudicium hac in parte praefert iudicio scholasticorum, eo quod illi negaverint matrimonium gratiam conferre; «quod profecto, ait Canus, intelligunt de contractu civili, quem latius usurpato vocabulo sacramentum appellant. At cum administratio sacerdotalis accedit, non obscure iurisperiti tradunt, per actum sacerdotis consecrantis coniugium gratiam conferri, ideoque non licere pro eo pecuniam accipere, quia sacramentum ecclesiasticum est.»

Subsequentes auctores his addunt testimonia patrum, qui constanter gratiae conferendae vim sacerdotali benedictioni tribuunt; nominatim vero proferunt Tertullianum, qui lib. II. *Ad uxor.* cap. VIII. «Unde sufficiamus, inquit, ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et *obsignat benedictio?*» Proferunt item Clementem alex. qui lib. II. *Stromat.* loquens de matrimonio «Eorum, qui *sunt sanctificati,* ait, sanctum quoque, ut puto, semen est. Ac nobis quidem debet esse sanctificatus, non solum spiritus, sed et mores, et vita, et corpus (1);» nec non s. Ambrosium Epist. XIX. ad Vigilium scribentem: «Cum ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest coniugium dici, ubi non est fidei concordia? (2)» tum

(1) Edit. Venet. Potterii tom. I. pag. 532. collat. lib. IV. §. 12. pag. 602.
(2) Ed. Maur. tom. I. col. 841 seq.

etiam s. Innocentium I. qui in epist. III. ad Victricium. « *Cum benedictio,* inquit, *quae per sacerdotem super nubentes imponitur,* non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis a Deo antiquitus institutae doceatur (3).» Et iterum epist. XXXVI. ad Probum, in qua edicit: «Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse coniugium, quod primitus erat divina gratia fundatum (4);» Timotheum item patriarcham alexandr. qui ad interrogat. XI. « Si quis clericum vocaverit ut matrimonium coniungat, audiat autem esse illicitum matrimonium . . . debetne sequi clericus vel facere oblationem? *Resp.* Uno verbo dicite, si audiverit clericus illicitum matrimonium: si ergo est illicitum, et legibus contrarium, non debet clericus alienis peccatis communicare (5).» Nec non Synesium episcopum cyrenensem, qui epist. CV. ad fratrem suum scribebat: «Mihi igitur et Deus ipse et lex, et sacra Theophili manus uxorem dedit (6).» Demum laudant Augustinum, qui in epist. ad Rusticum, qui ab ipso petierat ut puellam quamdam christianam in coniugium filio suo adhuc ethnico permitteret, rescripsit: « Si tu, cum certissime noveris, etiamsi nostrae absolutae sit potestatis, quamlibet puellam in coniugium tradere, tradi a nobis christianam nisi christiano non posse . . . quidquam de illius puellae connubio spondere non debeo (7);» et s. Gregorium nazianzenum, qui in epist. LVII. ad Procopium loquens de nuptiis, quibus interesse non potuit quamvis ad eas invitatus, ait; « Nam alioqui quantum ad voluntatem attinet, et adsum et simul festum celebro *Iuvenilesque dextras inter se iungo atque utrasque Dei manui.* (8).»

(3) Apud Coustant *Epist. rom. pontificum* col. 751.
(4) Ibid. col. 910.
(5) Apud Harduin *Acta concil.* tom. II. col. 1194.
(6) Opp. Synesii ed. Petav. Paris. 1633. pag. 248.
(7) Epist. CCLV. ed. Maur.
(8) Ed. Prunaei Paris. 1630. tom. I. pag. 815.

Haec autem patrum testimonia sunt, quae ad rem suam protulit atque exegetice expendit doctor Berg professor uratislaviensis (9). Quibus alii subnectunt patrum et conciliorum usitatas loquendi formulas, quibus traditur; *benedictione iugum imponi;* coniugium *obsignari* ac *sanctificari oportere:* pro *ipsius benedictionis reverentia* virginitatem prima nocte servandam: *instar sacrilegii* esse, si ulla transgressione violetur; *sine illa* coniugium esse tantum *humanum officium,* imo et periculum esse, ne habeatur *instar fornicationis.* Ita Tertullianus, s. Basilius, s. Cyrillus alex. s. Ambrosius, concilium carthagin. IV.

Et sane, ut de nonnullis istis dicamus, Tertullianus his verbis benedictionis necessitatem declarat. « Ideo penes nos occultae quaedam coniunctiones, id est non prius apud ecclesiam professae, iuxta moechiam et fornicationem iudicari periclitantur (10). » S. Basilius de matrimonio agens: « Iugum, inquit, per benedictionem impositum distantium sit coniunctio (11). » S. Siricius in epist. ad Himerium tarracon. subdit: « De coniugali autem velamine requisisti, si desponsatam alii puellam, alter in matrimonium possit accipere. Hoc ne fiat modis omnibus inhibemus, quia *illa benedictio,* quam nupturae sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur (12). » S. Cyrillus alex. scribit: « Ipse Christus invitatus (ad nuptias) venit ut... generationis principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut qui naturam ipsam hominis renovaturus erat... non solum iis, qui iam in ortum vocati erant, benedictionem impertiretur, sed et iis quoque, qui postea nascituri essent, gratiam praestrueret, et eorum ortum

(9) Op. et loc. cit.
(10) Lib. *De pudicit.* cap. IV.
(11) In *Hexaèmeron* hom. VII. tom. I. pag. 68. ed. Maur.
(12) Epist. I. ad Himer. c. IV. apud Coustant *Epist. rom. pont.* col. 628.

sanctum efficeret (13).» Concilium vero carthagin. IV. statuit cap. XVI. « Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel paranymphis offerantur. Qui cum benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant (14).»

Neque his contenti, urgent decretum sub Evaristi nomine a Gratiano vulgatum XXX. qu. 5. c. 1. *Aliter*. « Aliter legitimum non sit coniugium nisi. . . . uxor petatur . . . et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur. . . Ita peracta, legitima scitote esse connubia: aliter vero praesumpta, non coniugia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, aut fornicationes. » Licet vero eiusmodi decretum minime sit genuinum, refert tamen antiquae ecclesiae sensum, illius nempe aetatis, in qua decretum ipsum suppositum est et confictum.

Urgent praeterea Theodorum Studitam, cui cum proposita esset a Mancratio quaestio num digami benedici et coronari possent, respondit epistola L. « Quaestio tua de digamis fuit, quod de eorum coniunctione dubitatum fuerit, coronarine sicut monogami debeant, an non? Et quonam pacto, siquidem hoc fiat, coniungantur, sacerdote illos minime copulante. » Cum vero pluribus ostenderit coronari, seu benedici haud debere digamos, pergit dicens: « Quaeres forsitan: quomodo ergo coniungantur, » respondetque: «*Humanis officiis* sicut et trigami, et polygami (15),» nempe sine sacramenti collatione perque solum contractum naturalem, aut civilem.

Ex his autem aliisque similibus patrum, conciliorum, scriptorumque ecclesiasticorum documentis colligunt, manifestum omnino esse sensum totius antiquitatis vel ab ipsa ae-

(13) Lib. II. in Ioan. c. I. opp. tom. IV. pag. 135. ed. Paris. 1638.
(14) An. 398. Apud Harduin tom. I. col. 980.
(15) Apud Sirmondum, opp. ed. Paris. 1696. tom. V. pag. 352-355.

tate apostolica fuisse, benedictioni sacerdotali, qua nuptiae cohonestantur, adnexam fuisse divinam gratiam, adeoque, quod consequens est, non alium agnoscendum christiani connubii ministrum esse praeter sacerdotem. Alioquin duo non exigui momenti sequerentur incommoda; quod prius reddi nullo modo ratio posset, quare patres et concilia tot praeconiis extulerint hanc sacerdotalem benedictionem, si eam nonnisi uti ritum, aut vacuam ceremoniam spectassent, adeo ut ob eius reverentiam se continere coniuges prima nuptiarum nocte debuerint; quod deinde vix, aut ne vix quidem probari posset adversus heterodoxos dogmatica de sacramento matrimonii veritas, si de inani ceremonia conciliorum et patrum testimonia accipi fas esset. Quae quidem maius adhuc robur accipiunt, si attendatur, quod veteribus ignota prorsus essent *materiae* et *formae* vocabula, quae nonnisi saeculo XII. in scholis obtinuerunt. Cum igitur voces istae patribus ignotae fuerint, dicendum est eos hoc idem, quod scholastici, per eas formulas voluisse exprimere, quum generalibus illis verbis usi sunt, videlicet *sanctificationis, obsignationis,* aliorumque eiusmodi, prout animadvertit doctus Benedictus Stattler (16).

Ad haec accedit, quod sacramentalia omnia antiquissima, rituales libri omnes ecclesiae latinae, sive occidentalis, euchologia ecclesiae orientalis universae exhibeant constanter sacerdotem iungentem connubia christiana, variis ritibus pro diversa aetate, ac diversis locis usu receptis; praesertim vero benedictione ac precibus, quibus a Deo super nubentes *gratiam, pacem* ac *foecunditatem* implorent (17). Quae profecto evincunt numquam non existimasse ecclesiam, per sacerdotem coniugii sacramentum administrari, et gratiam conferri.

(16) *Theolog. christian.* tom. VI. n. 622.

(17) Cf. apud Marten. *De antiquis ecclesiae ritibus* lib. I. part. II. cap. IX. art. 3. Nec non Goarium in *Euchologio* pag. 380. *Ordo in sponsalibus celebrand.* et Renaudotium: *Perpétuité de la foi* tom. V. livr. VI. chap. II seqq.

Sane concilium lateranense III. an. 1179. vetat quominus sacerdos quidpiam recipiat *pro benedicendis nuptiis, seu aliis sacramentis conferendis*, prout refertur cap. *Cum in ecclesia* IX. *De simonia*. Cum proinde concilium benedictionem sacerdotalem in nuptiis conferat cum ceterorum sacramentorum administratione, satis aperte indicat eodem in censu habere eiusmodi benedictionem. Verum clarius adhuc idipsum profitetur *Sacerdotale romanum* anno circiter 1494. editum, in quo legitur: « Sacerdos pronuntiet verba, *quae sunt forma sacramenti.* » Iam vero si sacerdotis est sacramenti formam pronunciare, ecquis dubitet eum huius sacramenti administrum esse?

Atque haec praecipua sunt antiquitatis documenta, quae ab huius sententiae patronis congesta sunt, quaeque nos magna solertia ex ipsis deprompsimus atque contulimus (18).

ARTICULUS III.

Argumenta Theologica.

Post documenta ex antiquitate deprompta, ad argumenta ex ipsius theologiae fontibus sive ex rei ipsius visceribus petita se recipiunt eiusdem sententiae adstipulatores. Imo Canus ab his disputationem suam exorsus est, hisque vehementer innititur. Quandoquidem autem fusiori ea calamo est prosequutus, operae pretium ducimus, si ea omnia, quae ab ipso disputata sunt, tamquam in compendium hunc in locum referamus.

Ac primo sibi viam paravit contendendo, matrimonium quod sine ecclesiae ministro contractum sit, id numquam certo constantique scholae suffragio habitum fuisse ceu verum et proprium sacramentum; neque eam rem ad fidem et religionem attinere; neque omnes scholae theologos id asseruisse. Quibus disputatis, totus in eo est ut ostendat,

(18) Cf. etiam Roskovàny op. et loc. cit. Item Carrière op. pariter et loc. cit.

matrimonium sine sacerdotis interventu minime esse sacramentis accensendum, idque conatur evincere tum argumentis a ratione, tum a testimoniis, tum denique ex sacramentorum natura depromptis.

Sane sacramentum, ut eius natura postulat, non modo signum efficax gratiae esse debet, sed praeterea signum sacrum religionis; tale porro non est mutuus viri ac mulieris consensus, sed matrimonium profane contractum.

Insuper ex florentino concilio sacramenta omnia novae legis *tribus perficiuntur*, videlicet, *rebus tamquam materia*, *verbis tamquam forma*, *et persona ministri conferentis sacramentum*. Iam vero in matrimonio, de quo agitur, nullus est sacramenti minister: nullum ergo est sacramentum. Nec enim audiendi sunt qui putant virum ac mulierem esse posse sibi invicem ministros.

Praeterea, vel ipsorum fidelium insitum animis est nequaquam se esse sacrilegos, si in statu gratiae non sunt eo tempore, quo sic profane contrahunt; quod sane indicium est eos ceu sacramentum contractum illum minime habere.

Ad haec, Augustinus in epist. ad Bonifacium tradit oportere res ipsas corporeas, quibus sacramenta constant, imaginem et similitudinem gerere eius sanctificationis, cuius signa et causae esse dicuntur, ut ablutio in baptismo, refectio spiritualis, quam referunt panis ac vini symbola; matrimonium autem huiusmodi civile et profanum nec sanctificationis imaginem gerit, nec ad sanctificandum sub quadam exterioris sanctitatis specie exhibetur; non est itaque proprie sacramentum.

Praeterea conc. florentinum docet omnia sacramenta verbis constare tamquam forma, qua perficitur sacramentum. Incredibile est autem a forma non sacra posse sacramentum perfici. Atqui in matrimonio, quod civili ritu ac profano contrahitur, nulla verba sacra sunt; nulla igi-

tur est ibi sacramenti ne facies quidem. Illa enim verba: *Ego te accipio in meam etc.* omnino naturalia sunt, atque omnibus usurpata gentibus, quae etiam sine fide cotrahunt.

Adde, quod forma sacramenti significat eum spiritualem effectum, cuius causa sacramentum esse dicitur. Nam sacramenta, ut in scholae proverbio est, efficiunt quod figurant. Significatio autem sacramenti in forma vel maxime elucet: illa vero verba: *Ego te accipio in meam,* nullius effecti spiritualis signa sunt.

Verba insuper, quae sunt sacramentorum formae, divina institutione praescripta et determinata sunt, neque possunt hominum arbitrio immutari. At verba, quibus matrimonium contrahitur, ea ratione qua diximus, neque certa omnino sunt et definita; imo innumeris loquutionum formulis iisque non synonimis, sed variis ac dissimilibus efferri a contrahentibus pro arbitrio possunt: igitur non possunt ea verba, quibus utuntur sponsus et sponsa ad contrahendum pro christiani sacramenti constituta forma accipi et censeri.

Praeterea, nemo nescit verba, quae formam sacramentorum constituunt, ea esse, pro quibus si vel nutus vel scriptura, vel aliud quodlibet signum substituatur, inanis actio omnino reddatur. Iam vero concedunt omnes sacramentum matrimonii valide a contrahentibus confici, quum pro verbis, nutum adhibent vel scriptionem unde consensus innotescat. Quod quidem si quis recte consideret, non leve argumentum est, quo verba contrahentium huius sacramenti materiam magis quam formam constituere dicantur. Idque eo vel magis, quod pro verbis quae materiae vicem habent, intelligitur qua ratione nutus aliaque signa substitui quandoque possint; pro verbis autem, quae formae vicem teneant, poni nullo modo possunt, quemadmodum in poenitentiae sacramento facile cernitur. Verba igitur contrahentium, quum eiusmodi sint ut

pro iis signa quaevis alia substituere liceat, ad materiam fortasse sacramenti, numquam vero ad ipsius formam pertinere posse dicenda sunt.

Iam vero quis non videt, falsa omnino esse et commentitia quae iuniores theologi confinxere, ut civilem hunc humanumque contractum Christi et ecclesiae sacramentum esse tuerentur? Quorum quidem pleraque infidelibus valde nugatoria sunt, fidelibus autem parum solida. Ex his enim theologis facile invenies, qui vel contrahentes ipsos, vel ipsorum consensum, vel gestus ipsos eorum ac nutus pro forma huius sacramenti accipiant; quique inter contrahentes sic distinguant, ut eius, qui prior loquutus sit, verba materiam dicant, alterius vero qui responderit, formam.

Quid? quod materiam nobis et formam sacramenti quaerentibus, hoc est, res quasdam religione sacras, hi de forma materiaque contractus profani naturalisque respondent? Nam si cum ethnicis de pacti illius conventionisque materia et forma controversia nobis esset, non aliter profecto illi ac nostri theologi loquerentur. Et sane: quis sibi tam facile persuadeat materiam et formam civilis naturalisque contractus, quae apud omnes gentes ex communi omnium tum fidelium tum infidelium iure perpetuo viguerunt, eamdem omnino materiam et formam esse, quibus integra et perfecta nostrae religionis constituantur sacramenta?

Tandem si haeretici argumententur: matrimonium cum sacris ceremoniis, cum sacra materia, cum sacra forma a sacro ministro administratum, quemadmodum in ecclesia romana semper usque ab apostolis administratum est, si hoc, inquam, argumententur, sacramentum ecclesiae non esse; tunc catholicus respondeat fidenter, animose defendat, secure contra pugnet. Poterit enim consentaneas causas omni poscenti reddere de ea, quae est in ecclesia firma, perpetua, constansque doctrina. Poterit fidem quoque no-

stram et insinuare fidelibus, et graviter ab infidelium calumniis vindicare.

Eiusmodi sunt argumenta, quae ex theologicae disciplinae penu attulit Canus ad suam firmandam stabiliendamque sententiam de connubii christiani ministro, deque distinctione profanum inter ac civilem contractum, et sacramentum inter fideles. His, quae ex Cano retulimus, qui eius opinionem sequuti sunt non pauca adiecerunt, quae negligenda minime esse censuimus.

Praecipua haec sunt; ecclesia aliquando indulget, ut coniugia mixta inter catholicum et acatholicam celebrentur, et viceversa inter acatholicum et catholicam; iam vero si contrahentes essent huius sacramenti ministri, in duplex incurrerent sacrilegium, quod alteruter e duobus patraret.

Addunt, talem consensum per signa externa expressum haud esse posse sacramenti formam inde aperte suaderi, quod ante tridentinum copula sponsalia subsequens praesumptione *iuris* et *de iure* perficeret matrimonium; nemo porro nisi absurde dixerit hanc fuisse sacramenti formam (19).

Praeterea; extra omnem fere controversiam est, haud pauca christianorum coniugia necessario exposcere distinctionem inter contractum et sacramentum, adeoque non omnia christianorum matrimonia vera esse sacramenta, prout contendunt, qui contrahentes ministros esse huius sacramenti autumant. Etenim talia censenda sunt ea, quae ante tridentinum obtinebant, quaeque tacita, seu praesumpta vocabantur, ut in specie cap. XV. 21. coll. XIV. cap. XXX. et XXXII. *De sponsalibus;* haec autem oriebantur potissimum ex diuturna eorum cohabitatione, qui mutuo sese haberent tamquam virum et uxorem. Quo in casu nemo facile percipit, quomodo, vel quo tempore sacramentum aut

(19) Ita Carol. Blascus in op. *Opuscoli canonici storici critici.* Napoli 1758. tom. I. Diatriba V. *De secundis nuptiis* pag. 252 seqq.

susciperetur, aut ministraretur, praesertim si ratio habeatur canonis 4. et can. 32. quaest. 2.

Talia quoque haberi debent coniugia in infidelitate legitime inita, quando postea ambo coniuges matrimonio iam coniuncti per baptismum ecclesiae adscribuntur. Horum matrimonium post baptismum sacramentum evasisse quis dixerit? Quousque enim consensum suum in conspectu ecclesiae coniuges isti non renovaverint, vigebit quidem contractus coniugalis, sacramentum autem non habebitur.

Quid si fingas coniuges illos non eodem tempore baptizari? Eo maioribus hac in hypothesi, quae tamen infrequens non est, difficultatibus res obnoxia esse dicenda est: nam cum sacramentum non sit nisi in utroque coniuge, non liquet quomodo in baptismate unius possit esse sacramentum coniugii etiam in altero, qui adhuc baptismate lustratus non est; aut quomodo in baptismate alterius incipiat esse sacramentum in utroque, quando is, qui antea baptizatus est, forte de conferendo non cogitet. Ex qua animadversione quisque intelligit illorum theologorum concidere sententiam, qui ad evadendam difficultatem reponunt, matrimonium infidelium, qui postea ad religionem se christianam convertunt, ex mero contractu fieri sacramentum ipsa baptismi susceptione.

Nunc iterum finge matrimonium celebrari inter baptizatum, et catechumenam, legitima accedente dispensatione. Hoc profecto in casu contractus sine sacramento erit agnoscendus. Quod si quispiam dixerit sacramentum ex parte baptizati haberi, non minuitur, sed potius augetur difficultas; tunc enim is, qui ita sentiat, urgetur ut indicet, quo ministrante sacramentum baptizatus acceperit, et quomodo fieri possit edicat, ut catechumena, quae impar est ut sacramentum suscipiat, ea par fiat ut conferat sacramentum. Exemplum ductum ex baptismo collato etiam ab infideli non suffragatur iis, qui ita sentiunt, cum agatur

de sacramento ad salutem necessario, quod de sacramento matrimonii dici nequit.

Accedunt et alia coniugiorum exempla, ex quibus ratio contractus a ratione sacramenti dividitur, connubia nempe aut per epistolam, aut per procuratorem contracta, in quibus facile nullum conferri sacramentum agnoscitur, licet valere contractum nemo inficietur cap. ult. *De procurator.* in 6., prout paucis, at energice demonstravit Canus scribens: « Non igitur ecclesia docet, quodlibet fidelium matrimonium sacramentum esse; nisi quis adeo desipit ut Caietanum damnet, qui et probabilissime et, me quidem iudice, verissime, matrimonium, quod inter absentes per litteras, procuratoresque contrahitur, sacramentum esse inficiatus est. Nam qui in hoc Caietanum errasse clamant, hi non intelligunt nec quae loquuntur, nec de quibus affirmant. Quod si nullo idoneo, et necessario argumento, sed stultis, turbulentisque clamoribus alienas refellere sententias pergunt, atque adeo damnare, quae probabiliter, et vere dicta sunt, tum nos quiete, et silentio taciti illorum stultitiam, amentiamque videbimus. Concedant illi, unum pro altero sacramentum sumere, cum pro altero contrahit. Concedant, sacramenta Christi absentibus administrari, eisdemque gratiam conferre et peccata remittere. Nos enim, quoniam haec absurda sunt, concedere potius volumus, eiusmodi contractus, qui inter absentes transiguntur, matrimonia quidem verissima esse, vera sacramenta nullo modo.»

Quod si ecclesia hos ita coniunctos non urget praecepto ut se coram sacerdote sistant, ut per eius benedictionem sacramentum suscipiant gratiamque consequantur, duplici id ex causa repeti debet; tum nempe quia controversia adhuc viget inter theologos num in his coniugiis ratio sacramenti admittenda sit, aliis refragantibus, aliis vero affirmantibus; quo existente opinionum conflictu,

ecclesia prudenter a cogendis fidelibus ad renovandum coram sacerdote consensum abstinet; tum quia plura, si id generali sanciretur lege, orirentur incommoda (20).

Robur huic argumento accedit non minimum ex illis matrimoniis, quae *in radice* sanari, seu convalidari dicuntur, cum scilicet matrimonium, quod ex aliquo vitio occulto irritum foret, cum initum est, ab ecclesia per dispensationem ab occulto eiusmodi impedimento, ratum validumque fit vi consensus moraliter perseverantis, nulla vel alterutrius, vel utriusque quandoque coniugis renovatione consensus. Quo in casu exurgeret sacramentum insciis contrahentibus, seu ministris, quod absurdum plane est; nullum vero esset absurdum, si contractum solummodo exurgere diceretur (21).

Idem dic de illis coniugiis, quae vel ab haereticis contrahuntur coram solo magistratu civili, vel a catholicis, qui connubium quidem ineunt coram ecclesia, sed absque intentione conficiendi sacramentum, de quo ne cogitant quidem, cum ignorent se huius sacramenti esse ministros. Imo plerumque nonnisi carnalia mente volvunt, dum se mutuo consensu obstringunt (22). Quamobrem mirum esse non debet si Benedictus XIV. in celeberrimo opere *De synodo dioecesana* lib. VIII. cap. XIII. n. 4. sententiam, quae adstruit sacerdotem esse huius sacramenti ministrum *valde probabilem* edixit.

(20) Ita Sebast. Berardi in *Comment. in ius ecclesiast. universum* tom. III. diss. I. q. 3. Taurini 1767. pag. 28 seqq.

(21) Ita Boyer apud Carrière op. et loc. cit.

(22) Haec potissima ratio est, qua permotus est Stattler ut assereret, dogmatice ab ecclesia definiri posse sacerdotem ministrum esse sacramenti matrimonii, prout antea retulimus.

CAPUT IV.

EXPENDUNTUR ARGUMENTA ALLATA PRO SENTENTIA DE SACERDOTE CHRISTIANI MATRIMONII MINISTRO.

ARTICULUS I.

Argumenta Biblica.

Maiori qua nobis datum est perspicuitate ac vi proposuimus argumenta, quae tum Canus, tum eius asseclae in medium attulerunt ad evincendam sententiam de sacerdote coniugii christiani ministro. Atque ut fideliori ratione id praestaremus, ea deprompsimus ex ipsis scriptoribus, qui huic opinioni addictos se maxime ostenderunt, et quoad eius fieri potuit, ipsis eorum verbis usi sumus, ne quid roboris amitterent, ac ne validiora dissimulare videremur. Nunc autem eodem animi candore ea expendere, atque excutere aggredimur, ut veritas suo in lumine collocetur. Ut autem ordine progrediamur, examen criticum auspicabimur ab argumentis biblicis excutiendis, quo absoluto, ad expendenda argumenta traditionalia, ac demum argumenta theologica gradum faciemus.

Ex Bibliis, ut suo loco monuimus, nullum pofert testimonium Canus, neque ad ea omnino appellat. Superest igitur, ut examini subiiciamus ea, quae ex sacris litteris protulerunt qui hac in controversia suppetias Cano ferre adnisi sunt. Iam vero omnes quotquot sunt unicum dumtaxat paulinum urgent textum ex I. Corinth. IV. 1. in quo Apostolus vocat sacerdotes *dispensatores mysteriorum Dei*. Hoc unicum proferunt testimonium, in hoc uno confidunt: verum quam leviter rem quam volunt conficiant, quisque facile sibi persuadebit, qui advertat 1. hoc in loco *mysteriorum* nomine, praecise non *sacramenta* Apostolum designare, sed praedicationem mysteriorum fidei, seu evangelicae doctrinae; quod orationis continuatio manifeste ostendit, et Apostoli ratio postulat. Sibi enim Paulus pro-

posuit modum praescribere Corinthiis, quos evangelici praecones prossequerentur, cum alii eos nimis extollerent, alii contra nimis deprimerent. Quapropter Apostolus eos docet existimandos ut *ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei* (1). Si quis vero animadvertat 2. Apostolum in capite praecedenti et in praesenti nullimode de sacramentis verba facere, sed unice de iis, qui verbum Dei praedicabant, in quibus Corinthii eloquentiam et humanam scientiam exposcebant, ita ut parvi haberent Apostolum eorum nonnulli, eo quod eis praedicaret *Iesum Christum* tantum *et hunc crucifixum*. Longe proinde erat ab Apostoli mente loqui de sacramentorum administratione.

Non tamen contendimus Apostolum sacramenta excludere voluisse a generica *mysteriorum* voce, cum nulla ad ea excludenda ratione moveretur. Quo sensu catholici exegetae Pauli textum *etiam* de sacramentis exponunt, quatenus et haec administrari consueverint a ministris verbi Dei. Verum non ita se gerunt interpretes, quasi praecipue de his loqueretur Apostolus. Sane vel ipse Estius, qui amplexus sententiam Cani, in Commentario in hunc, quem versamus, locum, sic eum enarrat: « *Dispensatores mysteriorum Dei*... Mysteria quidam interpretantur sacramenta novae legis, id est sensibilia signa ad sanctificationem nostram a Christo Domino instituta, quorum primum est baptismus. Sed cum ipse Paulus dixerit I. cap. *Non misit me Dominus bapti-*

(1) Ita Cornel. a Lapide, Calmet, Tirinus, Bernardinus a Piconio, aliique passim catholici interpretes. Neque ab his dissentiunt interpretes protestantes ac rationalistae, quos inter unum commemoro I. G. Rosenmullerum, qui in scholiis in hunc loc. ita scribit: « Ostendit nunc Apostolus, quo loco haberi debeant quibus Corinthii hactenus iusto plus vel minus tribuerunt 11, 12. 3, 6....*Nos esse ministros Christi*, minime dominos vestros I. Petr. 5, 9. simul tamen erigit, quos deiecisse videri poterat c. 3, 7.... *Mysteria* non sunt *sacramenta*, quae vocantur baptismi et sacrae coenae, sed doctrinae religionis christianae, quae *occultae* vocantur, quia omnibus hominibus ignotae essent, nisi Deus revelasset. Doctorum est, has doctrinas ex voluntate Domini tradere, non excogitare novas tamquam ad salutem aeternam necessarias.»

zare, sed evangelizare, rectius est, ut mysteria Dei intelligantur fidei nostrae dogmata a Deo revelata. Quae quidem *mysteria* dicuntur, quia secreta sunt, ut absque revelatione cognosci nequeant... Non tamen ab his mysteriis sacramenta novae legis separamus, sed pariter sub iis, ut signa corporalia gratiae spiritualis efficacia comprehendimus. Quorum proinde dispensatio ad eosdem Christi ministros pertinet.»

Cum igitur textus fundamentalis, imo unicus huius sententiae directe non attingat sacramentorum administrationem, sed evangelicam praedicationem, patet haud posse Cani sectatores illi adeo fidenter inniti, ut eum opponant tamquam praecipuum contrarii placiti sectatoribus, prout ipsi faciunt. Attamen praeter hoc, nullum ipsis suppetit biblicum testimonium, quod proferant.

Quoniam vero, uti nonnulli interpretes animadvertunt, ab hac universali propositione non excluduntur ab Apostolo etiam sacramenta, ideo et ad hoc ipsis eripiendum effugium, adnotamus illa non excludi sacramenta, quorum administratio Evangelii praeconibus concredita est. Cum proinde quaestio agitatur num coniugii christiani sacramentum ex illis sit, quorum administratio iis est demandata, plane consequitur Cani sententiae patronos ex hoc textu nihil proficere, nisi assumant quod est in controversia positum. Tanto magis quod propositiones *aientes*, ut loquuntur logici, seu positivae et affirmantes, non sint universales, prout negantes atque excludentes.

Accedit quod lateat aequivocatio in voce *dispensationis,* seu administrationis sacramentorum, quam sumi tum possit pro sacramentorum *confectione,* tum pro eorumdem administrationis regimine; priori sensu, qui sacramenta dispensare dicuntur, sunt veri ministri: posteriori vero non significantur nisi eorumdem moderatores, qui nempe ea, quae ad validam legitimamque sacramentorum administrationem

conditiones determinant quoad ritus, ceremonias, locum, tempus, personas aliaque eiusmodi. Qua posteriori significatione reipsa sacramenta omnia ministris Christi et dispensatoribus mysteriorum Dei, seu potius ecclesiae commissa sunt, adeoque et sacramentum matrimonii, cuius legitima administratio ab ecclesia dependet; in priori vero significatione non item, cum laici in necessitatis casu baptisma conferre possint, et qui sacerdotes nondum sunt, uti diaconi, possunt interdum eucharistiam porrigere; in casu vero nostro sub ecclesiae regimine contrahentes ipsum conficiunt matrimonii sacramentum. Hac porro animadversione rite etiam componitur illorum interpretum expositio paulini textus, qui extendunt etiam ad sacramenta quae Apostolus expresse de praedicatione scripsit evangelica.

Nunc coronidis gratia adiicimus ne unum quidem ex patribus, qui hanc epistolam primam ad Corinthios exposuerunt, inveniri, qui propositum textum de sacramentorum administratione intellexerit.

Ex his iam licet iudicium ferre de gravi assertione *doctissimi theologi* Mariani Dobmayer, qui statuit per hunc textum generaliter vindicatam *dispensationem mysteriorum Dei* sacris ministris, ex qua *ut ab uno* recedatur sacramento, nullum sacrae Scripturae, sive prima ecclesia fundamentum praebent! Atque idem de ceteris dicatur, qui eadem repetunt atque ingeminant.

ARTICULUS II.

Argumenta traditionalia.

Ut aequum de documentis traditionalibus, quibus sententia adstruitur de sacerdote connubii christiani ministro, iudicium feratur, illud primum constituendum est, haud satis esse ad rem conficiendam, ut ex antiquitate ecclesiastica proferantur testimonia, quae adstruant necessariam quovis tempore fuisse benedictionem sacerdotalem ad co-

honestandas nuptias sacro ritu. Etenim, et nos fatemur, imo et contendimus ecclesiam semper abhorruisse a coniugiis clandestinis, quae ipsa numquam non reprobavit tamquam illegitima, adeoque constituisse iugiter ut nuptiae christianae in facie ecclesiae celebrarentur, ac ritu sacro, praesertim vero benedictione sacerdotali condecorarentur, et sacramentum ea qua par est sanctitate circumdaretur, atque etiam certior ipsamet fieret de inito coniugio ad omnem fraudem praecavendam. Necesse proinde foret ut ea afferrentur documenta, quibus, sin minus disertis, verbis saltem aequivalentibus, patefieret requiri sacerdotem tamquam nuptiarum ministrum, eiusque benedictionem tamquam formam ad sacramentum conficiendum.

Iam vero ne unum quidem ex tot, quae adduci consueverunt documentis, ex pia antiquitate est, quod vel insinuet id quod sibi Canus probandum proposuit. Etiamsi magno numero ipse attulerit allegationes ex Gratiani praesertim *Decreto;* tamen haud dubito, quin si Canus sedulo expendisset ac in propriis fontibus documenta illa perlustrasset, umquam fidenti adeo animo ea pro sua sententia fuisset allaturus. Quod ut nos efficiamus, documenta singula legentium oculis subiiciemus, ut per se vel ipsi iudicent atque experiantur eorum, quae affirmavimus, veritatem.

Quod antequam efficiam, ad vim universim elevandam, imo tollendam penitus ab his omnibus testimoniis, ex quibus arguit Canus pro sua sententia, iuverit generale vitium in eius argumentatione aperire. Ipse igitur non negat veritatem et valorem matrimonii, cui non benedicitur, sed negat illud esse sacramentum; quippe nonnisi *officium humanum*, ut patres loqui solent. Quin etiam sic argumentatur: manifestum est, matrimonia, quae ab his patribus fere aequiparantur adulteriis, non esse sacramenta; atqui in patrum eorumdem sententia fuere valida matrimonia; ergo matrimonium, quod non sit sacramentum, validum esse

potest; ac propterea existere potest contractus coniugalis validus, quin sit sacramentum.

At perperam ex veterum auctoritatibus id concludi, facile est ostendere. Nam 1. certum est, et ipsi adversarii concedunt, matrimonia illa fuisse ex patrum sententia valida; ergo adversarii nihil ex his testimoniis pro sua opinione conficere possunt, nisi supponant in matrimonio contractum a sacramento separari posse; porro hoc ipsum est in quaestione, seu potius hoc non est nisi consectarium ipsorum opinionis, de qua disputatur; ergo petunt principium. Nos contra postea probabimus, ex veterum patrum et ipsius ecclesiae sententia contractum a sacramento in matrimonio christiano separari non posse. 2. Quum patres dicunt de his matrimoniis esse fere adulteria, non obstant, quominus sint valida, etsi infructuose suscepta, sacramenta. Quo detecto vitio in adversariorum argumentatione ex patrum effatis, ea omnino ac plane corruit. His animadversis, sic iam singillatim adducta testimonia percurrimus.

Ordine venit primus Calixtus; iam vero in falsa decretali ad omnes Galliarum episcopos, quaeque refertur a Gratiano *Causa* III. (non autem uti a Cano citatur *Causa* I.) qu. 4 cap. 4. *Consanguineorum,* haec habentur. « Quisquis ergo non est legitime coniunctus, vel absque *dotali titulo* ac benedictione sacerdotis constat copulatus, sacerdotes vel legitime coniunctos criminari, vel in eos testificari minime potest: quoniam omnis incesti criminis macula pollutus infamis est, et accusare supradictos non permittatur. » Hic pseudo-Calixtus, ut patet, eadem ratione loquitur de *sacerdotalis benedictionis* defectu, ac de defectu *dotalis tituli;* nemo autem dixerit ob defectum *tituli dotalis* non confici sacramentum, irritarique coniugium, aut dotalem titulum spectare ad sacramenti substantiam. Non igitur hic textus opportunus est dicendus.

Alter est Siricius, qui in epist. ad Himerium tarraconen-

sem scripsit: « De coniugali autem velatione requisisti, si *desponsatam* alii puellam alter in matrimonium possit accipere. Hoc vero ne fiat, omnibus modis inhibemus: quia illa *benedictio, quam nupturae sacerdos imponit*, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur (2).» Itaque hoc in textu sermo unice est de *sponsalibus*, quae olim non secus ac matrimonium a sacerdote benedicebantur, et ex ecclesiae legibus violari non poterant (3), prout neque aetate hac nostra violari impune queunt. Quis vero dixerit per benedictionem sacerdotalem, quae conferebatur iis qui nupturi erant, seu nuptias futuras sibi spondebant, confici sacramentum, adeo ut sacerdos eiusdem sacramenti minister haberi possit? Exinde potius argumentum adversus sententiam a Cano propugnatam exurgit. Ergo et hic textus seponi debet.

Tertius est Nicolaus I. cuius duo textus supersunt, in quorum altero legitur: « Primum diligenti investigatione inquirite: et si eumdem gloriosum regem praedictum (Lotharium) Waldradam, praemissis dotibus, coram testibus, secundum legem et ritum, quo mystice celebrari solent, per omnia inveneritis accessisse et publica manifestatione eadem Waldrada in matrimonium illius admissa sit, vel filia Bosonis admissa.» In altero autem textu dicitur: « Sin vero minime probatum fuerit, Waldradam uxorem fuisse legitimam, neque nuptiis secundum morem celebratis *per benedictionem scilicet sacerdotis* filio nostro Hlotario extitisse

(2) Apud Coustant *Epist. rom. pontif.* col. 628.

(3) Verissimum est violationem sponsalium spectatam olim veluti sacrilegium fuisse, et ecclesiae canones adiecerunt poenas ac censuras in eos, qui eam attentassent, uti videre est apud Bingham *Origines sive antiquitates ecclesiast.* tom. IX. lib. 22. cap. 3. §. 9. pag. 325 seq. ubi etiam de benedictione, quae a sacerdote sponsalibus conferebatur, sermo est; perinde ac apud Goarium in *Euchologio*, et apud Martenium *De antiquis ecclesiae ritibus*, ubi agitur de sponsalibus. D vero Coustant in notis ad hanc epistolam fatetur s. Siricium de sponsalibus hoc in loco esse intelligendum, atque idcirco de benedictione sacerdotali sponsalibus impertita esse locutum.

coniunctam, suggerite illi, ut non moleste ferat legitimam sibi . . . . reconciliari uxorem (4).» Porro ex his liquet in hisce rescriptis coniunctim agi de indiciis, quibus legati pontificii certiores fierent de contracto, aut non contracto coniugio, inter quae recensetur ritus ecclesiae, quemadmodum recensentur testes et *dos promissa*, adeoque eiusmodi sacerdotis benedictio perinde valet ac *publica manifestatio*, et nihil praeterea; qua publica manifestatione poterat constare de vero matrimonio inito inter Lotharium et Waldradam. Et hi proinde textus tamquam minus opportuni sunt seponendi.

Quartus est pseudo-Evaristus, ac refertur a Gratiano *Causa* XXX. qu. 10. c. 1. *Aliter*, et ita se habet: «Aliter enim legitimum (ut a patribus accepimus, eorumque successoribus traditum invenimus) non sit coniugium, nisi ab his, qui super ipsam foeminam dominationem videntur habere, et a quibus custoditur, uxor petatur, et a parentibus, aut propinquioribus sponsetur, et legibus dotetur, et suo tempore sacerdotaliter (ut mos est) cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur, et a paranymphis (ut consuetudo docet) custodita sit, et consociata a proximis tempore congruo petita, legibus dotetur, et solemniter accipiatur, et biduo vel triduo orationibus vacent et castitatem custodiant.» Absurdum vero esset contendere haec omnia, quae recensita sunt, spectare ad substantiam coniugii; cum tamen eadem ratione omnia et singula requirantur ab hac spuria decretali, ac requiritur benedictio sacerdotalis, pronum est inferre ex mente istius falsae decretalis nec eam ad substantiam sacramenti matrimonii pertinere. Spectare praeterea benedictionem sacer-

(4) Hi textus referuntur a Gratiano *Causa* XXXI. qu. II. cap. 4. *Lotharius*, ac referuntur pariter ab Ivone uti inclusi in *Commonitorio* dato a Nicolao Rhodoaldo portuensi, ac Ioanni phesulensi, qui tamquam legati ad hanc causam pertractandam missi fuerant. (conc. Labb. tom. XV. col. 368.)

dotalem ad solemnitatem tantum nuptiarum ex mente istius pseudo-decretalis luculentius fit ex verbis, quae deinde sequuntur, et ab eodem Gratiano l. c. sic efferuntur: «Aliter vero praesumpta, non coniugia, sed adulteria, aut contubernia, aut stupra, aut fornicationes potius quam legitima coniugia esse non dubitate, *nisi voluntas propria suffragata fuerit, et vota succurrerint legitima.*» Per priora siquidem verba reprobantur ut illegitima, nempe *illicita* coniugia, quae clandestina ratione sine testibus, aliisque solemnitatibus contraherentur, quorum defectu hic pseudo-Evaristus ea, non absolute adulteria, contubernia, fornicationesque denominat, sed uti talia quadantenus esse spectanda, utpote clandestina atque idcirco suspecta; qua de causa ait *praesumpta, potius quam* legitima matrimonia (5). Posteriora autem verba evertunt prorsus Cani sententiam, dum iis affirmatur vera esse coniugia illa etiam, quae sic fuerint celebrata, si ipsis *suffragata voluntas propria fuerit, et vota succurrerint legitima.* Atque hinc factum est, ut ab oppositae sententiae patronis pro se adducerentur (6). Igitur et hic textus utpote minus idoneus seponendus est.

(5) Reipsa per vocem *illegitimum* haud illico significari matrimonium *irritum ac nullum*, sed solum *illicitum* a veteribus, iamdiu adnotavit Benedictus XIV. *De Synodo* lib. VIII. c. XII. n. 5. scribens: «Quamquam hodie nomine matrimonii *legitimi et non rati* communiter intelligamus matrimonium infidelium, olim tamen a iuris canonici peritis etiam inter matrimonia fidelium fuisse hanc adhibitam distinctionem, ut alia dicerentur *legitima et rata*, alia *rata* dumtaxat sed *non legitima;* testis est Gratianus, qui in fine quaest. 1. can. 28. loquens de coniugiis fidelium haec scripsit: «Horum quaedam sunt legitima veluti cum uxor a parentibus traditur, a sponso dotatur et a sacerdote benedicitur; haec talia coniugia legitima et rata appellantur: illorum vero coniugia, qui, contemptis omnibus illis solemnitatibus, solo affectu aliquam sibi in coniugem copulant, huiusmodi coniugium *non legitimum;* sed *ratum* tantummodo esse creditur» id est validum sed illicitum. Si proinde eiusmodi coniugia inita sine sacerdotis benedictione valida sunt: ergo sacerdotis benedictio non spectat ad essentiam sacramenti, nec proinde iuxta pseudo-Evaristum, cuius verba hic adducuntur, sacerdos est sacramenti matrimonii minister.

(6) Cf. Blasco cit. *Opuscoli canonici* etc. tom. I. Diatriba V. *De secundis nuptiis* pag. 256.

Quintus est Hormisdas, cuius verba apud Gratianum *Causa* XXX. qu. 5. c. 2. *Nullus fidelis*, haec sunt. « Nullus fidelis, cuiuscumque conditionis sit, *occulte* nuptias faciat: sed, benedictione accepta a sacerdote, *publice* nubat in Domino. » Mirifice isthaec decretalis, dato quod Hormisdae sit (est enim supposititia), patefacit rationem, quare quovis tempore ecclesia exegerit benedictionem sacerdotis in nuptiis iungendis, ne scilicet *occulte*, seu clandestine fierent. Idcirco neque hic textus aliquid efficit pro sententia Cani, ac propterea seponendus (7).

Sextus est Isidorus, quem allegavit Gratianus loc. cit. cap. 7. *Faeminae* sub titulo: *Quare faeminae velentur, dum maritantur;* de benedictione vero hoc in textu nihil aliud habetur praeter haec verba: « Nubentes post benedictionem vittæ invicem quasi uno vinculo copulentur, videlicet ideo fit, ne compagem coniugalis unitatis disrumpat (8). » Non dicitur ab Isidoro coniugium fieri *per benedictionem*, sed unice nubentes accipere benedictionem post contractum coniugium, quod nemo negat. Ut aliquid ex his verbis pro opinione Cani erui posset, deberet ostendi hanc benedictionem a sacerdote dari ad nuptias ipsas sacramentali ratione iungendas, quod cum non efficiatur, patet et hunc textum seponendum esse.

Septimus est Canon XVI. conc. carthaginiensis IV. relatus a Gratiano *Causa* XXX. qu. 5. cap. 8. *Sponsus;* in eo autem ita statuitur: « Sponsus et sponsa, cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel a paranymphis offerantur, qui cum acceperint benedictionem, eadem

(7) Ceterum canon iste adscriptitius est, nec ullo modo Hormisdae tribui potest. Cf. Berardi in op. cit. *Gratiani Canones genuini ab apocryphis discreti* Par. II. tom. I. cap. XLIX. *De Hormisda.* Taurini 1754. pag. 452.

(8) Atque hic dnotandum a Cano Isidorum collocari cum Evaristo et Hormisda. Iam vero Isiorus adducitur a Gratiano solum ad cap. VII. *Foeminae.* Isidori porro textus dsumptus est ex lib. II. *De officiis* cap. XX. opp. ed. Arevali tom. VI. pag. 454.

nocte pro reverentia eiusdem benedictionis in virginitate sua permaneant.» Ex quibus verbis id unum colligitur, benedictionem sacerdotalem esse unum ex ritibus in ecclesia adhiberi solitis in coniugii celebratione; nec refert per ea statui, ut *pro reverentia benedictionis* prima nuptiarum nocte coniuges se contineant, in quibus plures ex recentioribus vim constituunt ad evincendum per eam matrimonii sacramentum perfici; ast frustra; siquidem ut scite perpendit Martenius, perinde est, ac si diceretur: *pro reverentia sacramenti* (9). Ideo vero solius benedictionis fit mentio in concilio carthaginensi, quia per eam maxime patefiebat celebratum coniugium in facie ecclesiae, eratque cordi concilio illam extollere, ne fideles eam negligerent. Ceterum ne verbum quidem habetur in allato concilii textu, quo insinuetur per benedictionem confici sacramentum. Laudatus Martenius ostendit morem servandae in coniugio continentiae una, duabus, tribusve noctibus introluctum ab immemorabili in ecclesiam fuisse ex Tobiae exemplo, ut in Tobiae libro legitur, ac diverse variis in ecclesiis et diversis temporibus eam disciplinam servatam fuisse (10). Hinc et hic textus non est ad rem, ac proinde seponendus.

Octavus est concilii lugdunensis apud Gratianum *Causa* XXXV. quaest. 2. et 3. (apud Canum tantum 3.) cap. 19. *Nulli*. En concilii textum: «Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum uxores ducant: neque sine benedictione sacerdotis. Qui autem nupturi erunt, a sacerdote benedicti nubere audeant . . . nec aliter praesumant.» Nempe iubentur nubere in facie ecclesiae, et nihil amplius. Cum igitur non aliud textus hic significet, seponendus et ipse est.

(9) *De antiquis eccl. ritib.* libri secundi part. II. c. IX art. IV. n. 1 seqq.

(10) Ibid. Quinimo hic ipse auctor animadvertit eusmodi continentiam prima nuptiarum nocte ab ethnicis ipsis interdum servatam fuisse.

Nonus est concilii lateranensis III. qui invenitur inter Decretales lib. V. *De simonia* tit. III. c. 9. *Cum in ecclesia.* Ita vero se habet: « Horribile nimis est, quod in quibusdam ecclesiis locum venalitas perhibetur habere: ita ut pro episcopis, vel abbatibus, seu quibuscumque personis ecclesiasticis ponendis in sedem, seu benedicendis presbyteris in ecclesiam, nec non pro sepulturis, et exequiis mortuorum, et benedictionibus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid requiratur. . . . Ne igitur haec de cetero fiant, vel pro personis ecclesiasticis deducendis in sedem, vel sacerdotibus instituendis, vel sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis sacramentis conferendis, seu collatis aliquid exigatur districtius prohibemus.» Numquid vel a longe quidpiam insinuatur his verbis unde colligi possit benedictione sacerdotis confici nuptiarum sacramentum, ita ut si sacerdotalis eiusmodi benedictio non accederet, matrimonii proprie sacramentum non haberetur? Nil minus. Alioquin cum illud: *aliisque sacramentis* non modo *benedictionibus nubentium*, verum etiam *sepulturis et exequiis mortuorum* aptetur, consequens foret ex horum theologorum interpretatione, tum sepulturas tum mortuorum exequias, quae sine ministerio sacerdotis non fiunt, totidem esse sacramenta, quod nemo sanus dixerit. Igitur heic ponitur benedictio nuptiarum, quia haec est id unum, quod minister ecclesiae praestat, et pro quo proinde stipendium acceptare posse sibi videtur (11). Itaque et hic textus seponendus est.

(11) Sane mentem numquam fuisse conc. lateran. III. adeoque nec Alexandro III. sub quo concilium celebratum est, uti essentialem sacramento matrimonii decernere benedictionem sacerdotalem evidenter constat ex appendice eiusdem concilii part. VI. cap. 8. ubi exhibetur laudati pontificis rescriptum his verbis expressum: « Super hoc inquisitioni tuae taliter respondemus; quod si legitimus consensus a (forte *ea*) solemnitate, qua fieri solet, praesente sacerdote, *aut etiam eius notario*, sicut etiam in quibusdam locis adhuc observatur, coram idoneis testibus interveniat de praesenti, ita quod unus alium in suam mutuo consensu verbis expressis recipiat, utrimque dicendo: *Ego te recipio in meam, et ego te recipio in meum;*

Decimus est concilii constantiensis sub Martino V. in fine concilii. Iam vero concilium constantiense nihil aliud continet, quod ad rem nostram referatur, praeter interrogationem, quae fieri debebat de haeresi suspectis: « Utrum credat, quod christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis, vel extremae unctionis, aut *solemnizationis matrimonii* peccet mortaliter (12). » Si quid probat eiusmodi auctoritas, probat non esse contemnendam *solemnizationem* sacramenti matrimonii, nihilque praeterea. Quocirca et hic textus est seponendus.

Undecimus est Clementis *De privilegiis religiosi*, ac reperitur inter Clementinas lib. V. tit. VII. De privilegiis cap. I. *Religiosi* his verbis: « Religiosi, qui clericis, aut laicis sacramentum unctionis extremae, vel eucharistiae ministrare, *matrimoniave solemnizare*, non habita supra his paroecialis presbyteri licentia speciali praesumpserint... excommunicationis incurrant sententiam ipso facto. » In quibus verbis si quis velit quidpiam deprehendere, quod Cani sententiae favere videatur, non aliud ei succurrit quam illud *matrimoniave solemnizare;* at vero haec loquendi ratio contrarium potius evincere videtur, si comparetur cum verbis praecedentibus, quibus presbyteri vere dicuntur *ministrare* sacramenta extremae unctionis et eucharistiae, contra vero cum sermo est de matrimonio, eo ipso quod sacerdotes eius ministri non sint, dicuntur illud *solemnizare*, seu ei assistere, ut publicum per eorum praesentiam et solemne evadat ex mente ecclesiae. Ergo et hic textus a causa Cani seponendus est.

sive sit iuramentum, sive non, non licet mulieri alii nubere, et si nupserit, et fuerit carnalis copula subsecuta, ab eo separari debet, et ut ad primum redeat, ecclesiastica districtione compelli. » Si igitur perfici poterat matrimonium etiam coram *solo notario* et *idoneis testibus* sine praesentia sacerdotis, patet ex mente pontificis benedictionem sacerdotalem minime spectare ad sacramenti matrimonii essentiam, nec proinde sacerdotem esse huius sacramenti ministrum. Cf. apud Harduin. *Acta concil.* tomi VI. par. II. col. 1732.

(12) Apud Labbeum tom. XII. col. 269.

Duodecimus postremusque textus, qui a Cano allegatur, est ex s. Ambrosio, qui in epist. I. ad Vigilium (13) scribit: « Nihil gravius quam copulari alienigenae, ubi et libidinis et discordiae incendium, et sacrilegii flagitia conflantur... Nam cum ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest coniugium dici, ubi non est fidei concordia? Cum oratio communis esse debeat, quomodo inter se dispares devotione potest esse coniugii communis charitas?» Nempe loquitur s. Ambrosius de illa benedictione solemni, quae dum caneretur, velum purpereum in signum pudoris super sponsum et sponsam expandebatur. Haec autem benedictio perinde ac velum cum denegaretur bigamis, indidem patet per eam minime conferri sacramentum; alioquin sacramento caruissent, qui secundas nuptias inirent, quod profecto nemo contendet. Itaque erat ritus caeremonialis ille, de quo disserit sanctus doctor (14), praesertim cum pari ratione tum de *velo sacerdotali* tum de benedictione loquatur. Nec omittendum, si accurate velimus s. doctoris verba expendere, illum non ex eo, quod non detur benedictio, sed ex eo, quod non habeatur fidei concordia, inferre matrimonii nullitatem, seu potius illegitimitatem. Remanet igitur, ut et hic postremus textus sit seponendus.

Nunc vero colligentes quos hactenus ex Cano attulimus et expendimus textus, quos ipse indicavit veluti causae suae ita faventes, ut pronunciaverit: « Ex patrum quidem memoria matrimonium *proprie esse sacramentum*, ita demum proditum est, si sacerdotis ministerium interveniat,» affirmare iure possumus ne unum quidem reperiri, qui ei suffragetur. Ut enim silentio praeteream non paucos ex his textibus spurios esse, de alia omnino re loquuntur

(13) In nova edit. Maurin. haec epistola est XIX. primae classis, et textus adductus est n. 27. col. 844.

(14) Cf. Martene *De antiquis eccles. ritib.* part. II. cap. IX. art. 3. n. 4.

ab illa, quam ipse contenderit. Etenim Canus vult patres esse locutos de benedictione sacerdotali tamquam de forma sacramenti matrimonii, ut exinde inferat non alium esse agnoscendum ministrum praeter sacerdotem ex sensu ecclesiasticae antiquitatis. Porro patres de ea disserunt tamquam de conditione requisita, ut coniugia publice, seu in facie ecclesiae celebrarentur, et quo amoverentur connubia clandestina, quae ecclesia nullo non tempore detestata est. Ut vero efficacius fideles allicerent ad eam benedictionem assequendam, eius beneficia summis extollunt laudibus, cum per eam legitime contraherentur nuptiae, ac caelestium bonorum copiam ipsi obtinerent. Nemo umquam ex iis aliquando vel affirmavit, vel innuit quidem nullum sacramentum haberi, si benedictio sacerdotalis abfuerit; imo contrarium docuere quoties declararunt benedictionem bigamis denegari, quin tamen vel leviter suspicati fuerint secundas et ulteriores nuptias non esse vere et proprie sacramenta. Hoc ipsum colligitur vel ex eo, quod constat eamdem benedictionem sacerdotalem *nupturis*, seu sponsalibus datam fuisse, quae certe non conficiebat sacramentum: attamen docent *ad instar sacrilegii* eius violationem a fidelibus spectatam fuisse. Propterea fundamento antiquitatis prorsus destituta deprehenditur Cani sententia.

Reliquum est ut cetera expendamus documenta, quae a Cani patronis adiecta sunt, postquam severior critica obtinuit. Nam quod attinet ad iuris canonici peritos, quos rectius scholasticis iudicium tulisse existimat Canus, non est quod de ipsis valde solliciti simus: siquidem dato etiam, quod ipse contendit, negarique facile posset (15), explora-

(15) Nam vel ipsa ratio, quae ab antiquis iuris canonici peritis in medium adducebatur quare in matrimonio non conferatur gratia, quod nempe alioquin non paciscerentur sponsi de dote, satis ostendit quid de eorum peritia in rebus theologicis sentiendum sit. Canus nihilominus praefert istorum auctoritatem auctoritati scholasticorum! Dixi: *quod Canus contendit* negari facile posset. Sane Bened. XIV.

tum est adagium Dominici Soto, quod scilicet. «*Iurisperiti, quoties in ius divinum falcem mittunt, cruentantur* (16); eorum auctoritas in rebus theologicis parva omnino est. His igitur dimissis, ex ordine evolvemus testimonia, quae attulimus ex auctoribus, qui adstruunt sacerdotem esse coniugii christiani ministrum. Cum vero nonnulla ex his illa sint ipsa, quae in Cano iam expendimus, ideo quae supersunt examini tantum subiiciemus.

Tertullianus itaque in lib. II. *Ad uxorem* c. 8. loquitur de *obsignatione* benedictionis, quatenus ita ferebat ecclesiae disciplina ne occulte celebrarentur nuptiae, et qua fiebat ut matrimonium in facie ecclesiae celebratum suum sigillum, ut ita loquar, obtineret. Talem vero esse mentem Tertulliani aperte constat ex eo quod ipse vera ac rata habeat matrimonia, quae occulte, ac proinde sine benedictione sacerdotali celebrabantur, quae tamen illicita pronunciat scribens: « Ideo penes nos occultae quoque coniunctiones, id est, *non prius apud ecclesiam professae*, iuxta moechiam et fornicationem iudicari periclitantur. Ne inde consertae obtentu matrimonii crimen eludant (17).» Nempe, ut exponit Rigaltius · oblatis ecclesiae per presbyteros fidelibus coniugandis, ut communibus votis coniugio benediceretur (18). Si talis igitur est benedictio, de qua loquitur Tertullianus, patet nullum per ipsam perfici sa-

qui optime canonici iuris peritorum sententias callebat, scribere non dubitavit lib. VIII. *De synodo* cap. XIII. n. 4. « Hanc quippe sententiam (de contrahentibus ministris sacramenti matrimonii) propugnarunt fere omnes antiqui theologi, *iurisque canonici interpretes.*»

(16) Dom. Soto in 4. Sent. dist. 13. qu. 1. art. 8. ed. Metimnae a Campi 1581. pag. 552.

(17) *De pudicitia* cap. IV. Hunc librum scripsit Tertullianus iam montanista; hinc per illud *quoad nos* significat caetum sectae suae.

(18) Ed. Rigalt. Paris 1664. pag. 557. nota (*d*) Eadem ferme scribit in lib. II. *Ad uxorem* c. 8. not. (*k*) pag. 71. ubi addit: «Atque haec vetus ecclesiae forma clandestina coniugia nesciebat, quae vaga et effraenis extra proprias ecclesias discurrendi et divertendi licentia paulo post invexit.» Cf. etiam Pamelium in adnot. ad hos textus.

cramentum. Alioquin nulla fuissent coniugia occulta, seu sine hac benedictione inita. Porro haec Tertullianus uti illicita quidem habet, non autem ut invalida ac irrita (19). Nullum igitur praebet Tertullianus sententiae, de qua disserimus, fundamentum.

Multo vero minus eidem favet Clemens alex., qui ne meminit quidem benedictionis, sed dicit sanctificatorum semen sanctum esse, id est christianorum, qui baptismo sanctificati sunt, ad discrimen gentium ethnicarum, quae abuti matrimonio consueverunt. Christianorum enim coniugium ex Dei institutione sanctum est. Arguit autem Clemens hoc in loco scelestos haereticos, praesertim marcionitas coniugii obtrectatores et accusatores, ut patet ex totius huius capitis disceptatione. Et haec quidem de primo obiecto textu; in altero autem ipse impugnat Basilidem autumantem animam antea peccasse quam in corpus infunderetur. Quid vero haec communia habent cum benedictione sacerdotali efficiente sacramentum, ut in his suffragium quaeratur?

De s. Ambrosio iam diximus.

Quod autem attinet ad s. Innocentium in epistola ad Victricium, solum ipse ritus meminit in ecclesia servati in iungendis nuptiis, docetque per baptismum non dissolvi coniugium in infidelitate initum, neque benedictionem, quae a sacerdote nubentibus christianis datur, tribuere materiam delinquendi. Quod profecto nihil commune habet cum causa nostra (20). In altera autem epistola,

(19) Cf. Christ. Lupum in *Dissert. de peccatorum et satisfactionum indulgentiis* cap. I. opp. ed. Venet. 1725. pag. 263.

(20) Ut melius scopus s. Innocentii patescat, non abs re esse censemus integrum eius textum subiicere, qui ita se habet: «Ac ne ab aliquibus existimetur, ante baptismum si forte quis accepit uxorem, et ea de seculo recedente, alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errat a regula, qui in baptismo hoc putat dimitti: remittuntur peccata, non acceptarum uxorum numerus aboletur: cum utique uxor ex legis praecepto ducatur in tantum, ut et in paradiso cum parentes

quae est ad Probum, constituit s. Pontifex indissolubile esse connubium antea initum a Fortunio cum Ursa, nec potuisse Fortunium validum aliud inire coniugium cum Restituta, eo quod Ursa in captivitate detineretur. Heic vero nec benedictionis sacerdotalis ulla fit mentio. Ergo Innocentius nullum suppeditat fundamentum ad sacerdotem adstruendum sacramenti matrimonii ministrum.

Sed neque eidem sententiae suffragatur Timotheus patriarcha, qui pariter nullam benedictionis mentionem iniecit. Nec obstat quod *clericus* dicatur *coniungere;* perinde enim hic valet coniungere, atque concurrere per servatum ecclesiae ritum in celebratione coniugii. Quod nemo umquam inficiatus est.

Idem dic de textu Synesii, quo ipse significare intendit legitimum se contraxisse coniugium.

S. Augustinus, ut eius verba declarant, nihil aliud significat, quam se non posse permittere coniugium ineundum inter fidelem et infidelem. Quid inde pro propugnata sententia?

S. Gregorius nazianzenus excusat se quod non interfuerit cum ceteris episcopis celebrationi coniugii Olympiadis ob varias, quas ibi enumerat causas, non autem ex mala voluntate. « Nam alioqui, subdit, quantum ad voluntatem attinet, et adsum, et simul festum celebro, iuvenilesque dextras inter se iungo, atque utrasque Dei manui. Convenit enim, ut quemadmodum alia omnia bona, ita matrimonium quoque in optimum quemque finem, et secundum communia nostra vota fiat. » Ex quibus postremis verbis liquet eo spectasse s. Gregorium, ut matrimonium a fidelibus iniretur ad beneplacitum ecclesiae praelatorum,

humani generis coniungerentur, ab *ipso Domino sint benedicti*... Quam formam etiam sacerdotes omnes servare usus ipse demonstrat ecclesiae. Satis enim absurdum est aliquem credere, uxorem ante baptismum acceptam post baptismum non computari, cum benedictio, quae per sacerdotem super nubentes imponitur, non materiam delinquendi dedisse, sed formam tenuisse legis a Deo *antiquitus* institutae doceatur. » Apud Coustant pag. 752.

ritu nempe sacro ac legitima ratione. Nec ibi etiam sermo est de benedictione necessaria ad conficiendum sacramentum.

Quid igitur sibi volunt eiusmodi patrum testimonia *exegetice* a doctore Berg expensa? Nihil aliud, quam quod diximus, coniugium scilicet fidelium sacerdotis praesentia et benedictione cohonestari debuisse, ne occulte fieret; non autem quod sibi evincendum proposuit hic doctor, sacerdotem esse sacramenti huius ministrum.

Idem ferendum iudicium de formulis identidem a patribus usurpatis: *Benedictione iugum imponi*, coniugium *obsignari*, *sanctificari* oportere, aliisque eiusmodi, si suis in contextibus expendantur. Cum vero Tertulliani, Siricii, Ambrosii, et concilii carthaginiensis IV. testimonia examini critico et exegetico iam subiecerimus, restat ut s. Basilii, et s. Cyrilli alexandrini mentem in obiectis textibus exploremus.

Iam vero s. Basilius loc. cit. non loquitur de benedictione sacerdotali, de qua ne verbum quidem habet, sed alludit ad benedictionem a Deo protoparentibus datam, cum primum institutum ab eo fuit ac benedictum coniugium (21).

S. Cyrillus alex. ne verbum pariter habet, quod ad sacerdotalem benedictionem referatur, sed agit de illa benedictione, qua ipsemet Christus nuptias, quibus interfuit, sanctificavit, et in illis nuptias omnes futuras inter Christianos, quod nemo umquam inficiatus est in quacumque sententia.

Quae afferuntur ex Theodoro studita contrarium potius evincunt ab eo quod huius sententiae patroni sibi propo-

(21) Disserit s. Doctor in hac homilia de reptilibus, quorum diversam indolem, instinctus, mores enarrat, ac deinde in sensu morali ea ipsa ad homines transfert, atque indidem nacta occasione, eos hortatur ad animorum unionem in coniugio servandam, eo quod coniugium sit naturae vinculum, et *per benedictionem Dei* iugum ipsis impositum. En eius verba: « Quamvis externi inter vos sitis, tamen in coniugii societatem convenistis: hoc naturae vinculum, hoc iugum per benedictionem impositum, distantium sit coniunctio.»

nunt. Negat enim Theodorus ex patrum et conciliorum traditione impertiendam esse a sacerdote digamis ac trigamis benedictionem et coronationem, eo quod isti poenitentiae subiicerentur, et nihilominus affirmat vera esse coniugia, quae a digamis polygamisque successivis contrahuntur. Ergo hoc ipso declarat se ex traditione patrum habere benedictionem sacerdotalem uti ceremoniam, quae accedit ad sacramentum matrimonii, non tamen per eam coniugium perfici. Nihilominus insinuat post unum alterumve annum, expleta scilicet poenitentia, posse et digamis a sacerdote benedictionem impertiri, quae dabatur monogamis, seu anno eoque amplius in coniugio transacto. Quid clarius (22)?

Cum proinde falso, ut aiunt, supposito tota innitatur quae superstructa est moles argumentationis, qua Cani sectatores adnisi sunt ostendere ex pia antiquitate benedictionem sacerdotis sacramentalem esse, eaque sacramentum confici matrimonii, non est quod iis refellendis, quae proposita sunt, diutius immoremur.

Nec verenda sunt duo illa, quae urgent, incommoda isti theologi. Non primum, quod scilicet nullo modo ratio reddi posset, quare patres et concilia tot extulerint laudibus benedictionem sacerdotalem, si eam nonnisi uti ritum et ceremoniam vacuam spectassent; siquidem nos prolatis documentis rationem obviam huius rei reddidimus eamque multiplicem, quin cogeremur affirmare contra apertam veritatem ita patres se gessisse, quod in sacerdotis benedictione partem essentialem sacramenti matrimonii agnoverint; rationes vero eiusmodi sunt tum ut

(22) Sic enim scribit Theodorus loc. cit. pag. 354. « Post quam (poenitentiam) et divinorum munerum participationem obtineant (digami): indeque benedictionem velut in coronatione inferiori quodam modo post indulgentiam. Benedictio enim est munus, tum etiam et specimen coniunctionis per sacerdotem, eo quod ex eo tempore non prohibentur cum iis, qui ad secundas convolant, convesci, non secus atque cum monogamis.»

*

abstraherent fideles a coniunctionibus clandestinis ; tum maior solemnitas , qua sacramentum ornari debet, ad fidelium contrahentium mentes in Deum erigendas ; sensilibus enim magis ipsi percelluntur, ac eorum fides ac pietas excitantur his sacris ritibus; tum denique ad uberiores gratias a Deo super sponsos impetrandas. Quod vero ad aliud incommodum attinet ex eo depromptum, quod vix in hac hypothesi ac ne vix quidem dogmatica de sacramento matrimonii veritas adversus haereticos adstrui ac defendi posset, nos in priori huius lucubrationis capite eam adstruxisse ac propugnasse confidimus absque eiusmodi subsidio, ostendimusque etiam in sententia de contrahentibus ministris , qua ratione ex illis documentis dogmatica sacramenti veritas evinci possit ac debeat. Nunc vero addimus adversarios potius vim documentorum infirmare, dum non considerant posse haereticos tot ac tantas difficultates opponere adversus eiusmodi probationem, ut aegre omnino illis satisfieri posset, petitas potissimum ex secundis nuptiis, quibus denegabatur benedictio sacerdotalis , ac nihilominus ut vera et rata matrimonia ac sacramenta habitae sunt, debentque haberi. Ex qua postrema animadversione pariter concidit coniectura Benedicti Stattler desumpta ex defectu vocabulorum *materiae* et *formae* patrum aetate : nec enim heic agitur *de vocabulis* , sed *de re*, utrum patres habuerint tamquam vera matrimonia ac proinde sacramenta coniunctiones, quibus non interveniebat sacerdotalis benedictio ex ecclesiae usu, aut praescripto, prout contingebat in secundis ulterioribusque fidelium nuptiis.

Superest ut scrupulum abigamus , qui oriri videtur ex ritualibus latinorum libris, atque ex euchologiis graecorum. Etsi enim verum foret, haec documenta constanter sacerdotem exhibere connubia christiana iungentem, benedictionem item impertientem, fundentemque preces super nubentes, si tamen rite ea perscrutemur, oppositum

potius iis conficeretur, quae vellent sententiae istius sectatores ostendere.

Etenim 1. exploratum est, receptum fuisse antiquitus, in ecclesia praesertim romana, non solum nuptialia foedera, verum etiam sponsalia a sacerdote benedici. Id comperimus ex s. Siricio, cuius integra verba paulo ante descripsimus: *Illa benedictio, quam* NUPTURAE *sacerdos imponit etc.;* et quidem alicubi in ecclesia haec sponsalia fiebant, uti testatur concilium rhemense an. 1583. his verbis: « Sponsalia vero non nisi coram paroeco, vel eius vicario, deinceps fiant, idque in ecclesia, et non alibi, nisi de ordinarii licentia, gratis concedenda, quatuor vel tribus saltem testibus praesentibus (23).» Porro nemo dicet eiusmodi benedictionem constituere sacramentum.

2. Benedictio praeterea, quae a sacerdote in nuptiis conferebatur, una cum precibus, quae ab eodem super sponsos fundebantur ad pacem et foecunditatem impetrandam, varia fuit in diversis ecclesiis ac multiplex, accedebatque coniugio iam inito post utriusque contrahentis consensum, adeoque nonnisi ceremonialis erat, perinde atque illa, quae dabatur velamini et annulo, uti docent rituales libri apud Martenium (24), neque per eam conficiebatur sacramentum.

3. Quod vero magis ad rem nostram facit, eiusmodi benedictio, hae solemnitates et preces omnino tum in ecclesia graeca, tum in ecclesia latina denegabantur digamis, ut paulo ante ostendimus ex Theodoro studita. Constat insuper ex Allatio et ex Goario digamos non coronari; pluribusque documentis ostendit Martenius denegatam eam nuptialem benedictionem viduis fuisse (25). Attamen matrimonia haec

(23) Sub titulo *De matrimonio* n. 4. apud Harduin. *Acta concil.* tom. X. col. 1287.

(24) Op. et loc. cit.

(25) Loc. cit. art. 1. et art. 3.

secunda a liberis personis legitime inita recepit semper probavitque ecclesia tamquam vera et indubitata sacramenta, ut idem loquitur auctor (26); nec quisquam catholicorum hoc in dubium revocavit. Nequit igitur haec benedictio in ritualibus praescripta, quamque veteres commemorant, haberi ut pars essentialis sacramenti matrimonii, neque trahi ad rem suam ab his, qui contendunt sacerdotem tamquam huius sacramenti ministrum, propter eam benedictionem, habendum et agnoscendum esse.

Iuverit demum disquisitionem hanc verbis absolvere eruditissimi viri, quem saepius laudavimus, scilicet Martenii, qui referens rationem, qua celebrari coniugium consuevit, scribit: « Constituto ad celebrandas nuptias die adveniente, sponsus et sponsa benedicendi a parentibus, aut paranymphis sistebantur sacerdoti ad portas ecclesiae... Deinde, datis sibi mutuo dextris, exigebat ab utrisque consensum, in quo totam sacramenti matrimonii essentiam reponebant antiqui. Inaudita quippe apud eos erant illa verba parochi: *Ego vos coniungo in nomine Patris etc.* in quibus aliqui ex recentioribus scholasticis formam huius sacramenti constituunt, quae tamen desiderantur in duobus antiquis ritualibus mss. beccensis monasterii, in pontificali rhemensi annorum 300.; in antiquo rituali bituricensi et in aliis pene omnibus, quae a nobis postea exhibebuntur: quibus adiungere possemus constitutiones Richardi episcopi Sarum (an. 1217. editae cap. 56.) in quibus haec lego: *Item praecipimus quod sacerdotes doceant personas contrahentes hanc formam verborum in gallico vel in anglico: Ego N. accipio te N. in meam. Similiter et mulier*

(26) Ibid. art. 1. n. 4. En eius verba: « Etsi matrimonia a liberis personis legitime inita receperit semper probaveritque ecclesia, *tamquam vera et indubitata sacramenta:* ipsius tamen desiderium fuit, ut nonnisi virgo virgini nuberet. » Num. autem 7. addit: « Tertia conditio viduarum matrimonia contrahentium erat *privativa benedictionis nuptialis*, quae ipsis a sacerdote non impertiebatur. »

dicat: Ego accipio te in meum. In his enim vocibus consistit vis magna et matrimonium contrahitur (27).»

Hactenus quidem ille, in quo tamen probare non possum, quod tribuat contrariam opinionem *scholasticis,* qui potius maxime ab ea abhorruerunt, dum verius eam tradiderunt theologi praesertim, qui *positivi* audiunt. Interim ex dictis inferimus falsum prorsus esse, quod isti theologi affirmarunt numquam non existimasse ecclesiam per sacerdotem coniugii sacramentum administrari, et gratiam conferri. Immo vero tuto adstruere possumus numquam ecclesiam, quod contendunt eiusmodi recentiores theologi, existimasse. Quod non solum evincunt omnia ea, quae hactenus enarravimus, sed plenius adhuc ostendent, quae paulo post dicturi sumus.

Ne autem consulto praetermittere videamur, quae pro hac sententia in medium prolata sunt ex concilio lateranensi III. a quo prohibetur quominus sacerdos quidquam recipiat *pro benedicendis nuptiis, seu aliis sacramentis conferendis.* Si quidpiam evincerent eiusmodi verba, pariter evincerent sacramentis esse accensendas mortuorum exequias, sepulturas, aliaque eiusmodi, quae in eodem decreto commemorantur una cum benedictione nuptiarum et *aliis sacramentis.* Verum et hoc praetermisso, ea hoc ipso in concilio occurrunt, quae sententiam, de qua agimus, penitus evertunt. Etenim sub tit. *De sponsalibus et matrimonio* n. 8. haec leguntur: «Quod si qui mutuo consensu se ad invicem receperint, dicentes: *Ego te in meam,* et, *Ego te in meum recipio:* licet alter eorum alii postea se copulaverit, debet ab eo vel ab ea separari, licet carnalis commixtio inter eos fuerit subsecuta (28).» Quibus patet verum perfici matrimonii sacramentum solo mutuo contrahentium consensu absque sacerdotis benedictione. Sub tit. autem

(27) Op. cit. art. 3. n. 6.
(28) Apud Mansi part. VI. col. 251.

De secundis nuptiis statuitur: « Quod *non debet benedictio iterari* (29). » Quibus evidens fit obiecta verba non alio sensu intelligi posse, quam de benedictione ceremoniali, quae omittebatur in secundis nuptiis, quamvis ecclesia, uti adnotavimus, eas semper habuerit ut vera sacramenta. Ceterum recolantur, quae paulo ante de hoc ipso decreto scripsimus.

Eodem porro modo, quo in Sacerdotali romano dicitur: « *Sacerdos pronunciet verba, quae sunt forma huius sacramenti,* » expresse additur *cum consensu utriusque;* atque idcirco non sola sacerdotis verba, verum etiam illa, quibus contrahentes suum patefaciunt mutuum consensum, immo potius ista quam illa, quae superveniunt iam dato consensui complectuntur. Cumque praeterea addatur: « Assignata die, qua matrimonium *celebrandum est per verba de praesenti,* venientes ad ecclesiam sponsus et sponsa, *qui sunt materia huius sacramenti,* et se sacerdoti praesentantes, ei iuramentum praebent etc. » Quapropter si verba, quibus contrahentes exprimunt consensum, constituunt formam, et contrahentes materiam huius sacramenti, seu applicant formam materiae, absque ullo dubio agnoscendi sunt tamquam ministri. Exinde sequitur non alio sensu adducta verba intelligi posse, quam iis sacerdotem ratum habere consensum, quo perficitur sacramentum. Eo vel magis, quod congruat titulus huic capiti in Sacerdotali romano praefixus: *De exhortatione et admonitione facienda sponso et sponsae per sacerdotem: et de forma contrahendi matrimonium, et eius benedictione.* Quibus verbis benedictio sacerdotis distinguitur *a forma contrahendi matrimonium.* Demum in posterioribus editionibus post verba: *Ego vos coniungo etc.* additur: *vel aliis utatur* (sacerdos) *verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum* (30). De hoc autem multi-

(29) Ibid. col. 254. n. 1.

(30) Ita in editione Sacerdotalis romani Venet. 1587., quae desumpta sunt ex concilio tridentino. Sane in ed. Venet. 1555. perhibetur sacerdos dicens: *Et ego auctoritate qua fungor coniungo vos matrimonialiter.*

plici ritu, qui in variis ecclesiis, seu provinciis obtinuit ac obtinet, postea disseremus.

Ex hac omnium et singulorum documentorum discussione, quae ab huius sententiae patronis, ex patribus, et ex antiquitate ecclesiastica proferuntur, pronum est inferre nullum prorsus reperiri, quod huic placito fundamentum, aut subsidium praebeat, immo plura esse quae aut eidem plane adversentur, aut quae de alia omnino re sint intelligenda.

ARTICULUS III.

Argumenta theologica.

Non est quod iis immoremur, quibus Canus sibi viam parat ad suam adstruendam sententiam; nemo enim umquam de fide esse affirmavit matrimonium sine ecclesiae ministro contractum vere et proprie esse sacramentum, seu quod idem est, contrahentes esse huius sacramenti ministros. Nam si de fide fuisset, ipse profecto eam doctrinam numquam adortus fuisset, neque suam illi substituere pertentasset. Abunde nobis sufficit eam certam exploratamque penes omnes ad Canum usque extitisse, licet de fide non esset. Quo praeiacto fundamento, nunc singillatim tum quae Canus prius theologica argumenta invexit ad receptam hactenus doctrinam concutiendam et ad novam suadendam persuadendamque, persequemur, tum quae insequentes theologi in eumdem finem adiecerunt.

Ac primo gratuito omnino assumit Canus mutuum viri foeminaeque consensum, seu, ut ipse loquitur, *profane* contractum matrimonium esse non posse signum efficax gratiae; hoc ipso enim quod Christus naturalem coniugii contractum ad sacramenti dignitatem evexit per adiectionem gratiae, patet ipsum per se revera signum efficax gratiae esse. Adeoque signum hoc absque ullo sacerdotis

interventu, *intrinsecum* est ex Christi institutione ipsi contractui coniugali, qui refert, sive repraesentat unionem indissolubilem Christi cum ecclesia, prout declaravit Apostolus Ephes. V. 32.; ipsa vero verba, quibus consensus a contrahentibus exprimitur, debere aliquid sacri sonare, Canus gratis assumit.

Sic pariter falso Canus iterum assumit non haberi personam ministri conferentis sacramentum ad normam concilii florentini, nisi sacerdos ministraverit matrimonium. Nam ipsimet contrahentes sibi invicem ministri sunt, dum verba consensum exprimentia proferunt. Non video autem quare Canus asseveranter adeo pronunciet, non esse audiendos eos, qui *putabant* virum ac mulierem esse sibi invicem ministros. Qui enim hoc *putaverunt*, sunt antiqui omnes, qui ad Cani usque aetatem in ecclesia floruere. Imo id aperte satis docuit ipsum concilium florentinum, ad quod ipse appellat, tradens veram de sacramento matrimonii doctrinam his verbis: « Septimum est sacramentum matrimonii, quod est signum coniunctionis Christi et ecclesiae, secundum Apostolum dicentem: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in ecclesia. Causa efficiens matrimonii*, regulariter *est mutuus consensus per verba de praesenti expressus* (31).» Igitur ex concilio florentino tum signum efficax gratiae ex Christi evectione ipsi est coniugio inhaerens et intrinsecum, tum eius ministri sunt contrahentes ipsi, cum verbis de praesenti consensum exprimunt.

Quod vero fideles nequaquam se sacrilegos esse autument dum sic profane, ut ipse loquitur, et eo tempore, quo in statu gratiae minime sunt, nuptias contrahunt, Canus sibi fingit; unde enim hoc novit? Siquidem plures

(31) Apud Harduin. *Acta Concil.* tom. IX. col. 1140. Ideo vero dicitur *regulariter* ne viderentur excludi nutus aliaque signa, quibus consensus per se, aut per alios etiam praebetur.

antequam coniugium ineant conscientiam a maculis suis abstergunt. Quod si revera peccatorum sarcina gravati coniugium celebrant, quemadmodum non pauci eadem ratione illud contrahunt etiam coram sacerdote, cum postea resipiscunt, etiam hoc sacrilegium in confessione cum ceteris piaculis aperiunt. Demum animadverto rudes homines ut plurimum magis affici iis, quae sensus percellunt, ut ritus exterior sacerdotis, quam iis, quae sola fide agnoscuntur.

Neque deest in coniugio christianorum verbum, quod accedit ad elementum, ut fiat sacramentum, prout docuit s. Augustinus. Etenim verbum hoc est consensus, elementum sunt ipsa contrahentium corpora, quae sibi invicem illi tradunt, utpote materia sacramenti (32). Huic autem coniunctioni maritali, ut diximus, insitum est signum, quod refert coniunctionem Christi cum ecclesia ex Christi institutione, qui, dum contractui naturali gratiam adiecit, ex profano sacrum effecit, et ad eam significandam eum ordinavit.

Hinc etiam patet ea verba: *Ego te accipio in meam*, licet undique naturalia sint, ut ait Canus, si per se spectentur, a fidelibus tamen prolata aliquid supernaturale insitum habere, adeoque verba sacra esse ac sacramentalia.

Verissimum est formam sacramenti eum spiritualem effectum significare, cuius causa sacramentum esse dicitur. At est omnino falsum verba illa, quibus exprimitur consensus, nullius effectus spiritualis signum esse; nam ex Christi institutione ordinata sunt ad spiritualem unionem

(32) Pulchre id exponit card. Hosius, qui a nonnullis nobis perperam contrarius exhibetur, dum ait: « Siquidem visibilis ista copulatio, quae fit datis arris, iunctis dextris, admonet invisibilis gratiae, quam largitur Deus. Nam simul ut *ad elementum visibile accesserint verba*, quae praeeunte sacerdote, *profert uterque coniux, fit sacramentum;* per quod peculiare donum Spiritus infunditur, quo et firmiores redduntur ad perpetuam concordiam, et robustiores ad pariter toleranda huius vitae incommoda, et instructiores ad sobolem piis moribus educandam.» Ita in *Confess. catholica* cap. LV. opp. ed. Colon. 1584. pag. 186.

Christi cum ecclesia, et cum anima significandam. Ex eodem Cano verba haec ipsa constituunt materiam, quare igitur non poterunt constituere formam? Nec obest, tunc posse quempiam simul agentem ac patientem esse, seu proferentem formam, et recipientem formae effectum; nam diverso sub respectu unusquisque contrahentium est agens et patiens, conferens ac suscipiens sacramentum, prout etiam contingit in contractu civili coniugii, ipso Cano fatente, imo et contendente.

Sic verissimum quoque est verba, quae formam in sacramentis constituunt, debere esse determinata, sed quoad sensum, ut patet in quibusdam aliis sacramentis, quae diversis verbis a graecis et latinis administrantur. Imo interdum pro diversis temporibus in latina ipsa ecclesia varia quoad sonum verba fuerunt (33). Cum igitur Christus evexerit contractum coniugalem fidelium ad sacramenti dignitatem, hoc ipso determinavit pro eius forma verba, quae exprimere valeant consensum, quaecumque demum ea sint.

Damus pariter Cano in sacramentis reliquis non posse verbis nutus, aut scripturam subiici, ita ut vim formae habeant; at contendimus in matrimonio ex Christi voluntate rem aliter se habere. Siquidem illa omnia, per quae consensus enunciari consuevit, valent ad sacramentum efficiendum, cum sacramentum coniugii sequatur naturam contractus, ex qua exurgit, contractus porro tum verbis, tum nutibus, tum scripto conficitur.

Quod vero urget Canus de theologorum dissidio in assignanda huius sacramenti materia et forma iamdiu a pro-

(33) Satis est inspicere Sacramentarium s. Gregorii M. ut appareat quanta intercesserit differentia in forma extremae unctionis ab ea quae nunc in usu est, ut de reliquis taceam sacramentis, si baptismum et eucharistiam excipias, quorum forma etiam quoad verba a Christo ipso determinata est, taceamus. Notum eruditis est quondam in ecclesia latina in extrema unctione formam indicativam obtinuisse, contra vero formam absolutionis in sacramento poenitentiae fuisse deprecativam, et ita porro.

testantibus obiectum fuit non modo circa sacramentum matrimonii, sed circa sacramenta alia pene omnia, et a nostris plane solutum. Eiusmodi controversiae domesticae sunt ac theoreticae, quae nulla ratione in rei influunt substantiam. Addo vero hanc sententiarum varietatem magis de verbis esse quam de re (34).

Non moror quae idem auctor asserit *de iunioribus theologis, qui confinxerunt civilem hunc humanumque contractum Christi et ecclesiae esse sacramentum;* neque enim hoc iuniores confinxere theologi, sed iugis et constans ecclesiae doctrina haec est, quam ipsa ab Apostolo Ephes. V. didicit, declaravitque conc. tridentinum his plane verbis: « Gratiam vero, quae naturalem illum amorem (inter coniuges) perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor atque perfector sua nobis passione promeruit.... Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet etc. (35). » Ergo hoc ipso quod Christus matrimonio christiano gratiam adiecerit, qua destituta hebraeorum erant connubia, multoque vero magis connubia ethnicorum, ex naturali et profano sacrum reddidit, atque ad suam cum ecclesia coniunctionem referendam ordinavit.

Ex his responsio pleno alveo fluit ad ea, quae subiicit, seu potius diversis verbis repetit Canus (quo fit ut nos taedeat eadem ingeminare, verum ad hoc vel inviti cogimur), patet, inquam, responsio ad ea, quae subiicit de forma ac materia profana naturalique in sacramento, quaeque et in ethnicorum naturali civilique contractu reperiebatur. Eccur enim non animadvertit conditionis diversitatem, quae intercedit inter ethnicos et christianos? Illi

(34) Cf. Bellarmin. *De matrim.* lib. I. cap. XII. ubi hanc ipsam solvit difficultatem.

(35) Sess. XXIV. cap. I.

utpote vera religione destituti non poterant in coniugio celebrando intendere nisi contractum naturalem ac civilem, quem et exprimebant verbis contrahendo idoneis; isti vero, etsi iisdem utantur verbis, contrahunt tamen modo supernaturali, imo et sacramentali utpote evecti et cooptati in Christi ecclesiam, in qua ipsius Salvatoris voluntate contractus idem sacramentum constituit et habet significationem practicam unionis Christi cum ecclesia, ut toties inculcavimus. Idque adeo facile est cuique suadere, ut, re bene perspecta, difficile omnino sit non persuaderi.

Quod si haeretici ea argumentarentur ratione, quam exponit Canus, fidenter atque animose catholici theologi defenderent fidei hoc dogma, veritatem scilicet sacramenti matrimonii, quin in subsidium advocarent novam eius sententiam, quemadmodum sive ante sive post ipsum defenderunt tot graves theologi avitam doctrinam secuti, et cuicumque poscenti consentaneas causas, rationem reddiderunt de ea, quae in ecclesia est firma, perpetua constansque doctrina. Immo vero addo longe firmiori solidiorique ratione id eos praestitisse atque praestare quam illos, qui fucatas novasque opiniones sectari maluerunt. Et haec de argumentis Cani.

Solidiora porro non sunt argumenta, quae recentiores theologi adtexuere ad illius sententiam fulciendam.

Ac 1. nihil vetat quominus coniugia mixta dicantur sacramenta, dummodo ad sacramentum constituendum necessaria concurrant; in casu autem nostro sunt ea ipsa, quae contractum perficiunt, scilicet consensus per verba de praesenti inter legitimas personas cum intentione faciendi id, quod facit ecclesia; seu potius, quoad haereticos, faciendi quod Christus instituit; nullam siquidem aliam intentionem ecclesia habere potest. Quod si haeretica pars nec implicite quidem eiusmodi intentionem praeseferat, immo et contrariam gerat, nihilominus sa-

cramenti ratio iuxta non paucos theologos (36) habebitur quidem ex parte catholica, non autem ex haeretica. In hac vero hypothesi res sacramenti, quae est indissolubilitas iuxta s. Augustinum (37), exurgit per modum unius in eiusmodi connubio, ita ut numquam dissociari possit. Verum de hoc alias iterum.

2. Quod vero dicitur de copula sponsalia subsequente, qua ante tridentinum praesumptione *iuris* et *de iure* perficeretur matrimonium, non obstat quominus perficeretur etiam sacramentum. Nam uti animadvertit Bellarminus (38), per externam et materialem illam affectu maritali coniunctionem habetur materiale symbolum externum repraesentans Christi et ecclesiae indissolubilem coniunctionem. Quapropter si eiusmodi cohabitatione et societate initur contractus coniugalis, hoc ipso fit sacramentum, etsi effectum, seu sacramentalem gratiam, qui ita coniugium ineunt, nonnisi remoto obice consequantur (39).

3. Exinde etiam patet solutio eius difficultatis, quae tertio loco adducitur de coniugiis, quae ex diuturno duorum cohabitatione oriebatur. Siquidem id ex eadem theoria modo exposita legitime consequitur. Cum enim agatur de casuum identitate, aut per eiusmodi cohabitationem contractus coniugalis interveniebat, et eo ipso sacramentum matrimonii conficiebatur, aut ille contractus non habeba-

(36) Hi sunt qui tenent contrahentes esse sacramenti matrimonii ministros; docent enim coniugia mixta vera esse sacramenta, ac sufficere ex parte haeretica, ut habeat intentionem praestandi quod Christus instituit. Iuxta alios satis est ut intentionem habeat faciendi contractum vere matrimonialem.

(37) *De bono coniugali* cap. XXIV. et lib. I. *De nupt. et concupisc.* c. X, n. 1.

(38) De matrim. c. VI.

(39) In regionibus infidelium etiamnum valent matrimonia ita contracta. Etenim in synodo provinciali sutchuensi, celebrata an. 1803., probata a sacra congr. de propaganda fide, ac Romae typis mandata an. 1822. statutum est, sponsalia ob copulam inter sponsos ex affectu maritali, ut in dubio praesumi potest, in pubertatis aetate, aut non longe ab ea, malitia supplente aetatem, subsecutam, *in verum matrimonium transire*; nec proinde licere alterutri sponso alias inire nuptias. Ita pag. 104.

tur, et neque sacramentum erat: unde qui ita cohabitarent fornicarii essent, eo quod matrimonii sacramentum ex Christi voluntate inter christianos sequatur rationem contractus.

4. De illis porro coniugibus, qui ex infidelitate conversi ad fidem christianam baptismum suscipiunt diversa viget inter theologos sententia; sunt enim, qui censent ex mero contractu ad statum sacramenti illorum coniugium transire in ipsa baptismi susceptione ob implicitam saltem, seu tacitam eorum voluntatem (40). Alii vero arbitrantur id fieri per ratihabitionem, quam vocant, proprii coniugii in facie ecclesiae. Nobis prior sententia magis arridet, eo quod neque ubique, neque semper eiusmodi ratihabitio seu consensus renovatio servetur, imo interdum iustis de causis interdicatur (41).

5. Eadem fere opinionum discrepantia viget quoad eos coniuges, quorum alter ad christianam fidem convertitur, dum alter saltem ad tempus in sua manet infidelitate. Nonnulli enim existimant nondum haberi sacramentum, quamdiu alteruter coniux infidelis est, quia sacramentum est individuum; atque hoc in casu versamur extra hypothesim de coniugio fidelium ad sacramenti dignitatem evecto. Alii contendunt posse haberi sacramentum ex parte illius, qui ad fidem convertitur. Alii demum tunc solum

(40) Cf. Sanchez *De matrim.* lib. II. disp. X. n. 5. cum aliis.

(41) In nonnullis dioecesibus hic mos introduci caepit, ut coniuges post susceptum baptismum renovent consensum suum coram sacerdote, verum passim non fit in plerisque locis, et merito; nam ex declaratione Innocentii I. aliorumque pontificum per baptismum remittuntur peccata, non solvuntur coniugia, adeoque haec perseverant. Induunt autem sacramenti dignitatem ex consensu sive verbis, sive nutibus, sive etiam ipso coniugii usu. Horum placitum magis nobis probatur. Quod vero attinet ad placitum illorum theologorum, qui autumant matrimonium semel rite initum in ratione contractus numquam ad dignitatem sacramenti evehi posse, uti Vasquez, Pontius, Tournely, Collet, Billuart, Lagedaemon, mihi videntur infirmis niti fundamentis, uti cum communiori doctrina ostendit Sanchez lib. II. *De matr.* disp. IX. Cf. Benedict. XIV. *De synodo* lib. VIII. cap. XIII. n. 8. Verum de hoc in lib. II. ex professo dicemus.

exoriri sacramentum putant, cum ambo coniuges christiani fiunt iuxta expositam superius sententiam (42). Quaecumque ex his sententiis admittatur, res in tuto est.

6. Idem pene est casus, qui sexto loco proponitur cum praecedente, adeoque eadem aptari debet responsio. Ceterum nihil obstat quin aliquis sit incapax sacramenti suscipiendi, et possit nihilominus alteri sacramentum administrare. Id patet ex adducto exemplo baptismi. Utique agitur de sacramento ad salutem necessario, cum agitur de baptismo; sed hic agitur de sacramento sui generis, quod sequitur, ut toties inculcavimus, naturam contractus.

7. Argumentum, quod septimo loco affertur, quodque, ut aiunt, Canus *paucis at energice* ostendit, iam solverat card. Bellarminus, qui animadvertit nil mirum esse, si sacramentum matrimonii etiam ab absentibus recipiatur, cum ad formam contractus institutum sit, eiusque naturam sequatur. Iam vero usu et consuetudine receptum est, ut contractus per litteras et per procuratores passim fiant. Hac in hypothesi non procurator, sed contrahens per procuratorem gratiam et sacramentum recipit. Caietanus vero a novis opinionibus non satis abhorruit, ut omnes norunt, nec semel hac ipsa de causa in reprehensionem multorum incidit; nil proinde mirum videri debet, si in hoc, quo de agimus, argumento a vero non parum abluserit. Qui autem Caietano sese opposuerunt non sunt *contemptibiles* illi theologi, qui stultis turbulentisque clamoribus alienas sententias refellere perrexerint, ut Canus loquitur, sed auctores gravissimi; quae vero eidem visa sunt absurda, aliis probantur tamquam vera ac rationabilia (43). Exitus sane ostendit quis veritatem assecutus

(42) Cf. Sanchez loc. cit.

(43) Cf. Sanchez *De matr.* lib. II. disp. 2. §. 27. ubi quindecim auctores pro hac sententia recenset; quibus plures alios adiecit Kugler in op. *De matr.* n. 423. item Carrière op. cit. Part. III. cap. I. §. II.

fuerit. Vix enim nunc auctor alicuius nominis reperitur, qui in dubium revocet veritatem sacramenti in iis, qui per procuratores contrahunt matrimonium, immo et ecclesia ipsa in praxi pro certo id habet.

8. Ratio autem, qua ecclesia illos, qui sine sacerdote sunt coniuncti, praecepto non urget, ut se coram sacerdote sistant, et per eius benedictionem sacramentum suscipiant, est, quod ipsi semper persuasum fuit eos iam per contractum coniugalem sacramentum confecisse, cum numquam in coniugiis christianorum ecclesia alterum ab altero distinxerit (44). Quam distinctionem omnium primus, ut ostendimus, Canus invexit. Ceterae rationes, quae adductae sunt, nonnisi coniecturae sunt, eaeque fallaces.

9. Quod nono loco dicitur de sanatione matrimonii *in radice* ex falsa hypothesi oritur, nempe de separatione contractus a sacramento. Nam si una eademque utriusque est ratio, aut non tollitur defectus, qui nullum reddebat contractum, et tunc, non existente contractu, neque sacramentum existit; aut ita sanatur eiusmodi defectus, ut contractus exurgat, et tunc ipsum exurgit sacramentum. Nec obest quod veluti absurdum traducitur, ab huius sententiae patronis de sacerdote ministro, confici videlicet sacramentum insciis contrahentibus, seu ministris; nam vel ipsis fatentibus, consensus, qui ab initio ob occultum impedimentum nullus extitit, iugiter seu moraliter perseverat; cum proinde sufficiat moralis haec perseverantia consensus praestiti ad convalidandum matrimonium qua

(44) Huius rei non obscurum documentum habemus in rescripto dato die 22. April. 1795. a Congregatione pro negotiis ecclesiae gallicanae deputata; petebatur siquidem inter alia: « Supposito quod matrimonium celebratum fuerit absque benedictione sacerdotis, qui tunc (tempore rebellionis gallicae) haberi non poterat, an conveniat nec ne ut praefata benedictio postea suppleatur. Ad hanc quaestionem iam olim propositam responsum tunc fuit *fideles hortandos esse ut, cum sacerdotis copiam habere possunt, ab eo benedictionem petant, qui tamen illis declarabit, huiusmodi benedictionem* AD VALIDITATEM MINIME PERTINERE.» Apud Moser *Declarat. ac decreta rom. pontif.* n. IX.

contractum, nulla apparet ratio quare non sufficiat ad convalidandum matrimonium qua sacramentum. Verum, quod caput est, tota difficultas pendet a notione huius sanationis in radice; nam si per hanc non tolluntur nisi effectus, qui a nullitate matrimonio promanant, nec *factum* redditur *infectum*, quod absurdum esset vel cogitare, patet sanatione in radice nihil immutari respectu contractus matrimonialis in se. Eo vel magis quod interdum sanentur eiusmodi coniugia alterutro coniuge iam vita functo, aut etiam post utriusque coniugis obitum, ad legitimationem prolis, quemadmodum suo loco, seu in libro secundo dicemus.

10. Coniugia haereticorum, iis praesertim in regionibus, in quibus decretum tridentinum de matrimoniis clandestinis publicatum non fuit, vix dubium esse potest quin vera sint sacramenta, si contrahentes impedimento aliquo dirimente non detineantur. Nam quamvis dogmatice id definitum non sit, immo expresse interdum rom. pontifices professi sint se id nolle decernere (45), ex communi tamen receptaque sententia theologorum id exploratum habetur. Nam haeretici ex catholica doctrina valide sacramenta et conferunt et recipiunt, quamvis illicite. Non est autem ipsis necessaria intentio expressa, sive explicita sacramentum conficiendi, atque intentio formalis faciendi quod facit ecclesia, sed satis est, uti iam adnotavimus, ut facere velint, quod Christus instituit (46), etsi erronee opi-

(45) En verba Pii VII. in Brevi dato ad archiepisc. moguntinum die 8. Octobr. 1803. « Praetermissa quaestione illa, de qua *nihil modo statuere volumus*, an haereticorum coniugia coram ministro acatholico contracta, sacramenta sint nec ne. » Apud Roskovàny *Monumenta catholica* tom. II. pag. 93. Quinque ecclesiis 1847.

(46) Lubet hanc in rem verba describere Pii VI. in litteris apostolicis datis die 11. Iulii. 1789. ad Antonium archiepisc. pragensem: « Locum esse, inquit, praesumptioni, ut dum matrimonium contrahere voluerunt, (acatholici) illud *iuxta institutum Christi*, atque adeo insolubile inire voluerint, nimirum generali ea intentione contrahendi iuxta institutionem Christi, *privatum illum errorem quodammodo absorbente.* » Apud Caesarem Brancadori *Pii Sexti pont. max. allocutiones, homiliae epistolae etc.* tom. I. fol. Amstelodami (seu potius Romae) 1792. pag. 246.

nentur Christum illud non instituisse. Nec enim privata illorum opinio destruit quod Christus reipsa instituit.

Multo vero minus officit administrationi huius sacramenti, si inter fideles aliqui reperiantur, qui absque ulla expressa sacramenti conficiendi intentione nuptias ineant. Dummodo enim ipsi ponant quae requiruntur et sufficiunt ad contractum coniugalem efficiendum, hoc ipso conficiunt sacramentum, quod a contractu inter christianos inseparabile est, neque in hominis est potestate alterum ab altero dispescere. Ignoratio porro huius speculativae quaestionis, quod ipsi sint ministri sacramenti nec ne, nullo modo officit veritati obiectivae rei, de qua agitur. Satis enim est, ut velint matrimonium contrahere. Quod vero additur de carnali contrahentium mente puerile prorsus est, gravique theologo viro indignum. Siquidem ad summum haec dispositio evinceret ipsos indigne sacramentum tractare reosque effici coram Deo gravis sacrilegii (47).

Quae si rite perpendisset Bened. Stattler, profecto non adeo fidenter pronunciasset, *dogmatice* ab ecclesia defi-

(47) Hanc difficultatem cl. Avogadro della Motta dissolvit in sua *Teoria dell' istituzione del matrimonio* tom. I. cap. VII. pag. 82., ubi haec praeclare scribit: «Noi consideriamo questa essenzial divinità del matrimonio come propria sua, e non come propria dei contraenti. Consideriamo religioso il matrimonio come considerasi religioso il giuramento indipendentemente dalla fede, pietà o empietà di chi lo proferisce, e per ciò solo che nel giuramento s' invoca Dio stesso per testimonio. Niente di più naturale, di più profano, che chiamare un testimonio: ma quando il chiamato è Dio, sialo per ossequio o per insulto, l'atto veste un carattere religioso. Così dicasi del matrimonio; per quanto si voglia profano il consenso o contratto de' coniugi, che s'uniscono matrimonialmente in società individua, e si danno reciprocamente le persone loro, siccome lo sappiano essi o nò, è Dio che non solo sancisce a termini di giustizia questo come tutt' altro onesto contratto, ma lo cementa e lega con un vincolo sacro e irrevocabile; ciò basta per dirlo eminentemente sacro, quand' anche non si spieghi nei contraenti veruna esplicita idea di religione, nè essi mirino a fare con ciò atto di culto a Dio, operando in suo ossequio, pregandolo d'aiuto, praticando qualche rito religioso per dar forma all' atto dello sposalizio. La virtù dell' *operante* è necessaria, perchè divengano religiosi gli atti di loro natura indifferenti, rituali, e solamente simbolici; ma non è necessaria quando *l'opera operata* è di per se stessa collegata coll' azione divina, e sostanzialmente vi si riferisce e ne dipende.»

niri posse, sacerdotem ministrum esse sacramenti matrimonii. Etenim ecclesia non potest dogmatice definire nisi id, quod in divinae revelationis deposito continetur; iam vero, cum ex dictis, neque in Scriptura, neque in divina traditione hic articulus contineatur, fieri nequit ut ecclesia illum dogmatice definiat. Praeterea, ecclesia sibi numquam contraria in doctrina esse potest; cum autem, ut paulo post ostendetur, contraria constanter in ecclesia catholica viguerit doctrina et praxis, rursum colligitur ecclesiam dogmatice sententiam illam definire haud posse.

11. Ad id vero, quod postremo adiicitur de Bened. XIV. in opere *De synodo dioecesana*, qui sententiam Cani vocat *valde probabilem*, nolim aliter melius respondere, quam verba ipsa usurpando s. Alphonsi de Ligorio scribentis: « His positis, valde miror quod laudatus Benedictus, postquam contenderit rationibus tam urgentibus contra sententiam Cani, illam appellet probabilem, quamvis *non intrinsece*, sed *tantum extrinsece* eam probabilem censere videatur, eo quod, ut ait, est ipsa *doctorum suffragiis communita*. Verumtamen magis oportet attendere ea, quae scribit Benedictus in decretali sua epistola ad archiepiscopum Goanum, quae incipit: *Paucis ab hinc hebdomadis*, ubi scribit ut pontifex, quam ea, quae profert ut doctor privatus in praedicto opere *De synodo*: in praedicta enim decretali expresse docet ministros sacramenti matrimonii esse ipsos contrahentes, non vero sacerdotem, dum ait quod *materia sit mutua corporum traditio verbis ac nutibus assensum exprimentibus, et mutua corporum acceptatio forma* (48).» Hactenus s. Alphonsus.

Verum non abs re erit, ut clarius pateat quaenam insederit doctissimo huic pontifici sententia de ministro sacramenti matrimonii, nonnulla alia ex eius operibus in

(48) *Theol. mor.* lib. VI. tract. VI. *De matrim.* cap. II. sub finem n. 897. ed. Taurin. 1847. tom. II. ubi vid. not. editor.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

medium proferre. Iam vero in eodem laudato opere *De synodo*, quod pro se allegant Cani asseclae, aperte Benedictus vocat sacerdotem, seu parochum *testem authorizabilem*. Sic enim scribit lib. XIII. c. 23. n. 16. « Parochus interest matrimonio tamquam *testis authorizabilis* pro ecclesia, quae cum in aliis duobus, aut tribus testibus ad matrimonium necessariis non eas qualitates requirat, quae illos omni exceptione maiores constituant. . . . Idcirco parochi praesentiam voluit (conc. tridentinum), ut in illius probitate maximum veritatis fundamentum statueret, ut colligitur ex historia concilii (49).» Item in Institutione XXXIII. n. 2. loquens de concilii tridentini decreto, quo constitutum est ut deinceps matrimonium sub nullitatis poena celebraretur coram parocho ac duobus, aut tribus testibus, ait: « Ut paucis expediamus doctrinam, quae eiusdem decreti causa prolata fuit, nullo pacto sacramenti materiam, ac formam immutatam fuisse constat; nam *materia* in tradendis mutuo, ac legitime corporibus per verba, aut nutus ad explicandum intimum consensum accomodatos *collocata semper fuit; forma* vero in excipiendis mutuo, ac legitime corporibus *per contrahentes* designatur. Cum igitur tridentina synodus nec legitimum pactum, nec legitime tradi, et excipi corpora iudicaverit, nisi quando matrimonium contrahitur, parochus cum duobus, aut tribus testibus assistat, hinc sacramenti materiam ac formam nequaquam mutari certissimum est, quae, ut supra diximus, *in tradendis excipiendisque mutuo, ac legitime corporibus semper continetur* (50).» Et haec de germana Benedicti XIV. mente. Ceterum et illam sententiam ab ea *probabilitate*, cuius ipse meminit, excidisse, ex dicendis paulo post patebit.

(49) Forte quando s. Alphonsus primum edidit suum opus de Theologia morali, nondum ediderat Benedictus XIV. posteriores libros quos postea adiecit op De synodo, et hac de causa hunc quem attulimus locum non allegavit.

(50) *Institut. ecclesiastic.* opp. ed. Rom. 1750. pag. 215 seq.

CAPUT V.

ARGUMENTA PRO SENTENTIA DE CONTRAHENTIBUS CHRISTIANI MATRIMONII MINISTRIS AFFERUNTUR ET EXPENDUNTUR.

ARTICULUS I.

Argumenta Biblica.

Breves pariter erimus in expendendis documentis biblicis illius sententiae, quae propugnat contrahentes esse ministros sacramenti matrimonii. Fatendum enim est nullum biblicum palmare testimonium reperiri, quod rem plane conficiat. Nihilominus biblicum testimonium non deest, quo ista sententia saltem insinuetur, estque illud ipsum, quod ex mente tridentini *innuit* matrimonium christianorum vere esse sacramentum novae legis a Christo Domino institutum ad gratiam conferendam, quae amorem coniugum naturalem perficiat, ac indissolubilem unitatem confirmet, coniugesque sanctificet.

Testimonium autem hoc nobis suppeditat Apostolus Ephes. V. Postquam enim v. 31. institutionem coniugii inter Adam et Hevam in terrestri paradiso retulisset illis verbis: « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una » quaeque ut a Deo prolata Christus ipse exhibuit Matth. XIX. 5., protinus subdit Apostolus v. 32. « Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo et in ecclesia. »

Haec porro verba non ad solum protoparentum nostrorum coniugium referri, sed et ad posterorum, potissime vero ad christianorum coniugia sese extendere, tum sancti ecclesiae patres, tum rom. pontifices, atque interpretes christiani omnes profitentur ex mente Apostoli, qui ad commendandum mutuum coniugum fidelium amorem ea loquendi ratione usus est.

Verum quod magis ad rem nostram facit, est concilii tridentini auctoritas, quod post allatum paulinum textum, immediate ex eo infert: « Cum igitur matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis praestet: merito inter novae legis sacramenta annumerandum sancti patres nostri, concilia et universalis ecclesiae traditio semper docuerunt (1). »

Habemus igitur ex tridentino, Christum illud ipsum connubium, quod primum a Deo institutum est, in nova lege gratia auxisse, et ad veri propriique sacramenti dignitatem evexisse. Ac propterea, quod consequens est, eiusmodi evectionem ex Christi institutione esse ipsi contractui intrinsecam adeo ac inhaerentem, ut coniugium christianum praeseferret signum repraesentationis, seu referret per se unionem Christi cum ecclesia. Quae quidem Christi unio cum duplex sit, physica, scilicet, Verbi cum humanitate per incarnationem, et moralis, nempe, Christi cum ecclesia per gratiam suam; matrimonium ad utramque unionem significandam fuit a Christo Domino institutum.

Sed praestat expositionem afferre, quam insignis huius paulini textus ad rem nostram praeclare habet Bernardinus a Piconio, quaeque argumentum, quod versamus, mirifice illustrat. « *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in ecclesia.* Hinc colligitur, ait ipse, quod sanctitas et excellentia matrimonii christiani consistit in eo, quod matrimonium emanet ab unione Christi cum ecclesia, cuius unionis imago est, signumque repraesentativum. Hanc autem Christi unionem cum ecclesia matrimonium christianum quasi adimplet et perficit, cum dat ecclesiae filios, Christoque membra mystica. Est ergo unionis Christi ita repraesentatio, ut sit et adimpletio, atque consummatio. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in ecclesia*, quasi diceret: hoc sacramentum magnum

(1) Sess. XXIV.

est, non in se, nec praecise prout est signum et sacramentum, sed in suo significato, Christo scilicet et ecclesia; seu quatenus significat magnam illam et admirabilem unionem Christi et ecclesiae. Magnum est ergo sua significatione, seu quia rem magnam repraesentat. . . Ut haec sublimitas et magnitudo christiani matrimonii clarius intelligatur, eiusque sanctitas, duplex notari debet Christi unio cum ecclesia, una realis et physica facta est per incarnationem, qua Christus, seu potius Verbum divinum naturam humanam et consequenter homines, hominumque ecclesiam sibi univit et sponsavit, et haec unio est arctissima, indissolubilis et caeterarum origo. Moralis et mystica fit per gratiam et charitatem, qua copulatur ecclesiae sponsae suae. Utramque hanc unionem et physicam et moralem Christi cum ecclesia, repraesentat christianum matrimonium, et in hoc *magnum est sacramentum*. Realis et physica coniugatorum unio, seu actus matrimonii est repraesentatio physicae et realis Christi, per incarnationem cum natura nostra, unionis. Moralis coniugatorum unio, seu coniugalis affectus moralem Christi cum ecclesia, per charitatem, unionem repraesentat (2).»

Quocirca, cum tota significationis ac signi ratio insit coniugio ipsi, quod Christus in nova lege sua sanctificante gratia insignivit, patet sacramentum totum perfici ipso contrahentium actu, seu assensu, quin aliud requiratur. Hoc idem ex eo confirmatur, quod illum eumdemque actum, seu assensum, quo antiquitus in veteri lege coniugium absolvebatur, Christus sanctificaverit et ad dignitatem evexerit sacramenti. Iam vero apud veteres non interveniebat, saltem tamquam pars seu elementum essentiale in coniugiis

(2) *Triplex expositio* in hunc loc. Si haec comparentur cum aridis ac ieiunis protestantium ac rationalistarum expositionibus, quam immane apparebit inter catholicos et acatholicos exegetas discrimen! Cf. etiam Estium, et Cornelium a Lapide in commentariis in hunc loc.

celebrandis actio sacerdotalis (3). Ergo neque de necessitate sacramenti ex Christi institutione eiusmodi actio in coniugio christiano est requirenda. Quod si ecclesia sapientissime constituit, ut ritu benedictionis sacerdos fidelium nuptias cohonestaret, hic ritus eidem sacramento extrinsecus est, accessorius ac mere caeremonialis, minime vero eidem essentialis.

Si quod proinde biblicum documentum, quod ad christianum coniugium, prout sacramentum est, referatur, hoc favet contrahentibus, qui coniugium ipsum soli efficiunt, adeoque ipsum sacramentum, minime autem sacerdoti, qui illud iam effectum tantummodo benedicit, nec propterea conficiens, seu minister censeri potest.

ARTICULUS. II.

Argumenta traditionalia.

Huc referuntur testimonia patrum, conciliorum, et librorum sacramentalium, id est, librorum, in quibus ratio exhibetur sacramenta administrandi, cuiusmodi sunt apud graecos et orientales euchologia, et ritualia, sacramentalia, ac pontificalia apud latinos. Porro ex his documentis

(3) Prout testatur Salvador Philosophus seu potius incredulo-Iudaeus in op. *Histoire des institutions de Moïse et du peuple hebreu.* Paris 1828. tom. II. chap. I. pag. 139 seq. ubi scribit: « Chez les romains, le collège des pontifes avait dans sa jurisdiction les adoptions, *les mariages*, les funérailles, les testamens, les sermens, les veux, les consécrations.... Dans la prétendue théocratie des Hebreux, leurs fonctions furent loin d'obtenir une extension si grande. Ils n'étaient (les prêtres), ni au moment de la naissance des citoyens, ni *dans les mariages*, ni à leur mort.... Leurs mariages n'étaient revetus *d'aucune cérémonie réligieuse*, si ce n'est des prières du père de famille, et des assistans pour attirer la bénédiction de Dieu. Tout se passait entre parens et amis, ce n'était, qu'un *contract* civil, » et affert auctoritatem Fleury *Mœurs des Israelites et des chrétiens.* Cf. etiam Iahn *Archaeologia biblica.* Viennae 1814. qui §. 154. scribit: «Denique nuptis ampla posteritas exoptabatur, et haec erat omnis benedictio nuptialis, Gen. 24, 60. Ruth. 4, 11-12. Quae recentiori aevo paulisper solemnior facta est, Tob. 7, 15.» Quomodo haec componantur cum iis quae dicuntur, et quidem recte, de ritu religioso in nuptiis servato penes Iudaeos, suo loco dicemus; interim heic saltem firmum sit sacerdotalem actionem in nuptiis minime fuisse essentialem.

theologi, qui contendunt matrimonii sacramentum a solis contrahentibus perfici, adeoque eosdem solos esse ipsius sacramenti ministros argumenta promunt, quibus id evincant. Nos cum ipsis haec singillatim afferemus, atque expendemus.

Atque a patribus exordientes ad eorum germanam hac in controversia mentem assequendam animadvertimus haud esse ab iis expetendum quod asserant conceptis verbis contrahentes esse christiani coniugii administros. Siquidem neque illi, qui contrariam sectantur sententiam, expetunt ut patres affirment ministrum coniugii esse sacerdotem. Etenim absurdum foret ea aetate, qua nondum invecta erant vocabula *materiae*, *formae*, *ministri* sacramentorum eo sensu, quo nunc temporis usurpantur, id expectare. Satis proinde erit nonnullos canones statuere, ex quibus rite illorum mens hac in re deprehendi possit.

Hi porro canones sunt: 1. Satis non esse adducere patres, qui mentionem iniiciant sacerdotalis benedictionis in celebratione coniugii fidelium; ut enim quidpiam ex his conficeretur, necesse foret, ut ipsi praeterea asserrent nullum ac invalidum esse connubium christianorum tum sub ratione contractus, tum sub ratione sacramenti, si eiusmodi benedictio quacumque de causa non haberetur. Hac enim in hypothesi, nullum dubium superesse posset, patres benedictionem sacerdotalem habuisse tamquam causam essentialem, efficientemque sacramenti. Contra vero si ea habeant, quibus indicent subsistere connubium christianum, etiamsi haec benedictio defuerit: hoc in casu pariter certum foret illos non spectasse benedictionem uti partem essentialem sacramenti, nec propterea sacerdotes uti eiusdem sacramenti ministros, quibuscumque demum praeconiis illam benedictionem extulerint, et commendaverint. Ostendemus autem suo loco, iuxta patrum doctrinam, unam eamdemque rem esse in coniugio christiano contractum et sacramentum.

2. Alter canon est, sanctos ecclesiae patres habuisse contrahentes tamquam veros huius sacramenti ministros, si talem exhibeant christiani coniugii ideam, ut totam sacramenti rationem agnoscant in ipsa celebrationis connubii actione. Nam tunc absque ulla controversia planum erit eos hac in hypothesi spectare contrahentes ceu sacramenti ministros, et sacerdotem tamquam eum, qui extrinsecus ipsi confectioni sacramenti superveniat, atque ad uberiorem magni huius sacramenti celebritatem.

Quibus canonibus constitutis, superest ut iis utamur ad ipsorum mentem tuto dignoscendam.

Ut igitur a priori canone incipiamus, certum est patres ita commendasse benedictionem sacerdotalem, ut non abnuerint verum adesse christianum connubium, quamvis neque in facie ecclesiae, uti loquendi usus nunc obtinet, celebratum fuerit, neque proinde benedictione sacerdotali cohonestatum.

Huius rei testimonium ac documentum locupletissimum nobis exhibet Tertullianus, qui licet in lib. II. ad uxorem benedictionem commemoret illis verbis: *obsignat benedictio* (4), tamen in lib. De pudicitia aperte docet sine eiusmodi benedictione atque obsignatione nuptias valere, cuius verba supra descripsimus: « Ideo penes nos occultae quoque coniunctiones, hoc est non prius apud ecclesiam professae, iuxta moechiam et fornicationem iudicari *periclitantur* (5). « Quod si *periclitabantur* tantum iudicari clandestina coniugia iuxta moechiam et fornicationem; ergo

(4) Quo sensu paulo ante cum Rigaltio exposuimus.

(5) Quamvis Tertullianus loquatur de secta sua montanistarum, ut patet ex illis verbis: *penes nos*, cum tamen ea tribuat ecclesiae suae, seu potius factioni suae, quae in ecclesia catholica obtinebant in iis, in quibus montanistae ab illa non dissentiebant, rite infertur quae ipse de sua secta speciatim memorat hac in re in ecclesia quoque catholica obtinuisse. Uti nunc temporis haeretici licet catholicam impugnent ecclesiam, tamen amant catholici dici, id ipsum aetate Tertulliani contingebat. Nonnulli illud *apud nos* intelligunt: *apud nos christianos* in genere.

absolute uti talia non habebantur; adeoque tamquam vera coniugia in communi existimatione, imo et in iudicio ecclesiae recipiebantur. Non poterant autem *periclitari* nisi in vulgi fama et suspicione, eo quod ab ipso nuptiarum celebratio ignoraretur; nam ecclesia non poterat de doctrina sua dubitare, seu dubitabatur *de facto*, non *de iure* a fidelibus non solum, sed ab ipsa ecclesia. Huc accedunt omnes patres illi, qui, ut videbimus, habuerunt tamquam vera coniugia, adeoque sacramenta ea, quae sine benedictione celebrabantur, nempe secundae saltem nuptiae.

Exinde factum est, ut quamvis ecclesia iustissimis de causis quas recenset Benedictus XIV. cum aliis auctoribus (6), eiusmodi coniugia quovis tempore detestata fuerit, imo et interdixerit (7); si tamen contigerit ea sic clandestina ratione fuisse celebrata, veluti illicita quidem habuerit, non autem ut invalida. Loquimur autem de ecclesia universali, quidquid in nonnullis dioecesibus ab episcopis in provincialibus conciliis cautum olim interdum fuerit. In ecclesia autem generatim uti valida habita fuisse coniugia clandestina non modo in ratione contractus, verum etiam in ratione sacramenti, secus ac adversae sententiae patroni senserint, locupletissimos testes habemus.

Sane Hugo a sancto Victore in op. *De sacramento fidei*, haec ad rem nostram scribit: «Si quis quaerat, quando coniugium esse incipiat: dicimus, quod ex quo talis consensus, qualem supra definivimus (c. IV.), inter masculum et foeminam factus fuerit: ex eo statim coniugium est, quem etsi postea copula carnis sequitur, nihil tamen coniugio amplius ad *virtutem sacramenti* confertur. Unde constat, quod si vir vel mulier post talem consensum ad

(6) *De synodo* lib. VIII. cap. XII. n. 4. 5. Cf. etiam card. Pallavicini in Hist. conc. trid. lib. XXII. cap. V. et alibi.

(7) Inter cetera in Iure canonico *Causa* XXX. n. 2. legitur sub Hormisdae nomine hoc decretum: «Nullus fidelis cuiuscumque conditionis sit, occulte nuptias faciat: sed benedictione accepta a sacerdote, publice nubat in Domino.»

alienam societatem transierit: etiamsi commixtio carnis illic sequatur, ad priorem tamen societatem, in qua *sacramentum coniugii* sancitum est, et postquam secunda copula illicita omnino iudicatur, redire debebit (8).» Tum sibi quaestionem proponens, quid agendum sit in casu, quo illi, qui clandestina ratione primum nuptias inierunt, ac deinde alter eorum negat se coniugium iniisse, novumque celebrat connubium in facie ecclesiae, constituit prius coniugium omnino ratum esse, nec irritum per subsequens fieri posse, etiamsi in foro externo, defectu testium aliud iudicium feratur (9).

S. vero Thomas in 4. Sent. dist. 28. q. 1. art. 3. cum sibi proposuerit dubium: *utrum consensus in occulto factus per verba de praesenti faciat matrimonium?* Resp. «Quod sicut in aliis sacramentis quaedam sunt de essentia sacramenti, quibus omissis, non est sacramentum, quaedam autem ad solemnitatem sacramenti pertinent, quibus omissis, verum perficitur sacramentum, quamvis peccet qui omittit: ita etiam *consensus expressus per verba de praesenti inter personas legitimas* ad contrahendum, matrimonium facit, *quia haec duo sunt de essentia sacramenti*, alia autem omnia sunt de *solemnitate sacramenti*, quia ad hoc adhibentur, ut matrimonium convenientius fiat: unde si omittantur, verum matrimonium est, quamvis peccent sic contrahentes, nisi per aliquam legitimam causam excusentur.» Cum vero sibi opposuisset secundo loco: «Sicut in matrimonio est actus noster quasi de essentia sacramenti, ita in poenitentia. Sed sacramentum poenitentiae non perficitur nisi mediantibus ecclesiae ministris, qui sunt sacramentorum dispensatores. Ergo nec matrimonium potest perfici in occulto absque sacerdotali benedictione.» Respondet: «Dicendum quod actus noster in poenitentia.

(8) Lib. II. part. XI. cap. V.
(9) Opp. ed. Venet. 1588. tom. III. col. 294.

quamvis sit de essentia sacramenti, non est tamen sufficiens ad inducendum proximum effectum sacramenti, scilicet absolutionem a peccatis: et ideo oportet quod ad perfectionem sacramenti interveniat actus sacerdotis. Sed in matrimonio actus nostri sunt causa sufficiens ad inducendum proximum effectum, qui est obligatio: quia quicumque est sui iuris, potest se alteri obligare: et ideo sacerdotis benedictio non requiritur in matrimonio *quasi de essentia sacramenti*. (10).»

Atque haec quidem angelicus Doctor habet dum difficultates dissolvit: non minus praeclara tamen sunt ea, quae in suo *contra est* huius articuli tamquam thesin constituerat, inquiens: « Posita causa ponitur effectus; sed causa efficiens matrimonii est consensus per verba de praesenti expressus. Ergo sive fiat in publico, sive in occulto, matrimonium sequitur. Praeterea: ubicumque est debita forma et debita materia, ibi est sacramentum: sed in occulto matrimonio servatur debita materia, quae sunt personae legitimae ad contrahendum, et debita forma, quae sunt verba de praesenti consensum exprimentia. Ergo *est ibi verum sacramentum*.»

Neque ab hac doctrina recedit Thomas waldensis carmelita celebris Wicleffi oppugnator. Cum enim hic tamquam nugacem irrideret benedictionem, qua sacerdos nuptias cohonestat, waldensis multiplici ex capite eius utilitatem, immo et necessitatem propugnat. Neque idcirco tamen eam tamquam essentialem ad sacramentum perficiendum adstruit, ita ut nulla censeri debuerint illa coniugia, quae clandestino more inita fuerint. Quin potius receptam in ecclesia doctrinam de illorum valore aperte profitetur. Cum

(10) Et hic obiter adnotetur veteribus, nominatim autem s. Thomae, incompertam penitus fuisse in matrimonio christiano distinctionem inter contractum et sacramentum, qualis a recentioribus excogitata est. Illis enim perinde erat dicere matrimonium ac dicere sacramentum. Nescio an Canus hunc s. Th. articulum ignoraverit, dum pro sua nova doctrina angelicum Doctorem adduxit.

enim retulisset obiectionem Wicleffi ex cap. 22. *Triodii*: « Qualis regula foret idem matrimonium bis completum? Primo in actu coniugum per se facto, et secundo in solemni ritu ad ostium ecclesiae a sacerdote per verba nugatoria et falsa comiter celebrato.» Respondet: « Primo ad quaestionem dicamus in forma: et tandem ad id, quod quomodo implicet de rituum istorum ratione fundanda. Si igitur coniuges clam contrahant sine teste, stat *perfectum esse coniugium in se ipso:* sed factum in facie ecclesiae coram testibus, completum robur accipit firmitatis (11).»

Quibus postremis verbis significat coniugium ex publica celebratione ita demum firmari consolidarique, ut nulla subsit ratio veritatem *facti* denegandi, quemadmodum non semel in coniugio occulte ac sine testibus inito contingebat. Siquidem interdum, qui ita clanculum connubium contrahebant, postea illius coniunctionis pertaesi, alter ex coniugibus cum alia, aut cum alio publice in ecclesia, consueta solemnitate matrimonium celebrabat; licet porro alter reclamasset, cum nulli essent testes initi prius coniugii, fiebat ut ecclesia, quae non iudicat de occultis ac de internis, sententiam proferre cogeretur pro valore alterius coniugii publice contracti, magno animarum damno: siquidem coram Deo secunda eiusmodi coniunctio vere esset adulterina. Interim prius coniugium *de facto* solvebatur. Hac de causa Thomas waldensis scripsit: « Sed factum in facie ecclesiae coram testibus *completum robur accipit firmitatis*, » nempe *extrinsecum*, non autem *intrinsecum*, cum iam *perfectum* dixerit coniugium clandestine contractum. Atque hanc in rem profert casum ex Hugone Victorino, quem nos heic indicavimus.

Demum accedit testimonium omni exceptione maius concilii tridentini, quod sess. XXIV. cap. I. *De reform.*,

(11) *Thomae waldensis* tomus secundus *De sacramentis*. Venet. 1580. fol. 219. *recto* col. 1.

aperte profitetur, matrimonia clandestina tamdiu vera ac rata habenda esse matrimonia, quamdiu irrita ecclesia ea non fecerit, prout primo factum reipsa est per ipsum concilium, cuius haec sunt verba: « Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, *rata et vera* esse matrimonia, quamdiu ecclesia ea irrita non fecit; et proinde iure damnandi sint illi, ut eos s. synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant. . . . Nihilominus sancta Dei ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. »

Ex quibus novimus tum clandestina coniugia tamquam vera ac rata matrimonia ecclesiam spectasse; tum uti gravissimorum malorum originem semper ea prohibuisse ac illicita declarasse, imo et detestatam esse. Adeoque, quod legitime sequitur, usque ad id temporis, quo irrita facta non sunt, valida omnino fuisse, non modo ratione contractus sive civilis sive naturalis, sed etiam ratione sacramenti. Id enim luculenter constat non solum ex phrasi a concilio tridentino usurpata, dum eiusmodi coniugia *vera et rata* matrimonia esse decrevit, uti mox expendemus; verum etiam ex apertissimis Hugonis victorini, s. Thomae, ac Thomae waldensis testimoniis, in quibus clandestina matrimonia conceptis verbis vocantur *sacramentum* vel *sacramenta*.

Igitur ex primo canone a nobis constituto iam patet patres et concilia, nec non ecclesiae doctores ac theologos benedictionem sacerdotalem spectasse tantummodo uti ceremonialem accedentem ad coniugium, seu ad coniugii sacramentum iam perfectum solo contrahentium consensu, requisitam quidem, ut debita cum solemnitate ac sanctitate celebraretur, non autem veluti essentialem (12).

(12) Apposite Bened. XIV. *De synodo* lib. VIII. cap. XII. n. 3. « Quamobrem, inquit, quo religiosius fideles matrimonium celebrarent, quod *magnum est sacra-*

Venio ad alterum praestitutum canonem, patres scilicet eam exhibuisse sacramenti matrimonii ideam, ut nullum aliud elementum in eo agnoverint praeter contrahentium liberum legitimumque consensum.

Porro talis est idea, quam nobis exhibet s. Ignatius M. ubi scribit: « Decet vero ut sponsi et sponsae de sententia episcopi coniugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum et non secundum cupiditatem; omnia ad honorem Dei fiant (13). » Quibus palam discimus ex mente s. martyris ipsos esse sponsos et sponsas, id est contrahentes, qui *nuptias faciunt*, episcopi vero sententiam unice eo spectare, ut nuptiae rite ineantur, cum ipse fideles nubentes dirigere debeat consilio et auctoritate sua. Immediate enim ante recitata verba iam dixerat s. martyr de eo, qui manet in castitate: « Si se maiorem episcopo censet, interiit. »

Nec aliam exhibent s. Cyrillus alex. et s. Epiphanius. Etenim s. Cyrillus scribit: « Ipse Christus invitatus (ad nuptias) venit, ut generationis principium sanctificaret, quod ad carnem nimirum attinet. Conveniebat enim, ut qui naturam hominis renovaturus erat . . . non solum iis, qui in ortum vocati erant, benedictionem impertiretur, sed et iis quoque, qui postea nascituri essent, gratiam praestitueret, et eorum ortum sanctum efficeret (14). » Sanctus vero Epiphanius probaturus adversus Hieracam honestas nuptias esse et a Deo probatas, neque a regno Dei matrimonium ineuntes excludi, « Venerabiles esse nuptias, inquit, ac Dei aspirante gratia caeleste regnum obtinere, quis vel ex eo non cognoscat, quod ad nuptias

mentum, in Christo et in ecclesia, praedicaverat Apostolus ad Ephes. V., ab ecclesiae primordiis cautum est, ne aliter illud inirent, quam coram sacerdote, cuius benedictione *quodammodo* obsignaretur. Huius disciplinae testimonium nobis perhibent antiquissimi patres.»

(13) Epist. ad Polycarp. cap. V. ed. Cotel.

(14) Lib. II. in Io. cap. 22. ed. Paris. 1638.

invitatus Salvator ipse fuerit, ut iis benediceret (15)? » Verum cum hi patres adstruunt Christum vocatum fuisse ad nuptias Cànae, ut iis benediceret, profecto supponunt solo contrahentium consensu coniugium fieri; siquidem cum nuptiale convivium celebratum est, illi iam nuptias iudaeorum more inter se inierant solo consensu. His vero iam confectis Christus supervenit sponsis utique benedicturus praesentia sua. Cum vero ad Christi exemplum sacerdotes nuptiis benedicant, eas supponunt praevio contrahentium consensu inter se foedere nuptiali coniunctos.

Huc accedunt patres illi, qui de nuptiarum foedere intellexerunt verba Apostoli Ephes. V. uti Ambrosiaster, qui in Comment. in hunc locum: « Mysterii sacramentum, inquit, quando *in unitate viri ac faeminae* esse significat. »

Eadem ratione eumdem textum exponit s. Hieronymus in suis Commentariis de Adae et Hevae coniugio uti figura coniunctionis Christi cum ecclesia, scribens: « Idipsum per allegoriam in Christo interpretatur et in ecclesia, ut Adam Christum, et Heva praefiguraret ecclesiam. » In cuius rei confirmationem affert Gregorium nazianzenum sic Pauli verba explanantem: « Scio quia locus iste ineffabilibus plenus sit sacramentis, et divinum cor quaerat interpretis; ego autem pro pusillitate sensus mei, in Christo interim illud et in ecclesia intelligendum puto, » quod nempe dixit Apostolus de Adae et Hevae coniugio; adeoque a fortiori de coniugio christianorum ordinato ad eamdem Christi et ecclesiae coniunctionem significandam, et in perpetuum repraesentandam.

Ac ceteris omissis (16), s. Augustinus lib. I. *De nuptiis et concup.* c. XXI. de eodem Paulino textu disserens ait: « Quod in Christo et in ecclesia est magnum sacra-

(15) Haeres. LXVII. *Hieracitarum* n. 66. ed. Petav.

(16) Quos, cum ageremus de veritate huius sacramenti ex hoc Pauli textu confirmanda, recensuimus.

mentum, hoc est in singulis quibusque viris atque uxoribus minimum, sed tamen coniunctionis inseparabile sacramentum. » Quasi diceret, materiali ratione ac in se coniunctio viri et mulieris minimum quidem sacramentum est, magnum vero, si attendatur ad eius significationem.

Iam vero ex his omnibus, aliisque prope innumeris, quae facile adduci possent, patrum testimoniis (17), liquido apparet illos in coniugio christiano nullum aliud agnovisse elementum, quam coniunctionem ipsam, seu contrahentium consensum ad illud perficiendum.

Quid? quod vel ii ipsi, qui sacerdotalem benedictionem commendant non obscure patefaciant eam coniugii celebrationi supervenire? Sane, cum Tertullianus in lib. II. *ad uxorem* scribit: « Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et *obsignat benedictio:* » non obscure innuit hac benedictione coniugium iam confectum *obsignari,* seu eidem sigillum veluti apponi, non autem illa benedictione *confici* (18), prout *et pater,* ut ipse prosequitur, *rato habet,* ratum autem fit quod iam existit in esse suo.

Sic etiam s. Ambrosius, dum epist. XIX. ad Vigilium scribit: « Cum ipsum coniugium velamine sacerdotali et benedictione sanctificari oporteat, quomodo potest coniugium dici, ubi non est fidei concordia? » Supponit igitur coniugium iam initum inter sponsos, ad quod sanctificandum ritu ecclesiastico, et ad animorum unitatem significandam accedebat ceremonia velaminis et benedictionis, quam adiiciebat sacerdos, quemadmodum postea adiecta fuit sive coronatio, sive annuli benedictio, aliaque eius-

(17) Praeter auctores, qui super hoc Pauli textu ad Eph. V. a remotissima antiquitate patrum testimonia collegerunt et alio in loco recensuimus. Cf. etiam Moreau in *Tertulliani Omniloquio* tom. III. ad voc. *Matrimonium* et *Nuptiae.*

(18) Recolatur tamen adnotatio Rigaltii quam superius dedimus circa significationem huius benedictionis quam memorat Tertullianus.

modi adiecta sunt, quae profecto ad matrimonii essentiam non spectant.

Quapropter cum ex his exploratum sit patres in ipsa actione, qua sponsi mutuum sibi consensum praebent de corporum traditione, totam sacramenti huius rationem ponere, neque aliud intrinsecum ac essentiale elementum requirere; inferamus necesse est, eos spectasse eosdem contrahentes tamquam huius sacramenti ministros, prout constituimus in altero canone. Inferamus praeterea oportet ex eorumdem doctrina matrimonii celebrationem coram sacerdote, qui impertiretur benedictionem, daret velamen, dexteras iungeret etc. eo spectasse, ut huic actui solemnitas adiiceretur, et ut ecclesia certior fieret de legitima coniunctione.

Superest, ut expendamus documenta, quae nobis suppeditant euchologia, ac rituales libri in matrimonii celebratione.

Porro orientalium et graecorum euchologia, quae referuntur a Goario (19), a Martenio (20), et a Renaudotio (21), ostendunt pariter apparatum illum solemnitatis

(19) Εὐχολογίων, *sive Rituale graecorum*. Lutet. Paris 1647. *Officium coronationis* pag. 385 seqq. cum notis adnexis.

(20) *De antiq. eccles. ritib.* lib. I. cap. IX. art. 1 seqq.

(21) *Pérpetuité de la foi*, tom. V. livr. VI. ch. 2.

Quod si alicubi *nulla* ac *irrita* declarata sunt matrimonia clandestina, seu potius sine sacerdotis benedictione inita, id ex *positiva dispositione* seu lege est factum, ut patet ex iis, quae scribit Sobriensis in *Epitom. canon.* par. II. cap. II. ubi refert patrum statuta, in quibus *sponsalia aeque ac matrimonia*, quae praeter christianum ritum absque presbyteris et testibus celebrantur, declarantur irrita ac nulla: deinde cap. 3. subdit: «Si quis in ea regione fuerit, ubi nullus sacerdos existat, quinque aut quatuor ad minimum testibus adhibitis, matrimonium tum contrahi fas est: benedictio tamen a sacerdote postea suppleri debet.» Quemadmodum nempe fieri consuevit, quando in necessitatis casu in privatis aedibus baptisma confertur, cuius ceremoniae postea suppleri debent. Cf. Assemannum in *Dissert. de syris nestor.* pag. CCCXVIII seqq. In quem sensum armeniorum haereticus doctor Gregorius Dettiensis in lib. *Interrog. de matrim.* apud Clem. Galanum tom. II. pag. 702. scribit: «Incipit matrimonium per sponsalia, sed *conficitur per consensum verbis expressum*, duarum enim voluntatum consensus conficit matrimonium; perficitur

nuptiarum, ac rituum, quibus connubium celebratur, talem esse qui sanctificet coniunctionem, qua sponsus et sponsa mediante mutuo consensu inter se copulantur. Totum enim officium sacerdotis erga nubentes in eo est ut precibus ac orationibus, fausta omnia illis adprecetur, sive in coronatione, sive in annulorum porrectione; nec verbum quidem est, quo significetur sacerdotem esse qui sponsos in matrimonium coniungat, aut sacramentum ipsum efficiat et conferat. Idque adeo verum est, ut exinde nonnulli theologi, seu melius qui in sacris missionibus apud ipsos versabantur, perperam putaverint penes graecos et orientales non agnosci coniugium ut sacramentum; quia nempe in ipsorum precibus ac ritibus non invenerit quod necessarium est ad sacramentum, quatenus scilicet diversa ratione ab ea, quae obtinet in ecclesia latina, conspexerint celebrari coniugium, quos quidem iure arguit improbatque Renaudotius (22).

Ceterum cum secundae nuptiae, multo vero magis tertiae nec coronarentur, nec benedicerentur, immo cum ii, qui secundo, aut tertio nupsissent, poenitentiae subiicerentur, patet apud orientales, qui tamen ut sacramentum recipiebant hoc secundum tertiumve matrimonium, minime spectatam fuisse ut essentialem sive coronationem sive benedictionem ad sacramentum constituendum (23). Quod

autem et consummatur per benedictionem sacerdotis, et copulam carnalem.» Ut alia documenta omittam: Cf. etiam Le Quien in not. 4. in lib. IV. s. Ioan. Damasceni p. 297. ubi affert novellas Leonis Sapientis et Alexii Comneni, quibus statuitur «*Sponsalia* non aliter quam ἱεροτελεστία sacro initiationis ritu firmitatem habere, et quae non sic processerint, irrita et tamquam non facta censeri.»

(22) Loc. cit. chap. I. pag. 401.

(23) Quod demum fateri debuit Renaudotius, etiamsi ipse teneat penes graecos uti essentialem habitam fuisse eiusmodi sacerdotis benedictionem. Siquidem non valens se ab hac difficultate extricare orta ex omissione benedictionis in secundis nuptiis, confugere coactus est, ut eam solveret, ad sententiam de contrahentibus ministris. Sic enim scribit cap. V. pag. 440. «Si on croit, comme plusieurs théologiens, que le consentement des parties, les signes et les paroles, sont ce qu'il y a d'essentiel dans le sacrement; il se trouve dans les secondes, les troisièmes et les

non obscure traditur in *Orthodoxa fidei confessione* adversus Cyrilli Lucaris errores exarata, in qua legitur: « Sextum sacramentum est matrimonium, quod postquam futuri sponsi sibi mutuo fidem coniugalem dederunt, est *confirmatum atque benedictum a sacerdote* (24); » non vero *confectum*, aut *administratum*.

Quod vero attinet ad ritualia ecclesiae occidentalis, res plane confecta est, si in mentem revocemus quae ex Martenio adduximus; etenim, ipso testante, in nullo antiquiori rituali latinorum, perinde ac in nullo umquam euchologio graecorum verba illa, quae nunc a sacerdote in iungendis nuptiis proferuntur: *Ego vos coniungo*, neque alia his similia reperiuntur. Atque, uti ex iisdem documentis patet, tota sacramenti ratio ac essentia mutuo utriusque contrahentis consensu absolvebatur. Cetera vero omnia ab ecclesia adiecta sunt ad maiorem declarationem gratiae, quae contractui coniugali in nova lege ex Christi Domini voluntate adnexa est, et ad bona a Deo super coniugibus obtinenda; seu, ut loquitur laudatus auctor, ut contracto per consensum matrimonio, benedictoque, ac manui sinistrae sponsae imposito annulo, fusisque nonnullis, quibus novis coniugibus bene precabatur sacerdos, orationibus, in ecclesiam introducebantur, ubi, missa celebrata, ante communionem nuptias solemniter benedicebat (25).

Quemadmodum autem in ecclesiis orientalibus denegabatur viduis iterum nubentibus coronatio, sic in ecclesia occidentali denegabatur nuptialis benedictio. Id quod disertis verbis tradit s. Caesarius scribens: « Qui uxorem optat accipere, sicut illam virginem invenire desiderat, ita ipse usque ad nuptias virgo sit: quia si non fuerit, *bene-*

quatrièmes noces, et par conséquent celles sont un sacrement, que le défaut de la bénédiction de l'eglise ne peut pas détruire; puisque selon st. Thomas elle ne fait pas partie du sacrement.»

(24) Quaest. 115.

(25) Martène op. cit. lib. I. cap. IX. art. III. §. 8.

dictionem accipere cum sponsa non merebitur (26). » Et aliis omissis, id ipsum reperitur in lib. VI. Capitularium regum francorum, in quibus decernitur, ut « christiani ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum connubia non ducant: *neque sine benedictione sacerdotis, qui ante innupti erant,* nubere audeant (27). » Ex quibus verbis merito infertur: ergo qui ante nupti fuerant benedictione privabantur.

Hinc Guilielmus Durandus universim statuit : « Nuptiae benedicendae sunt a sacerdote cum precibus et oblationibus. Verumtamen vir et mulier ad digamiam transiens, matrimonium contrahendo non debet a presbyteris benedici, quia alia vice benedicti sint, eorum benedictio iterari non debet. Non ergo debent nuptiae benedici, nisi ubi virgo cum virgine contrahit. . . Immo presbyter, qui benedictionem cum secunda uxore celebraverit, officio et beneficio suspensus, est ad sedem apostolicam mittendus (28).» Iam vero nemo est, qui non intelligat Durandum niti potissimum in eo decreto conc. lateranensis III, quod absolute pronunciat: « Quod non debet benedictio iterari (29).»

(26) *Serm.* 289. in append. opp. s. Augustini tom. X.

(27) Cap. 130.

(28) In *Rationali* lib. I. c. IX. n. 15. 16. fol. 29. ed. Venet. 1577. Hic Durandus confundi non debet cum alio Durando a Monteportiano, de quo supra diximus.

(29) Haud me latet nonnullos esse, qui hoc argumentum quod hic adducitur ad ostendendum sacerdotem haudquaquam haberi posse ut sacramenti huius ministrum, eo quod ab eo non conferretur benedictio secundis atque ulterioribus nuptiis, tamquam inane et fallax traducant: ratio est quia benedictio, quae his iteratis nuptiis denegabatur, est benedictio solemnis, quae datur in speciali missa, quam nemo umquam essentialem esse autumavit. Cf. Benedictum XIV. *De synodo* lib. VIII. c. XIII. n. 7.

Verum 1. Si haec valeret exceptio, cum omnia documenta ecclesiastica de sola solemni benedictione loquantur, ac ipsis fatentibus adversariis, haec numquam uti essentialis habita sit, nullum documentum ipsis suffragaretur ad ostendendum sacerdotes ministros esse sacramenti matrimonii. 2. Hoc adeo verum est, ut Renaudotius licet alteri suffragatus fuerit sententiae ab ea, quam nos tuemur, ad incitas redactus, debuerit confugere ad solum consensum contrahentium ; Martenius vero aperte ex documentis antiquitatis hanc ipsam doctrinam secutus sit. Ergo manet in suo vigore ac robore hoc argumentum, quod plane ineluctabile est, atque

Omnibus itaque perpensis antiquitatis ecclesiasticae documentis, liquido constat, quod proposuimus, nempe patres, concilia, euchologia et ritualia in id conspirare, ut nobis exhibeant ipsos sponsos per actum, quo suum exprimunt consensum, perficere sacramentum. Benedictionem vero, quam ipsa haec documenta commendant, quam peti, quam quaeri, et a sacerdote recipi inculcant, non esse nisi *solemnizationem matrimonii*, ut loquitur Martinus V. in concilio constantiensi, aut conditionem, qua nuptiae christianae rite ac legitime fiant. Nihil igitur exploratum magis et apertum ex sensu et agendi ratione ecclesiae hac in re quaerendum esse videtur.

Si qua proinde occurrant documenta, in quibus interdum dicitur sacerdotem administrare matrimonium ut sacramenta reliqua, quae sacerdotem vocant ministrum matrimonii, haec lato atque improprio sensu accipienda sunt. Talia censeri debent, quae allegantur ex Clemente VIII. dum carmelitis excalceatis privilegium confert, dum missiones agunt apud exteras regiones « ac in illis partibus, ubi parochi non fuerint, baptismi, eucharistiae, poenitentiae, *matrimonii,* extremae unctionis, sacramenta, quae alioquin parochi *ministrare solent et possunt*, vice parochorum *ministrare* (30).» Talia quae habet Paulus V. in rituali romano: « Ceterum illorum sacramentorum, quorum *administratio* ad parochos pertinet, ritus hoc opere praescribuntur, cuiusmodi sunt baptismus, poenitentia, eucharistia, estrema unctio, et *matrimonium* (31).» Item, quae leguntur in rituali mediolanensi, quod habetur part. IV.

vel invite ab ipsis contrariae sententiae patronis admitti debet, quin velint sibi eripere potiorem hanc probationem, cui maxime insistunt. Adde illam privatam benedictionem de qua mentionem iniecit Martenius loc. cit. nec semper nec ubique viguisse, praesertim apud orientales, alioquin Renaudotius non omisisset ad illam confugere ut suam sententiam tueretur.

(30) Apud Thomam a Iesu pag. 844. ac urget Blasco op. et loc. cit.

(31) In praefat.

Actorum s. Caroli: « Quinque dumtaxat esse sacramenta, quae parochus ex officio *administrare potest*, baptismum, eucharistiam, poenitentiam, *matrimonium*, et extremam unctionem.» Haec enim aliaque eiusmodi profecto nihil aliud significant, quam parochi munus esse cohonestandi nuptias ritu sacro, prout in ecclesia fieri consuevit. Nec refert quod de administratione matrimonii in his sermo sit perinde ac de administratione ceterorum sacramentorum; siquidem in sensu accommodo, ut aiunt, intelligi haec debent pro subiecta materia, ut in pluribus aliis fieri solet (32). Sane neque Clemens VIII. neque Paulus V., neque s. Carolus Borrhomeus umquam censuerunt parochum, seu sacerdotem conficere sacramentum matrimonii, cum haec sententia nulla aetate obtinuerit in ecclesia romana.

Accedit etiam haec monumenta posteriora esse concilio tridentino, in quo parochi sin minus benedictio, certe praesentia ita necessaria effecta est, ut sine ea sit irritum coniugium: adeoque nil mirum est, si latiori sensu dicatur ad parochum pertinere matrimonii sacramentum ministrare.

ARTICULUS III.

Argumenta theologica.

Argumenta ex ipso theologiae penu deprompta, quae evincunt solo legitimo partium contrahentium consensu coniugii sacramentum perfici, adeo firma ac solida sunt, ut a nemine, qui sincero animo et catholica ratione agere velit, respui possint. Argumenta vero theologica, qua late patent, non solum ex rei natura petemus, sed etiam ratiocinando deducemus ex ecclesiae hac de re doctrina,

(32) Non immerito phrases, quae reperiuntur in nonnullis ritualibus, quibus sacerdos *minister matrimonii*, aut *sacramenti matrimonii* nuncupatur, plerique exponunt hoc sensu, quod nempe iis significetur, sacerdotem esse *ministrum solemnitatis matrimonii*. Cf. Bartholom. Cavani theolog. profess. in Archigymnasio rom. *Dissertazione del ministro del sagramento del matrimonio*. Roma 1821. p. 40.

quae recentioribus temporibus sese magis clarissime prodidit in oecumenicis conciliis, in apostolicae sedis factis dictisque, atque in communi sensu ecclesiae ipsius, agendique ratione. Haec evolvamus singillatim.

Ac primo quidem occurrunt duo commemorata oecumenica concilia, florentinum ac tridentinum.

Florentium in instructione data pro iacobitis ab Eugenio IV. in eiusdem concilii continuatione, quae post graecorum discessum, Florentiae primum, deinde Romae locum habuit in lateranensi basilica (33). «Septimum est, inquit, sacramentum matrimonii, quod est signum coniunctionis Christi et ecclesiae, secundum Apostolum dicentem. *Sacramentum hoc magnum est* etc. *Causa efficiens matrimonii* regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus (34).» Si igitur per florentinum concilium mutuus consensus est causa efficiens matrimonii, profecto, qui exprimunt hunc consensum, ii simul conficiunt sacramentum; porro non alii hunc consensum exprimunt, nisi contrahentes; ergo contrahentes ex conc. florentino sunt sacramenti matrimonii ministri.

Unica, quae a theologis adversae sententiae, exceptio fiat, est, quod concilium haec protulerit de *matrimonio*, non autem de *sacramento*. At vero id serio eos dicere nemo puto sibi persuadebit : quomodo enim potuit loqui de causa efficiente matrimonium quin significare voluerit *sacramentum*, cum aetate illa ignota adhuc fuerit invecta postea distinctio in coniugio christiano inter *contractum* et *sacramentum*? Accedit quod tota haec instructionis pars de sacramentis desumpta est ad verbum ex Opusculo V. s. Thomae; iam vero, ut paulo ante ostendimus, Angelicus doctor promiscue usurpat voces *sacramenti* ac *matrimonii* uti synonimas. Illud autem *regulariter*, ut alias

(33) Apud Harduin *Acta conc.* tom. IX. col. 1034.
(34) Ibid. col. 440.

adnotavimus, refertur ad rationem exprimendi consensum sive verbis, sive nutibus, interdum etiam per litteras et per procuratorem. Demum, quod amovet omnem ambiguitatem est textus ipse concilii, seu Eugenii IV. qui incipit: *Septimum est sacramentum matrimonii;* ergo concilium certe *sacramenti* causam explicare intendit.

Tridentinum non minus perspicue hos eosdem sensus patefacit. Etenim concilium istud constituit, Christum matrimonium, quod ab initio Deus ante peccatum instituit inter protoparentes uti figuram futurae Christi ipsius cum ecclesia coniunctionis, quodque continuatum est in populo Dei tamquam merus naturalis contractus, gratia sua adornasse, atque ita sacramentum fecisse. Cum proinde praeter gratiae accessionem nihil Christus immutaverit in nuptiis christianis, consequens est illos eosdem, qui prius nuptias contrahebant sine sacerdotum ministerio, hos ipsos in nova lege matrimonium illud efficere, quod adnexam ex se ipso gratiam habet. Seu quod idem est, eosdem contrahentes esse ministros sacramenti dum legitime sibi invicem praebent consensum, qui erant ministri contractus coniugalis sine sacerdotis interventu ac benedictionis necessitate, quae non adiicitur nisi ex praecepto ecclesiae ad maiorem solemnitatem, et ne clanculum celebretur. Verba concilii iam superius dedimus, ac idem argumentum superstruximus.

Rursum, idem concilium anathema dicit iis, qui negaverint matrimonia clandestina, antequam ab ecclesia irritarentur, fuisse *vera* et *rata* matrimonia. Porro usus loquendi in ecclesia aetate tridentini postulat, ut hac formula disignarentur matrimonia prout sunt sacramenta. Nam insigne est hac de re Innocentii III. Decretum cap. *Quanto,* in quo discrimen, quod intercedit inter coniugia in infidelitate contracta, quaeque per conversionem alterutrius coniugis solvi interdum possunt, et coniugia chri-

stianorum, quae nullo umquam in casu possunt dirimi ex quo sunt consummata, constituit scribens: «Nam etsi matrimonium *verum* inter infideles existat, non tamen est *ratum:* inter fideles autem *verum* et *ratum* existit: quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret (35).» Ex quibus manifeste deprehenditur, *verum* et *ratum* dici coniugium fidelium, quia sacramentum est. Quapropter dum tridentinum sub anathematis interminatione declarat matrimonia clandestina habenda esse *vera et rata,* hoc ipso declarat eadem coniugia totidem esse sacramenta. Cum vero in his coniugiis nullum interveniat sacerdotis ministerium, necessario sequitur, non alios esse posse huius sacramenti ministros praeter ipsos contrahentes. Hoc argumentum, quocumque se vertant adversarii, ineluctabile est. Imo per ipsum praecluditur via ad distinctionem ab ipsis excogitatam inter contractum mere civilem et sacramentum in coniugiis christianis.

Porro eiusmodi coniugia sunt pene innumera, et quotidie celebrantur iis omnibus in locis, in quibus tridentinum decretum nondum publicatum est. Et haec de conciliis dicta sufficerent; at coronidis gratia, et ut appareat quam altas radices egerit vetusta haec doctrina in ecclesia Dei, compendio exponemus quae in concilio tridentino acta sunt cum ageretur de novo introducendo clandestinitatis impedimento. Ex his enim evidenter patebit, patres illos ne suspicatos quidem fuisse umquam matrimonii sacramentum perfici benedictione sacerdotali.

Etenim quum multa disquisitio fieret in congregationibus praeviis sess. XXIV. qua ratione, salva substantia sacramenti, possent irrita fieri connubia clandestina, ex patribus alii in hanc alii in illam sententiam abiere

(35) *Decret.* lib. IV. tit XIX. cap. *Quanto de Divortiis.*

Siquidem refert card. Pallavicinius (36) ad tollenda e medio clandestina coniugia, primum a patribus propositum fuisse, ut in posterum irrita fierent connubia, quae sine tribus testibus fide dignis celebrata fuissent, *absque sacerdotis praesentiae necessitate*. Proposita autem fuit haec decreti formula sancienda: « Sacrosancta Dei ecclesia, Spiritu sancto afflata, animadvertens magna incommoda, et gravia peccata, quae ex clandestinis coniugiis ortum habent, praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum saepe priore uxore, cum qua clam contraxerunt, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in adulterio vivunt, alias gravissimis poenis ea prohibuit, eademque tamen irrita non fecit. Sed haec sacrosancta synodus, cum animadvertat, remedium illud propter hominum inobedientiam hucusque parum profuisse, decernit, ut in posterum matrimonia illa, quae clam contrahuntur *absque tribus testibus*, irrita sint, quemadmodum praesenti decreto irrita facit (37).» Refecta deinde fuit haec formula, suffectaque alia est, qua statuebatur: « *Inhabiles fore ad contrahendum, qui absque praesentia saltem trium testium* id attentarent (38).»

Hactenus ne mentio quidem facta fuerat sacerdotis, benedictionisque sacerdotalis in celebratione coniugii, donec card. Lotharingius, cum mala enumerasset, quae ex clandestinis matrimoniis proveniebant, et illud recensuit, quod ob gravia delicta, quae passim patrabantur ob eiusmodi coniugia, *sacramenti gratia in sceleris sordes* converteretur. Ex quo patet, ut id obiter moneatur a patribus tridentinis coniugia clandestina tamquam sacramenta spectata fuisse, quae gratiam ex opere operato producerent, nisi abusus obex obstitisset, minime vero ut

(36) *Hist. conc. Trid.* lib. XXII. cap. IV. n. 5.
(37) Num. 3.
(38) Num. 4.

meros contractus, sive naturales, sive civiles, ut nonnulli recentiores theologi ad huius argumenti vim declinandam excipere consueverunt. Insuper inter quatuor recensita mala, quae numeravit Lotharingius profluentia ex clandestinis coniugiis est *amissio gratiae sacramenti* (39). Demum idem cardinalis patefecit optare se, ut in decreto praeter solemnes alios ritus requireretur ad sacramenti vim etiam sacerdotis benedictio (40). Ergo hactenus eiusmodi benedictio ad vim sacramenti minime necessaria existimata fuerat.

Ioannes Trivisanus venetiarum patriarcha sese decreto de irritatione coniugiorum clandestinorum opposuit, ratus irritum reddi haud posse *quamdam sacramenti rationem,* in qua tota insit ipsius natura, tametsi ritus debiti desint; sicuti ex. gr. quamvis sacerdos consecret absque ornatu sacro, verum sacramentum conficit, dummodo materiam cum forma coniungat. Cum igitur, ita ipse prosequebatur, natura matrimonii sita sit in mutuo consensu sensibus subiecto, solumque postulentur reliqui ritus aut ad *decorum,* aut ad *probationem,* ab eorum vacuitate coniugii vim auferri non posse (41).

Castanea rossanensis archiepiscopus in eamdem concessit sententiam, eo quod adiiceretur *naturae sacramenti* modus quidam ipsam antea non constituens (42). Contra vero Antonius Cerronius episcopus almeriensis probavit decretum dicens, non irrita fieri ab ecclesia per hoc decretum matrimonia postquam sacramenta sunt, sed obicem induci, *ne vera matrimonia, adeoque etiam ne sint sacra-*

(39) Num. 5.

(40) Ibid. Rationem huius sui desiderii talem praebuit, quae magis rem nostram confirmat «Quando, inquit, haeretici volebant, ut impii ipsorum ministri nuptiis bene precarentur, multo *convenientius* id agendum in ecclesia catholica, in qua veri sunt Dei ministri, verique sacerdotes.»

(41) Num. 8.

(42) Num. 10.

menta. Non probavit, ut *inter testes* numeraretur parochus (43). Sic etiam decretum probavit Constantinus Bonellus episcopus Tiferni ostendens fas ecclesiae esse irrita facere eiusmodi connubia, non quidem irrito reddito contractu, unde non esset amplius materia idonea sacramenti, sicuti quidam disseruerunt; nam contractus coniugii inter fideles *non praecedit, imo nec distinguitur a sacramento*, adeoque facultatem perinde illius ac huius non esse in ecclesia, sed posse ab ea irritum reddi assensum, qui antecedens est causa ipsius contractus (44). Et ita porro in eumdem sensum alii plures pro alterutra parte disseruerunt, omnes tamen uti fundamentum certum assumentes matrimonii *sacramentum* per solum contrahentium consensum perfici.

Refert praeterea idem historiographus capite insequenti ter paradigma formae decreti immutatum fuisse, quia umquam facta mentio fuerit de sacerdotis praesentia eiusque necessitate, sed constanter constitutum ut tres testes adhiberentur ad matrimonii celebrationem (45). Ad instantiam denique card. Lotharingii actum est de stabilienda necessitate praesentiae sacerdotis tamquam testis celebrati coniugii, nec tamen ab initio patres acquieverunt. Ad omnem tandem vitandam fraudem, cum convenerint de necessitate alicuius testis stabilis, deliberatum est utrum hic posset esse scriba seu publicus tabellio, an vero parochus, omnibus perpensis decretum tandem est, ut parochus, seu alius sacerdos ex parochi delegatione constitueretur (46). Communi suffragiorum consensu novum decreti exemplum confectum est, quo ad efficaciam matrimonii necessario adessent duo saltem testes et parochus, aut alius sacerdos,

(43) Num. 12.
(44) Num. 16.
(45) Cap. IX. n. 16.
(46) Ibid.

qui assisteret, accepta sive ab illo, sive ab ordinario ad id facultate (47).

Quae cum ita se habeant, pronum est colligere ex hac agendi sentiendique ratione tridentinorum patrum, eos pro certo habuisse 1. matrimonia clandestina vera fuisse sacramenta, et exinde totam ortam difficultatem, num posset nec ne ecclesia illa irritare; 2. Non distingui in concreto, ut aiunt, sacramentum a contractu in coniugiis fidelium, et ideo, uti nonnulli inferebant, non posse ecclesiam irritare contractum, quin irritaret naturam sacramenti; 3. praesentiam sacerdotis non requiri de necessitate sacramenti, sed ex ecclesiae tantummodo dispositione, alioquin numquam disceptatum fuisset utrum scribae, aut sacerdotis esset praesentia praeferenda; 4. hanc praesentiam requiri ut testis, ut aiunt, *qualificati*, quo fraudes praecaverentur, ita ut, eo etiam reluctante, coniugium validum sit, si caetera concurrant a tridentino praescripta; 5. adeoque, quod consequens est, neque sacerdotem esse coniugii ministrum, nec verba, quae ab eo proferuntur: *Ego vos coniungo*, esse sacramenti formam.

Talem porro tridentinorum patrum mentem fuisse, praeter ea, quae allata sunt, mirifice confirmatur ex ipsis oppugnationibus Pauli Sarpii, qui de more ex alieno ore decretum tridentinum maligno dente carpit. Etenim, scribit ipse, complures non intelligere quînam definiretur ea (clandestina coniugia) fuisse vera sacramenta, et tamen ecclesiam eadem semper detestatam fuisse, cum fieri non possit ut ecclesia sacramenta detestetur; nolens animadvertere ecclesiam non sacramenta in se, sed malam susci-

(47) Lib. XXIII. cap. VI. n. 17. Hoc ipsum argumentum, quod desumitur ex concilii tridentini actis ad ostendendum, patres illos longe abfuisse a sententia de sacerdote sacramenti matrimonii ministro, fuse ac docte evolvit Benedictus XIV. in cit. Brevi ad Antonium archiepisc. Goanum, quod reperitur in appendice ad eiusdem pontificis Bullarium ed. Venet. 1784.

pientium dispositionem detestari ad eum modum, quo detestatur communionem, aut confessionem sacrilegam.

Obiicit praeterea matrimonii contractum non distingui a sacramento, et idcirco si ecclesiae facultas non competit mutandi sacramenti, neque pariter facultas ei suppetet mutandi contractus; aut certe ea mutatio spectabit ad principem laicum, cui subiicitur contractus qua contractus. Ita quidem Sarpius, qui heic pariter non advertit per hoc impedimentum non attingi contractum, nec proinde sacramentum, sed personas contrahentes, quae inhabiles redduntur ad contrahendum, nisi concurrant conditiones ab ecclesia statutae. Quod vero subiicit de principe laico, ad quem spectat moderari contractum ut contractum, suo loco expendemus.

Irridet tertio loco voces illas a parocho ex tridentino adhibendas in ritu nuptiali: *Ego vos coniungo etc.*, atque eas voces non alio tendere autumat, nisi ut brevi dogma fidei conficiatur eas esse formam sacramenti. Ast perperam, ac secum ipse pugnans has voces deridet Sarpius, et imponit concilio, dum finem eidem, seu intentionem affingit, quae erat omnino menti ipsius concilii contraria; persuasum siquidem erat concilio ex eiusdem Sarpii confessione, clandestina coniugia totidem esse sacramenta, in quibus tamen illa verborum formula non adhibebatur. Adnotat autem card. Pallavicinius, quod si parochus dicit: *Ego vos coniungo,* probe intelligitur ex conditionibus, quas libravimus, et ex reliquis omnibus, tempus illud praesens *coniungo,* esse quoddam tempus morale, prout scholae loquuntur, perinde ac si parochus diceret: *In hac tota actione, quae nunc auctoritate mea peracta est, ego vos coniunxi* (48).

Ita quidem respondet Pallavicinius. Dici tamen potest tantumdem valere verba illa, quae a sacerdote proferuntur: *Ego vos coniungo,* ac ista: *Ego confirmo, ratum habeo*

(48) Lib. cit. XXIII. cap. IX. n. 15.

hoc coniugium vestrum tamquam ecclesiae minister, ac pro vero habeo atque legitimo.

Ceterum, uti accurate animadvertit Bened. XIV. (49). « Quamvis hanc formulam indicaverit (concilium), quamcumque tamen aliam, iuxta cuiuslibet regionis usum adhibere permisit: *vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum.* Tantam porro varietatem ecclesia non tollerasset, multoque minus cuiuslibet provinciae arbitrio permisisset, si existimasset, per verba a sacerdote prolata confici sacramentum matrimonii. » Inter varias autem formulas a sacerdote in iungendis nuptiis usurpatas, et illam commemorat, quae alicubi obtinet his tantum verbis expressam: *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* quae certe nihil commune habent cum illis: *Ego vos coniungo.* Cui quidem formulae alias heic subiiciam, quae etiamnum vigent in nonnullis ecclesiis. In dioecesi Wuergeburgensi haec adhibetur: *Ideo matrimonium per vos contractum confirmo, ratifico et benedico, in nomine Patris etc.* In dioecesi Eichstattensi sacerdos haec pronunciat verba: *Matrimonium inter vos contractum Deus confirmet, et ego in facie ecclesiae illud solemnizo. In nomine etc.* In dioecesi Monacho-frinsingensi haec formula reperitur: *Matrimonium in facie ecclesiae inter vos contractum Deus confirmet, et auctoritate ecclesiae Dei, ego illud approbo, perficio atque solemnizo. In nomine etc.* ut videre est in singulis harum ecclesiarum ritualibus. Cum vero eiusmodi formulae antiquissimae sint atque ab immemorabili usurpentur, novum exhibent argumentum pro veteri doctrina de contrahentibus sacramenti matrimonii ministris.

Interim tum ex actis concilii, tum ex obiectionibus Pauli Sarpii palam fit, nullum dubium superesse circa germanam concilii tridentini sententiam atque doctrinam. Exinde factum est ut hac de causa plerique theologi ani-

(49) *De Synodo* lib. VIII. c. XIII. n. 6.

*

mum erexerint ad novam Cani doctrinam oppugnandam. prout rursum animadvertit card. Pallavicinius (50).

Nullus dubito, quod si religiosissimo doctissimoque viro, cuiusmodi profecto fuit Canus, comperta fuissent, quae hac in sessione XXIV. concilii acta et constituta sunt, numquam ille fortasse in hanc devenisset sententiam, neque libero adeo stylo contrariam fuisset aggressus. Quid si perpexisset quae deinceps a rom. pontificibus hac super re scripta atque constituta sunt? Certe hanc non attigisset quaestionem, ex qua per hominum saltem malitiam tot mala promanarunt.

Iam praestat argumenta expendere, quae ex ecclesiae sensu, eiusque agendi ratione proveniunt. Haec nobis suppeditant matrimonia inita quidem coram parocho, sed eo reluctante. Non semel enim fit, ut duo se fideles coram parocho sistant cum duobus, aut tribus testibus, atque ita ex improvviso coniugium ineant, dum parochus reluctaturus praevidetur. Quo quidem in casu vix datus est consensus, matrimonium illico contractum, imo et ratum habetur, nec umquam separari coniuges possunt, ac novas nuptias inire. Ecclesia tamen iis, qui ita contraxerint, benedictionem deinde non impertitur, nec ad eamdem recipiendam admittit, etiamsi eos patrati criminis poeniteat. Quare enimvero? Quia scilicet pro certo habet eos verum ratumque matrimonium contraxisse, non iam uti merum civilem contractum, sed uti sacramentum, quod iterari semel administratum nequit. Nulla autem est ratio cur benedictio conferri non possit, si haec partem essentialem sacramenti constitueret, ita ut ante illam non haberetur nisi contractus. Censet igitur ecclesia, quin potius pro certo habet in eiusmodi coniugio verum haberi sacramentum. Et hoc ineluctabile est argumentum.

Idem dicendum de coniugiis, quae celebrantur coram

(50) Loc. cit.

parocho, qui adhuc diaconus est; ex dispositione enim canonica, diaconus potest per annum administrare paroeciam antequam ad sacerdotium perveniat. Quo temporis intervallo, etsi excepto baptismate et eucharistiae distributione, sacramenta reliqua conficere nequeat, potest tamen assistere matrimoniis, eaque coniungere. Porro nemo umquam dubitavit haec coniugia, quibus diaconus assistit, vera esse sacramenta, alioquin detrimentum paterentur fideles coniuges gratia sacramentali destituti, quin ex propria voluntate quidquam peccaverint, in perpetuum; ne igitur hoc asseratur, fatendum est ad essentiam sacramenti minime spectare sacerdotalem benedictionem; atque idcirco non sacerdotem, sed contrahentes vere esse huius sacramenti administros. Qua autem ratione Canus eiusque asseclae queant se ab huius argumenti pondere subtrahere, plane non video.

Non minus efficax est argumentum, quod ad rem nostram ex sedis apostolicae factis dictisque promanat. Enimvero, cum saepius permota fuerit controversia de coniugiis mixtis ob principum acatholicorum vexationes, plures pontifices indulserunt in nonnullis regionibus, ut celebrarentur eiusmodi nuptiae inter catholicos et acatholicos. Indulserunt tamen ea lege, ut serventur conditiones a se constitutae, et quidem interposita iurisiurandi religione; quod si facere detrectarent, matrimonium quidem coram parocho celebraretur, sed sine omni apparatu religioso, et denegata sponsis benedictione, ita ut parochus non exhibeat, nisi quam vocant *assistentiam passivam* (51). Quo in

(51) Ita constituerunt rom. pontifices, nominatim vero Benedictus XIV. in *Declaratione* circa matrimonia mixta Hollandiae 4. Nov. 1741. et Pius VI. in extensione praedictae declarationis ad ducatum cliviensem cum adiuncta instructione die 19. Iun. 1793. In hac porro instructione inter cetera haec leguntur: «Atque hinc plane consequitur nullo actu positivo ipsos (parochos) posse isthaec matrimonia probare, aut suo expresso consensu et auctoritate confirmare. Quapropter si cogantur in hac temporum conditione.... matrimoniis catholicorum cum muliere

casu matrimonium etsi illicitum, validum tamen semper habitum est ab ecclesia, non modo ut contractus civilis, verum etiam ut sacramentum. Ast ministerium sacerdotale profecto in hoc nuptiali foedere non intervenit, itaque a solis contrahentibus per mutuum consensum effectum est coniugii sacramentum.

Praeterea iidem rom. pontifices interdum, ita poscentibus rerum difficillimis adiunctis, indulserunt, ut, absente sacerdote, vel cum non sine ingenti periculo pateret ad ipsum accessus, possent fideles coram duobus testibus licite inire coniugium, prout constitutum est pro malabarica provincia an. 1669. die 30. maii. Proposito praeterea dubio de celebrato matrimonio absque benedictione sacerdotis, qui tunc haberi non poterat, an conveniat nec ne, ut praefata benedictio postea suppleatur? A congregatione pro negotiis ecclesiae gallicanae specialiter deputata die 22. aprilis 1795. responsum est, ut vidimus, ut si fideles eam petierint, posse quidem eisdem dari, ita tamen ut admonerentur illam *ad validitatem matrimonii minime pertinere*. Quorsum vero eiusmodi admonitio, si censuissent pontifices illam benedictionem partem essentialem sacramenti constituere?

Silentio praetereo ceterorum pontificum acta, nominatim vero Pii VIII. Gregorii XVI. ac Pii IX. quae omnia in id conspirant, ut sentiendi rationem, quae apud apostolicam sedem obtinet, patefaciant hac super re, nempe de solis contrahentibus huius sacramenti ministris. His igitur omissis ne longius rem protraham, satis mihi erit heic ur-

acatholica assistere, satagant, ut se mere passive habeant, atque tamquam inviti audiant dumtaxat utriusque consensum; verumtamen abstineant omnino a precibus recitandis, *a benedictione impertienda*, atque ab omni alio ecclesiae ritu adhibendo.» Id ipsum constituit Pius VIII. in Brevi 25. Mart. 1830, ut ceteros praetermittam.

Quod vero rom. pontifices habeant uti vera sacramenta eiusmodi coniugia, ex eo patet, quod Bened. XIV. in cit. Declaratione, aliique expresse ea vocent *sacrilegum vinculum*. Qua vero ratione posset dici *sacrilegus* merus civilis contractus?

gere, quae novissime Pius IX. in damnatione operum Io. Nepomuceni Nuytz professoris taurinensis edixit : « Plura quoque, inquit, de matrimonio falsa asseruntur (in proscriptis operibus) : nulla ratione fieri posse Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti ; matrimonii sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, *ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse* (52).» Cum hi articuli proscripti fuerint veluti falsi ac erronei, patet iuxta catholicam doctrinam tum 1. Christum matrimonium, seu nanuralem coniugii contractum ad sacramenti dignitatem evexisse ; tum 2. sacramenti rationem in connubio christiano identificari cum ipso contractu ; tum 3. demum sacramentum benedictione sacerdotali minime perfici, adeoque, prout necessario sequitur, haud esse sacerdotem sacramenti matrimonii ministrum, sed contrahentes ipsos. Ex his praeterea colligitur, sententiam de sacerdote matrimonii sacramenti ministro illam iam amisisse *probabilitatem*, quam Benedictus XIV. ut privatus auctor eidem adstruebat.

Idipsum enucleatius adhuc idem rom. pontifex patefecit in litteris ad Sardiniae regem datis, cum ageretur de proponenda lege circa coniugium civile in comitiis subalpinis. In his enim declarat 1. fidei dogma esse Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti ; 2. doctrinam catholicae ecclesiae esse, quod sacramentum non sit qualitas accidentalis contractui coniugali adiecta, sed spectet ad matrimonii ipsius essentiam, ita ut coniugalis unio legitima non sit inter christianos, nisi in matrimonio sacramento, extra quod non habetur nisi purus concubinatus(53).

(52) *Damnatio et prohibitio operis cui titulus: Iuris ecclesiastici institutiones Ioannis Nepomuceni Nuytz in regio taurinensi athenaeo professoris.* Itemque. *In ius ecclesiasticum universum tractationes auctoris eiusdem.* Romae 1851.

(53) Haec sunt ipsius pontificis verba : « È domma di fede essere stato il matrimonio da G. C. nostro Signore elevato alla dignità di sacramento ; ed è dottrina

Iam vero si ex ecclesiae catholicae doctrina idem est in coniugio christianorum contractus et sacramentum, adeo ut ubi non est sacramentum, neque adsit contractus, contra vero quoties habetur legitimus contractus, toties habeatur sacramentum, manifestum est totidem haberi sacramenta quot habentur contractus, etiamsi benedictio sacerdotalis non intervenerit, prout contingit in iis omnibus coniugiis, quae celebrantur illis in regionibus, in quibus tridentinum decretum non est publicatum; aut quoties ex legitima dispensatione non celebrantur coram sacerdote, aut absque eius benedictione, quae profecto non pauca sunt. Exinde evidenter patet neque benedictionem ad sacramenti essentiam pertinere, neque sacerdotem esse huius sacramenti ministrum, sed sacramentum perfici solo contrahentium consensu, ac propterea contrahentes solos esse huius sacramenti ministros. Difficile admodum accidit sectatoribus Cani invenire quidpiam solidi, quod respondeant huic argumento.

Post haec, vix supervacaneum non videtur alia argumenta urgere, quae ex ipsa rei natura peti possunt. Praecipua autem ratio ea est, quae a Bellarmino arcessitur ex omnimoda indissolubilitate coniugiorum, quae a fidelibus contrahuntur etiam sine benedictione sacerdotali; ita ut, si consummatum fuerit, numquam nisi per mortem dirimi possint. Eiusmodi autem effectus est id, quod s. Augustinus in libro *De bono coniugali*, *rem* vocat sacramenti. Hanc autem omnimodam firmitatem frustra quaeres in nuptiis ethnicorum, quae nonnullis in casibus dissolvi

della chiesa cattolica, che il sacramento non è qualità accidentale aggiunta al contratto, ma è di essenza al matrimonio stesso, così che la unione coniugale tra i cristiani non è legittima, se non nel matrimonio sacramento, fuori del quale non vi è che un pretto concubinato.»

Lettera di Sua Santità Pio IX. a Sua Maestà Vittorio Emmanuele. Castelgandulfo 19. Settembr. 1852. Cf. *Allocuzione della Santità di nostro Signore Pio Papa IX. al sacro Collegio nel concistoro segreto dei* 22. *Gennaio* 1855. Roma 1855. *Documenti* num. LI. pag. 179.

possunt. Unde vero eiusmodi est petendum discrimen, nisi quod infidelium coniugium sistit in nuda contractus naturalis, aut civilis conditione, contra vero coniugia fidelium etiam sine sacerdotis praesentia inita, induunt praeterea qualitatem sacramenti, seu totidem sacramenta sunt? Haec est ratio, qua tridentini patres permoti sunt, cum vellent clandestina coniugia irrita facere, ut redderent contrahentes inhabiles ad contractum, adeoque ad sacramentum efficiendum, rati nulla alia ratione connubia clandestina semel inita posse dissolvi, eo quod utpote sacramenta, vera ac rata sint, ac propterea ecclesiae potestati sub hoc respectu subtracta (54). Verum de hoc argumento alias.

Et haec de argumentis theologicis pro doctrina de solis contrahentibus ceu sacramenti matrimonii ministris, quae, si rite perpendantur, talem praeseferunt evidentiam, ut ad eam admittendam vel ipsos reluctantes quadamtenus cogant.

ARTICULUS IV.

Argumentorum utriusque sententiae epicrisis.

Maiori quo potui animi candore et perspicuitate argumenta in medium protuli et exposui, quae afferri solent ab utriusque sententiae adstipulatoribus; tum nempe ex auctoritate biblica et traditionali, tum ex aliis theologicae disciplinae fontibus, ex ecclesiae sentiendi et agendi ratione, ex oecumenicorum conciliorum doctrina, atque ex sedis apostolicae sensu et praxi. Discussi haec omnia aequa lance, vimque, aut infirmitatem singulorum in propatulo constitui.

Nunc praestat ex eorumdem ad invicem collatione valorem absolutum colligere, ut veram nanciscamur sententiam. Porro si mente anticipatis iudiciis vacua haec expendantur, patebit Cani sententiam fuisse omnino novam, et hactenus in ecclesia inauditam, omnique prorsus solido

(54) De matrim. cap. VII.

fundamento sive biblico sive patristico destitutam, adeo ut ne unum quidem possit afferri documentum, quod aliqua veri specie rem conficiat. Nam ex Scriptura nullum prorsus testimonium a Cano adducitur, illud vero, quod ab insequentibus theologis prolatum est, ut vidimus, de alia omnino re, saltem expresse ac directe, iuxta exegeseos canones est intelligendum. Ex patribus vero et ecclesiasticis scriptoribus, quorum testimonia innuit Canus, uti pariter ostendimus, ne unum quidem est, quod argumentum istud attingat; idem dicas de aliis, quae a posterioribus auctoribus congesta sunt. Siquidem ut ex eorum analysi constat, aut alio sensu illa accipienda sunt, aut ostendunt adhibitam fuisse a sacerdote benedictionem in nuptiis christianis, ut hoc apparatu et ritu sacro conciliaretur sacramento maior a fidelibus veneratio, aut certior ecclesia fieret de inito coniugio. Hac de causa identidem summis laudibus et praeconiis extollunt salutares huiusce benedictionis sacerdotalis effectus, qua fiebat, ut fideles legitime nuptias celebrarent, atque ita gratiam consequerentur huius sacramenti propriam.

Hunc autem, et non alium fuisse sensum commendationis, qua patres exornarunt nuptialem benedictionem, luculenter factis ipsis patefecerunt. Patefecerunt scilicet 1. ex matrimoniis clandestinis, quae etsi ut illicita ac illegitima constanter improbaverint, numquam tamen habuerunt ut nulla ac invalida, ut vidimus ex Tertulliano, et confirmari posset pluribus canonibus, qui adhuc hac super re extant (55). Ne vero reponatur eos valida quidem eiusmodi coniugia habuisse uti contractus, non autem uti sacramenta, illud obstat, quod eiusmodi distinctio olim fuerit penitus ignota, ut suo loco ostendemus; alioquin inter-

(55) In conc. lateran. IV. cap. *Cum inhibitio de clandest. spons.* Item cap. *Aliter* 30. qu. 5. Grat. *Decr.* cap. ult. *Causae* XXVIII. qu. 1. Cf. Pallavicin. *Hist. conc. trid.* lib. XXI. cap. IV. n. 26.

dum dissolutionem horum coniugiorum permisissent, quod tamen numquam factum est, ut in coniugiis infidelium. 2. Patefecerunt ex denegatione benedictionis nuptialis in utraque ecclesia secundis, multoque vero magis tertiis ac ulterioribus nuptiis, ut ex allatis documentis pariter ostendimus (56). Quo enim magis patres primas nuptias commendabant, eo deteriori in censu secundas nuptias ac tertias habebant. Carebant siquidem secundae ac tertiae nuptiae omnibus, quibus primae condecorari consueverunt, ornamentis, velamine purpureo pudoris symbolo supra caput expanso, porrigebantur autem manus velamine obductae, ac destituebantur coronis (57), quas aureas vel myrtis, appio, granatis, olivis, aliisve suave olentibus herbis floribusque plexas fausta quaeque precans novis sponsis imponebat sacerdos (58). Carebant quoque solemni benedictione ecclesiae (59), nec cum ipsis convivari licebat sacerdoti (60); imo et variis poenis multabantur (61). Nemo tamen negaverit secundas has nuptias uti licitas ac validas, et vera rataque matrimonia in facie ecclesiae ce-

(56) Cf. etiam Bingham *Origines seu antiquitates ecclesiasticae*. Halae 1729. vol. IX. lib. XXII. §. II. *Quibus in casibus aliter* (quam per benedictionem) *fieri potuerit* coniugium, atque inter ceteros casus recenset bigamiam, ac trigamiam successivam, quae etsi vera ac rata matrimonia haberentur, minus tamen probabantur; adducitque can. VII. conc. neocaesariensis.

(57) Cf. Conc. nicaen. Actione VIII., Ephraem syrus in *Abrah. et Isaac.*; Palladius *Hist. Lausiaca*; Evagrius *Hist.* lib. VI. Gregorius Turon. lib. I. cap. 42., Theodorus Stud. lib. I. epist. XXII. In vitis praeterea sanctorum plurima huc pertinentia coronatorum exempla habentur. Gregorius Nyssenus *Exhortat. ad matr.*, et Ephraem *De orat.* orationem nubentium *coronam* vocant; ipsae nuptiae dicebantur *coronatio* στεφάνωσις, aut στεφάνωμα, nuptique *coronati* στεφανίται. Vid. Coustant Porphyrog. *De caeremon. ant. byzant.* lib. I. c. 39. Goar. *Euchol.* p. 385. Du Cange voc. *Corona* et στεφάνωσις.

(58) Cf. Theodor. Studit. lib. I. ep. 4.

(59) Conc. neocaesar. can. VII. cum schol. Balzamonis et Zonarae.

(60) Conc. laodic. can. I. Basilii can. XIV. cum schol. Balsam., Theod. cantuar. c. XXVI. etc. Cf. Klee *De secundis nuptiis*. Bonnae 1830. pag. 19. 20.

(61) Cf. Klee op. cit. Nec non Martene. *De antiq. eccles. ritib.*

Notandum porro est plerosque ritus in utraque ecclesia orientali et occidentali adscitos in nuptiarum celebratione in usu iam fuisse apud hebraeos, atque paganos;

lebrata ac sacramenta, habitas fuisse ab ecclesia quovis tempore, atque propugnatas adversus montanistas, qui eas damnabant (62).

Exinde etiam patet nullius plane momenti esse nonnullorum recentiorum theologorum animadversionem, nimirum patres, eo quod nondum *materiae* ac *formae* vocabula invecta fuerint, meliori qua potuerunt ratione, atque aequivalenter benedictionem commemorasse datam a sacerdote, illam quidem tamquam formam, hunc vero tamquam ministrum. Verum haec non est nisi divinatio quaedam non modo omni destituta fundamento, sed praeterea veritati plane contraria; cum verum habuerint sacramentum matrimonii, etiam nulla interveniente benedictione, ut constat ex dictis. Dixi *nulla interveniente benedictione*, siquidem, ut paulo ante animadvertimus, praeter solemnem benedictionem nulla alia plerumque agnoscebatur in antiqua ecclesia, uti fidem faciunt euchologia graecorum et orientalium, ac libri rituales latinorum; ac de illa sola patres loquuntur, quae denegabatur secundis et ulterioribus nuptiis, quae certe illa privata non erat, quae ante ingressum in ecclesiam, seu ante templi fores privatim ex Martenio in ecclesia occidentali dari consueverat.

Insuper scholasticorum aetate iam voces *materiae*, *formae*, ac *ministri* obtinebant in re sacramentaria, attamen ne unum quidem scholasticorum invenire est, qui *formam* benedictionem sacerdotalem vocaverit, contractum *mate-*

ecclesiam vero eos sanctificasse, ac ritus per se indifferentes in veri Dei cultum convertisse, ut in aliis factum esse ostendit Marangoni. Interim de coronis nuptialibus librum edidit Maderus, atque hoc ipsum argumentum attigit Paschalius in lib. *De coronis*, nec non Rittershusius lib. II. *Sacrar. lection.* cap. 9. et Io. Gottl. Bossechius στεφανομάτα *sponsi et sponsae*. Io. Frid. Hirtius *De coronis nuptialibus apud hebraeos*. Petrus Mullerus Dissertation. scripsit *De annulo pronubo*, prout Grotius scripsit *De paranymphis* ad Matth. IX. 15. ac *De domiductione* praeter Seldenum in op. *Uxor hebraea* etiam disseruit Iahn in *Archaeologia biblica*. Vien. 1814. §. 154 seqq.

(62) Cf. Tertull. lib. *De monogamia, et de pudicitia.*

riam, sacerdotemve *ministrum* sacramenti matrimonii dixerit, sed contenti universim fuerunt docere, per consensum verbis de praesenti matrimonium confici. Ergo defectus horum vocabulorum ratio esse non potuit, ob quam patres materiae et formae non meminerint in re, qua de agimus. Eo vel magis, quod potuerint benedictionem *verbum* vocare, consensum *elementum* sacerdotemque *ministrum*, quod pariter numquam fecerunt. Ideo vero non fecerunt, quia compertum patribus erat, prout compertum fuit veluti per traditionem quamdam scholasticis, Christum matrimonium ipsum, quod antea obtinebat, evexisse pro fidelibus suis ad sacramenti dignitatem adiiciendo contractui coniugali gratiam suam, qua antea nuptiae destitutae erant; ritus autem, quibus solemniter celebrabatur in ecclesia coniugium, adiectos ab ecclesia fuisse ad fines obtinendos, quos toties commemoravimus.

Quod si exigui, immo vero nullius ponderis ac valoris sunt, quae tum a Cano, tum a theologis reliquis allata sunt argumenta sive ex Bibliis, sive ex patribus, multo magis talia sunt censenda, quae ex rationibus theologicis urgentur. Nos ea expendentes deprehendimus, aut fallacia, aut falso, ut aiunt, supposito innixa. Si recolantur, quae reposuimus eiusmodi argumentis, facile sibi quisque id persuadebit, quod hic affirmamus, quin eadem repetere debeamus.

Ast talia ne pariter erunt censenda, quae adducuntur pro antiqua doctrina de contrahentibus coniugii christiani ministris? Nemo sanus profecto id dixerit, si attento animo reputet istam sententiam non omni plane argumento biblico destitui, quod nobis suppetit ex Apostolo Ephes. V. Etsi enim demus apodicticum illud testimonium non esse, haud ita tamen infirmum est, ut seponi possit; et sane conc. tridentinum satis aperte illi innititur testimonio, ut adstruat gratiam a Christo Domino adiectam fuisse coniugio natu-

rali inter protoparentes primum inito, quodque magnum est sacramentum in Christo et in ecclesia.

Ad patres vero quod attinet, vidimus eos unanimes esse cum ecclesia catholica, in admittendis uti validis, etsi illicitis, connubiis clanculum celebratis, et in agnoscendis secundo, tertio ulteriusve repetitis nuptiis quamvis sine benedictione sacerdotali inirentur. Non potuerunt proinde eiusmodi connubia uti sacramenta admittere, quin tamquam ministros matrimonii agnoscerent ipsos contrahentes. Fassi propterea sunt facto ipso benedictionem ceterosque ritus haud spectare ad sacramenti essentiam, idque confirmante ecclesia ipsa semper et ubique praxi sua.

Nec minus solidum est argumentum, quod suppeditant euchologia et rituales libri utriusque ecclesiae, in quibus pariter vidimus haud reperiri verba illa, quae contrariae sententiae theologi vellent constituere ut formam, quam sacerdos minister pronunciat : *Ego vos coniungo ;* sed neque aequivalentia habentur ullo modo. Fieri proinde nequit, ut in his, aut similibus verbis formam agnoscamus.

Idem dicas de argumento, quod praebent oecumenica concilia lateranense III. florentinum ac tridentinum, quae omnia non aliud requirunt elementum praeter mutuum contrahentium consensum ad sacramentum matrimonii constituendum. Imo cum tridentinum sub anathematis interminatione statuerit coniugia clandestina, quamdiu non fuerint ab ecclesia irrita facta, *vera* ac *rata* esse matrimonia, hoc ipso declaravit ea esse vere sacramenta, prout ecclesiastica loquendi ratio exigit, et conceptis verbis s. Thomas expressit cum reliquis scholasticis omnibus.

Sic etiam ineluctabile est argumentum, quod ex ecclesiae ac sedis apostolicae agendi ratione desumitur. Nam ab ecclesia et ab apostolica sede tamquam vera coniugia, adeoque tamquam vera sacramenta spectata sunt, quae sine sacerdotis praesentia per renovationem consensus, dum prius

fuissent invalida, legitima sunt effecta; nec non illa, quae in exteris regionibus sacerdotum defectu a solis inter se fidelibus coram delectis testibus fuerunt celebrata ac celebrantur; illa insuper quae renuente parocho atque invito per mutuum consensum coram duobus testibus effecta sunt; quae coram parocho diacono ineuntur, aliaque eiusmodi.

Item argumentum ineluctabile est, quod ex declaratione et doctrina rom. pontificum suppetit, praesertim Benedicti XIV. ac Pii IX. qui expresse sacramentum coniugii in mutuo partium consensu constituerunt, uti ex allatis documentis constat.

Nemo igitur qui sibi repugnare velit, ibit inficias sententiam, quae tenet contrahentes solos esse sacramenti matrimonii ministros, esse unice veram, imo et ecclesiae catholicae doctrinam. Et haec hactenus.

CAPUT VI.

DE INSEPARABILITATE CONTRACTUS ET SACRAMENTI IN MATRIMONIO CHRISTIANO.

ARTICULUS I.

In coniugiis christianorum inseparabilis est ratio contractus et sacramenti atque ubi non habetur sacramentum neque habetur contractus.

Quaestioni de ministro altera haec quaestio succedit, quae magis etiam proxime connexa est cum quaestione de matrimonio civili.

Cum autem de inseparabili contractus et sacramenti ratione in christianorum coniugiis disserimus, haud intendimus loqui de alterutrius conceptu, seu ratione in abstracto, quatenus nempe per mentis abstractionem apprehendi separatim possunt. Etenim ultro fatemur sub hoc respectu alterum ab altero distingui posse, ac dispesci.

De hoc nulla quaestio est: at disceptatio nostra tota in concreto versatur. Hoc sensu contendimus utramque rationem esse prorsus inseparabilem in coniugiis fidelium, ita ut altera ab altera tamquam *res* a *re* nequeat seiungi.

Adstruimus porro hanc doctrinam sive adversus veteres, sive adversus recentiores scriptores, qui sanam de matrimonio christiano ideam iniquo et irrito ausu labefactare ac pessumdare aggressi sunt.

Ex vetustioribus praeter haereticos sec. XVI., de quibus ex professo in altero libro disseremus, recenseri hic primum debet Marcus Antonius De Dominis episcopus spalatensis, postea haereticus apostata, qui in opere *De republica ecclesiastica*, ut sibi viam sterneret ad asserendam vindicandamque seculi principibus potestatem in matrimonia, praesertim circa ius statuendorum impedimentorum dirimentium, principio statuit, matrimonium esse contractum mere humanum, ac propterea ad iurisdictionem dumtaxat civilem pertinere, atque ab ecclesia nullatenus pendere; idque etiam in hypothesi quod coniugium sit sacramentum. « Cum, ut ait, supernaturalis haec conditio et ratio sacramenti superveniat matrimonio iam plene et perfecte in esse civilis contractus constituto (1). »

Eidem distinctioni ob eamdem rationem institit Ioannes Launojus doctor parisiensis. Siquidem et ipse scribit: « Spiritualem potestatem ab saeculari pendere quoad naturam civilis contractus matrimonii, cui iam legitime facto divinitus accedat ratio sacramenti; secularem potestatem a spirituali pendere quoad ministerium sacramenti matrimonii, qua sacramentum est; hanc mutuam civilis et spiritualis potestatis subordinationem traditam fuisse a Gelasio et Nicolao pontificibus; impedimentum matrimonium dirimens ex se, suoque genere esse civile, non spirituale; seculares principes impedimenta matrimonium dirimentia

(1) Lib. III. et V. cap. II.

statuere posse, secluso sacerdotalis ordinis consensu, qui secularium principum legibus obediendi necessitatem addat; quasi leges illae ex se idoneam vim obligandi non haberent; sacerdotalem ordinem, seu sacram pontificum auctoritatem non posse sine consensu principum impedimenta dirimentia statuere (2).»

Eidem distinctioni, atque in eumdem finem, inter contractum et sacramentum innixa turba est posteriorum canonistarum, et theologorum aulicorum, qui sec. XVIII. mediante et ad exitum vergente ius pene omne ecclesiasticum subverterunt. Invaluit haec doctrina ex eo potissimum tempore, quo legislatio austriaca veluti principium assumpsit, contractum civilem anteriorem esse sacramento, quod illum consequitur, atque constituit sacramentum consistere haud posse, quin prius conditionibus omnibus a lege statutis contractus absolutus fuerit. Eidem principio insistens de reali distinctione inter contractum et sacramentum, legislationem austriacam hac in parte adoptavit legislatio gallica sub Napoleone in eius codice.

Recentiores haud pauci ex eiusmodi scriptoribus tamquam exploratum inconcussumque principium pariter posuerunt, matrimonium esse contractum humanum, mereque civilem, variis in adiunctis solubilem, qui proprie per consensum mutuum contrahentium coram magistratu civili sit expressus, ipso parocho nonnisi vice civitatis fungente; sacram vero ceremoniam, ut vocant, quae a ministro ecclesiae peragitur, benedictionisque nuptialis nomine venit, ad matrimonialis contractus valorem minime requiri, etiam ubi publicatum fuerit tridentinum decretum; sed post matrimonium iam valide contractum a coniugibus pro lubitu adhiberi, aut omitti posse (3).

(2) *De regia in matrimonio potestate* an. 1674. ed. Colon. Allobrog. 1754. tomi I. Par. II. cap. IV. n. 3. pag. 749 seqq.

(3) Cf. Roskovàny *De matrimonio* tom. I. a §. 4. ad 15. ubi erudite istorum omnium singillatim nomina ac opera recenset.

Scilicet fatalis haec distinctio, qua tantopere abusi sunt quotquot ecclesiasticae potestati bellum intulerunt, ea est, quae arma praebuit validissima ad doctrinam catholicam labefactandam. Ea denique est, quam his fere diebus exsuscitavit in eumdem finem regius taurinensis professor Io. Nepomucenus Nuytz, cuius opera proscripsit damnavitque pontifex Pius IX.

Ne igitur exitialis eiusmodi doctrina plures inficiat, praecidanturque uno ictu corollaria, quae ecclesiasticae potestatis ac sedis apostolicae osores intulerunt, eam adoriri atque evertere assumpsimus, ostendendo quam falsa sit illa distinctio inter contractum et sacramentum in coniugiis christianis. Idque efficiemus tum ipsa inspecta rei natura, tum spectato antiquitatis sensu, tum denique expensa ecclesiae catholicae sentiendi agendique ratione.

Ac primo inspecta rei natura; quando quidem ex demonstratis in superiore tractatione de sacramenti matrimonii ministro, is non alius agnosci potest quam contrahens, dum suum praebet consensum et quidem vicissim; sed per huiusmodi consensum fit uno eodemque actu contractus et sacramentum; nam tunc minister pronunciat formam super legitimam materiam, quae constituitur ex alterius contrahentis corpore; ergo distingui nequit tamquam res a re contractus ratio a ratione sacramenti, et tamquam *entitas* ab *entitate* in connubiis christianis.

Rursum: id fit sacramentum, quod ex Christi institutione, et declaratione Apostoli Ephes. V. auctum est gratia, ac signum praesefert coniunctionis Christi eiusdem cum ecclesia sua; atqui hoc non est nisi ipse contractus seu coniugalis unio a Deo ipso in paradiso inter protoparentes instituta. Etenim Matth. XIX. 4 seqq. dixit Christus pharisaeis: «Qui fecit hominem ab initio masculum et foeminam fecit eos, et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo

in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet; » et Apostolus l. c. v. 30 seqq. scribit: « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et in ecclesia.» In utroque autem textu sermo est de unione coniugali primorum parentum; cum igitur haec unio, cui intrinseca est repraesentatio unionis Christi cum ecclesia (futurae quidem quoad protoparentes, iam peractae autem quoad nos), facta fuerit signum efficax gratiae seu sacramentum inter christianos, necessario consequitur non aliud esse contractum, aliud vero sacramentum in christianorum coniugiis, sed esse ipsum contractum gratia auctum et praeditum per Christum; seu quod idem est, consequitur in christianorum coniugali foedere, inseparabilem prorsus esse rationem contractus et sacramenti, seu unum idemque esse contractum et sacramentum.

Insuper: illud ipsum matrimonium factum est sacramentum a Christo, quod Deus constituit *ab initio*. Iam vero illud matrimonium non aliud fuit nisi ipsa protoparentum maritalis coniunctio referens futuram Christi cum ecclesia coniunctionem; ergo in hac maritali coniunctione ratio consistit sacramenti a Christo instituti; atque idcirco eadem est utriusque, contractus nempe coniugalis et sacramenti, ratio.

Praeterea illud ipsum per Christum factum est signum *efficax* gratiae, seu proprie sacramentum novae legis, quod ante eius adventum erat simplex signum *figurativum*, uti scholae loquuntur, unionis Christi cum ecclesia sua; atque hac de causa passim a patribus latiori quodam sensu dicta sunt sacramenta veterum connubia, non solum hebraeorum, verum etiam et ipsorum ethnicorum, quatenus, ut diximus, inhaerens est hoc signum ipsi mari-

*

tali coniunctioni (4). Porro hoc non est, nec esse potest nisi ipse contractus, quo fit eiusmodi coniugalis coniunctio; ergo contractus coniugalis identificatur cum sacramento, quod non est nisi signum unionis Christi cum ecclesia ipsi connubiali unioni intrinsecum et inseparabile ab ipso signo, immo est illud per quod signum exurgit. Unicum quod interponitur discrimen inter coniugium Adae atque posterorum usque ad Christum, est, quod illud fuerit purum signum absque gratiae connexione, ac propterea sacramentum improprie et lato sensu; connubium vero christianorum est illud ipsum signum, sed efficax gratiae, adeoque sacramentum presse sumptum. Cum igitur destrui non possit ratio sacramenti, quin destruatur ipse contractus, quo fit unio coniugalis, patet, non posse in coniugiis fidelium distingui seu dispesci tamquam rem a re rationem contractus a ratione sacramenti, et viceversa. Siquidem, ut diximus, identificantur.

Accedit demum ratio petita ex iis ipsis quotidianis civilibus actis, quae in omnium oculos incurrunt. Passim quippe homines inter se convenire solent ac pacisci de aliqua re; haec tamen conventio, aut pactum tum vere ac solum vim obtinent, cum per publicum actum, ac solemnitates a lege praescriptas communitum fuerit. Hoc in casu, profecto illa solemnitas nihil ponit in re, contractum tamen seu pactum perficit, ita ut sine illa, nondum contractus effectus censeatur. Nonnisi absurde quis distingue-

(4) Atque huc referuntur, ut postea videbimus, textus illi omnes, quos improbo labore congessit Launojus ad paradoxum suum evincendum in cit. op. *De regia etc.* Quod opus cum impugnasset Leuillierius doctor sorbonicus in *Observationibus ad Launoji librum*, atque Galesius episcopus aversanus in tractatu cui titulus: *Ecclesiastica in matrimonium potestas.* Romae 1676. Launoius amicis suis saepe testatus est librum illum scripsisse invitum et *contra animi sui sententiam*, iussu superiorum, ut refert Ancillonius in *Miscellaneis criticis* tom. II. pag. 330. Galesio tamen ipse opposuit librum eamdem sententiam propugnantem acerrime, qui inscribitur: *Contentorum in Galesii ecclesiastica in matrimonium potestate erratorum index.* Paris 1677.

ret, tamquam duas res atque duas entitates, solemnitatem et contractum, cum solemnitas illa sit, per quam contractus existit ac valorem obtinet. Id porro est, quod in fidelium coniugio contingit; siquidem mutuus consensus, qui interiorem voluntatem patefacit, ille est per quem contractus et sacramentum exurgit, seu est contractus, qui induit qualitatem sacramenti ex Christi voluntate, qui contractum, dum fit, seu in actu ipso quo fit, sanctificat gratia sua.

Alia plura possem eiusmodi argumenta urgere, quae in idem recidunt (5). Ne tamen diutius rem protraham, me verto ad alias propositas probationes enucleandas.

Secundo igitur hanc in sententiam universam conspirare antiquitatem haud difficile evincitur. Etenim exploratum est patres veteres distinctionem inter contractum et sacramentum in coniugiis christianis penitus ignorasse, nec unius quidem testimonium, quo eam vel leviter insinuasse videatur, adduci ex iis posse. Quamvis vero hoc non sit nisi argumentum negativum, attamen cum nihil positivi ei adversetur, magni profecto ponderis est censendum.

Neque desunt argumenta, eaque validissima ex veteribus ducta, quae nostram adstruant doctrinam. Siquidem hanc doctrinam adstruit eorum sentiendi atque agendi ratio, respectu illorum coniugiorum, quae fideles inter se occulte, ac inscia ecclesia celebrabant. Haec quippe coniugia quamvis perpetuo maiores insectati sint ac detestati tamquam illicita, nihilo tamen secius, quemadmodum ostendimus, ea uti vera ac rata habuerunt, ita ut numquam tribuerint ita inter se copulatis nova inire coniugia, aut eos ad separationem compulerint. Ex altera vero parte constat veteres non aliud agnovisse matrimonium, praeter

(5) Cf. card. Gerdil in egregio *Trattato del matrimonio. Discorso preliminare* in quo hanc ipsam doctrinam mirifice ac fuse evolvit. Opp. ed. Rom. 1809. tom. XV.

illud, quod in ecclesia ut veri nominis sacramentum admittebatur. Ex quo patet eos uti sacramentum admisisse coniugium clandestinum, in quo idem est contractus ac sacramentum, cum nulla in eo intervenerit ecclesiae seu ministrorum eius actio.

Idipsum confirmatur ex eorum sollicitudine, qui cavebant ne tales occultae coniunctiones fierent; exinde tot constitutiones et canones prodierunt ad eas vetandas; exinde etiam tantum ipsorum studium in efferendis benedictionis sacerdotalis fructibus, in augendo exteriori nuptiarum ritu et apparatu, ut ita magis fideles allicerent ad hoc suscipiendum cum uberiori fructu sacramentum ob debitam erga ecclesiam obedientiam, ac si secus facerent, etsi sacramentum susciperent, eiusdem tamen gratia destituerentur.

Sensus praeterea antiquitatis ecclesiasticae hac super re clarius adhuc patet ex patrum agendi ratione circa secundas ac ulteriores nuptias defuncto priori coniuge. Numquam ipsi affirmarunt novas has nuptias verum non esse coniugii sacramentum. Verum cum eas minus probarent ob quamdam incontinentiae labem, quam ita contrahentibus sibi videre visi sunt, has nuptias, ut suo loco vidimus, et coronatione et benedictione privarunt, etsi coram ecclesia celebrarentur. Sicque ostenderunt sacramentum per contractum confici.

Ut patet, argumenta illa omnia, quibus ex antiquitate ostendimus contrahentes creditos sacramenti matrimonii ministros, eadem sunt, quae evincunt, maiores nostros ratum fixumque habuisse unam eamdemque rem esse contractum et sacramentum in christianorum nuptiali foedere; sive hae nuptiae ornarentur, sive destituerentur exteriori rituum forma et apparatu.

Iuverit nunc aliud argumentum adiicere quo magis antiquitatis sensus innotescat ad rem nostram conficien-

dam. Hoc vero desumimus ex testimoniis illorum patrum, quae, ut innuimus, magno numero protulit Launoius, quibus ostendat veteres nomen ac dignitatem sacramenti in coniugiis veteris testamenti agnovisse. Tales sunt praeter recentiores Tertullianus, s Hieronymus, s. Augustinus, s. Leo M., Hincmarus Remensis etc. (6). Nos ultro id damus Launoio, dummodo in germano sensu, quo a patribus sacramenti dignitate ac nomine veterum coniugia praedita esse dixerunt, intelligantur; videlicet ratione meri signi, aut significationis futurae Christi cum ecclesia coniunctionis. Quo sensu interdum etiam iidem patres vel in ipsis infidelium connubiis sacramenti dignitatem ac nomen admiserunt, non autem ea ratione, qua in nova lege matrimonium dicitur sacramentum, quatenus scilicet adnexam gratiam habet, seu signum efficax est gratiae, quod esset absurdum de ethnicorum coniugiis cogitare (7). Quo praeposito fundamento, sic itineri insisto. Certum est, patres illum contractum, seu illum ipsum consensum, quo constituebatur contractus coniugalis inter fideles, vocasse sacramentum presse, ac veri nominis ad eum modum, quo latiori sensu sacramenta dixerunt coniugia, quae ante Christi adventum fiebant tum apud fideles tum apud infideles. Atqui in posterioribus his coniugiis patres non distinxerunt sacramentum a contractu, sed hunc ipsum contractum sacramentum vocarunt ob ipsi inhaerentem significationem futurae Christi cum ecclesia unionis ; ergo neque ullam interposuerunt distinctionem inter contractum et sacramen-

(6) In op. cit. pag. 710-716. Haec autem congessit testimonia eum in finem, ut deinde inferret viros principes, prout in veteri lege, sic in nova usos fuisse ac etiamnum uti potestate constituendi impedimenta dirimentia, etiamsi nuptiae a Christo evectae fuerint ad dignitatem sacramenti.

(7) Atque hic observari volo hunc auctorem, qui se ubique criticum sagacissimum, immo et hypercriticum exhibet, tamen tum hoc loci, tum ubicumque agitur de paradoxis suis adversus ecclesiae doctrinam persuadendis, absque delectu testimonia congerere solere.

tum in coniugiis christianorum, sed hunc ipsum contractum appellarunt sacramentum, eo quod praeseferat ratione sui signum efficax gratiae, atque unionis Christi cum ecclesia.

Tertio demum catholicam ecclesiam sua sentiendi et agendi ratione distinctionem contractum inter et sacramentum in fidelium, seu baptizatorum coniugiis excludere luculenter ostenditur ex concilii tridentini doctrina. Nam concilium sess. XXIV., uti superius vidimus, duo edixit, ac 1. Christum passione sua nobis promeruisse gratiam, quae naturalem amorem perficeret, et indissolubilem unitatem coniugii protoparentum ac posterorum confirmaret. 2. Per eiusmodi gratiam, qua sunt instructa coniugia christianorum, haec praestare connubiis veteribus tali gratia destitutis. Ex his proinde discimus sacramentum matrimonii christiani nihil aliud esse quam contractum ipsum sanctificatum, dum per consensum verbis seu nutibus expressum eum contrahentes conficiunt. Sane, si sacramentum a contractu distingueretur, eique tamquam res ab eo distincta accederet, ut scite animadvertit card. Gerdilius, non dixisset concilium, Christum fecisse matrimonium sacramentum, sed fecisse sacramentum distinctum ad sanctificandum matrimonium, eidemque adiungendum (8).

Praeterea, ut apposite rem declarat Bellarminus, coniugii sacramentum duobus modis considerari potest. Uno modo quando fit, altero quando permanet postquam factum est. Est enim matrimonium simile eucharistiae, quae non solum dum fit, sed etiam dum permanet, sacramentum est. Dum enim coniuges vivunt, semper eorum societas sacramentum est Christi et ecclesiae. Nam, ut ipse continuat, negari non potest ipsos coniuges simul cohabitantes, sive externam coniugum societatem et coniunctionem, quae materiale est symbolum externum Christi et ecclesiae indissolubilem coniunctionem referens, quemadmodum in

(8) Loc. cit.

sacramento eucharistiae, consecratione peracta, remanent species consecratae, quae sunt symbolum sensibile atque externum interni alimenti spiritualis (9). Iam vero, si sacramentum coniugii consisteret, aut requireretur in re aliqua a coniugali unione distincta, transacta semel illa qualicumque ceremonia, in qua iuxta adversarios consisteret totius sacramenti ratio, nihil sacramentale in illa unione perseveraret, quae facta fuisset per contractum penitus a sacramento distinctum, atque seiunctum, et in quem, ut contenditur, nullum influxum sacramentum exercet, utpote quod consisteret tantum in *actu transeunte*, non autem in statu *permanente*. Quocirca permaneret in statu suo et conditione contractus mere naturalis atque civilis, secus ac christiani connubii natura ex dictis postulet. Quod profecto nemo catholicorum dicet.

At praestat id ipsum adversariorum agendi ratione firmius constitui. Cum enim Nuytz urgere realem eiuscemodi distinctionem inter contractum et sacramentum in coniugiis christianorum sibi proposuisset, ita ut ratio sacramenti accedat tamquam ab extrinseco ad consensum, negavit Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti (10). Porro hic auctor non negavit matrimonium unum esse ex septem ecclesiae sacramentis a Christo institutis, quod haereticum esset, sed eo sensu inficiatus est Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti, quatenus contractum ipsum naturalem seu civilem fecerit sacramentum, ei vim tribuens producendae gratiae contrahentibus in actu ipso, et per actum contrahendi, ut deinde argumentaretur, rationem sacramenti ipsi contractui in esse suo iam constituto per benedictionem sacerdotis accedere, et sic alterum ab altero distingueret. Et reipsa ex hoc principio Nuytz hoc tamquam corollarium de-

(9) *De matr.* cap. VI.

(10) Eius propositiones a Pio IX. notatas superius dedimus.

duxit, adiiciens « sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile (11). » Quae tamen doctrina *falsa* declarata est a summo Pontifice, atque ut talis damnata.

Demum cum ecclesia numquam coegerit, aut cogat ad sese deinceps saltem communiendos benedictione sacerdotali eos, qui quacumque ex causa illicite contrahentes eam non receperint, ex. gr. eos, qui, parocho reluctante, aut ubi indulgetur ad valorem nuptiarum in coniugiis mixtis coram ministro acatholico, contraxerunt, luculenter ostendit, se invectam hanc distinctionem inter contractum et sacramentum plane non agnoscere. Hac enim in hypothesi iuxta adversarios nubentes non recepissent sacramentum, adeoque etsi eos coniugii ita illicite inter se initi poeniteret, deberent tamen in perpetuum gratia sacramentali ipsis adeo necessaria carere; quod quidem pientissima mater ecclesia numquam in filiis suis pateretur. Si proinde ecclesia eis denegat benedictionem, nec eos cogit ad eam sibi comparandam, ideo est, quod ipsa pro certo habet sic contrahentes vere, licet indigne, sacramentum suscepisse, sublato autem obice, quo impediti sunt quominus fructum seu effectum sacramenti susciperent, nempe vim sacramenti, quae reviviscit, sacramento iugiter perseverante, prout exposuit Bellarminus.

Igitur spectata rei natura, antiquitatis sensu inspecto, ecclesiaeque sentiendi et agendi ratione expensa, concludamus necesse est, in coniugiis christianorum inseparabilem plane esse rationem contractus et sacramenti; atque idcirco evanescant oportet cuncta exitialia consectaria, quae unice huic separabilitati et distinctioni innituntur, et ex ea profluunt.

Contra vero ex vindicata doctrina hac de inseparabilitate, pronum est corollarium inferre, quod in ipsa huius

(11) Cf. *Damnatio* et *prohibitio* etc. cit.

articuli inscriptione enunciavimus, nimirum in matrimonio fidelium, ubi non habetur sacramentum, neque contractum legitimum haberi.

Nam si in connubiis christianis, celebrato matrimonio, nulla superest distinctio realis inter contractum et sacramentum, adeo ut sacramentum et contractus sint unum idemque, omnino sequitur ibi non haberi contractum legitimum seu validum, ubi non habetur sacramentum. Hinc fere supervacaneum videri posset pluribus adeo conspicuam veritatem adstruere.

Quoniam tamen qui novitatibus student, numquam desinunt perniciosam doctrinam obtrudere, iuxta quam, etiamsi in coniugiis christianis quacumque de causa non habeatur sacramentum, teneat nihilominus matrimonium in ratione contractus legitimi, operae pretium esse ducimus, ipsis hoc etiam effugium praeripere. Quod quidem facile fit tum ex intima rei natura, tum ex doctrina ecclesiae, tum denique ex analogia cum sacramentis reliquis.

Sane natura ipsa rei, qua de agitur, exposcit ut nullus agnosci debeat legitimus seu validus contractus inter nubentes, ubi non habetur quacumque ex causa sacramentum, si sacramentum matrimonii nil aliud sit quam contractus legitimus sub debitis conditionibus celebratus: atqui ex dictis eiusmodi est matrimonii sacramentum: ergo, si non habetur sacramentum, neque contractus habetur. Quando proinde sacramentum non fit, ideo est, quia factus non est contractus legitimus; alioquin iam esset sacramentum: ergo spectata intima natura rei, haberi nequit contractus ubi non habetur sacramentum.

Rursum: sacramentum speciatim consistit, seu nequit concipi quod hinc quidem sit, illinc non sit sacramentum, seu ex parte sit, ex parte vero non sit; sacramentum enim aut integrum sit oportet ac perfectum in sua, quam vocant, formali ratione, aut nullum est omnino. Porro materia *proxima*

sacramenti matrimonii est contractus dum fit, cuius materia remota sunt corpora, materia proxima traditio corporum, forma acceptatio; *Ego te accipio in meam;* igitur prior actus, quo contractus fieri incipit, est materia proxima, forma secundus actus, quo contractus completur, quae est illud *verbum quod accedens ad elementum facit sacramentum*. In omni enim contractu adest seu intervenit traditio, vel concessio, et acceptatio iuris. Ideo diximus materiam sacramenti matrimonii esse contractum *dum fit,* seu in actu quo et per quem fit. Nempe, quod in idem recidit: aut habetur sacramentum et habetur contractus, aut non habetur sacramentum, nec habetur contractus, ex quo exurgit sacramentum, seu non est contractus ille formalis qualis requiritur ad sacramentum.

Si consulamus vero ecclesiae doctrinam, eo magis haec veritas confirmabitur. Etenim eo ipso quod ecclesia docet, causam efficientem matrimonii, ut loquitur Eugenius IV. in decreto pro Armenis, regulariter esse mutuum consensum per verba de praesenti expressum, patefacit, non posse haberi sacramentum sine contractu, et vicissim nullum haberi contractum ubi non est sacramentum, cum matrimonium sit ipse legitimus contractus, qui gratia instruitur.

Quod expendens Van-Espen, auctor profecto adversariis non suspectus, scribit: « Causa igitur efficiens et perficiens matrimonium est mutuus contrahentium consensus, et sicut sponsalia de futuro contrahuntur solo consensu in nuptias futuras, ita matrimonium per consensum de praesenti in nuptias perficitur iuxta regulam iuris: *nuptias non concubitus sed consensus facit.* Unde pontifex (Innocentius III.) in cap. 23. X. *De sponsalibus,* tamquam indubitatum fundamentum assumit, quod *sufficiat ad matrimonium solus consensus illorum, de quorum, quarumque coniunctionibus agitur* (12).» Agi vero de matrimonio

(12) *Ius eccles. univ.* par. II. tit. XII. cap. IV. n. 7.

prout sacramentum est, constat ex iis, quae idem auctor numeris praecedentibus exposuit circa discrimen inter infidelium et fidelium coniugium, quod illud quidem sit *verum*, sed *non ratum*, istud praeterea sit etiam *ratum* et sacramentum, dicens n. 3. « Aliud est matrimonium ratum, idest, ab ecclesia approbatum, quod inter christifideles legitime contrahitur....Nam etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est *ratum*: inter fideles autem verum et *ratum* existit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit *coniugii sacramentum*, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret. » Deinde explicat accurate quid veniat in Eugenii decreto sub verbo *regulariter*, scribens: « Nullatenus sic intelligendum, quasi aliquando alia esset causa efficiens matrimonii, quam *mutuus consensus*, sed quod is consensus non sit exprimendus *per verba*, ideoque vocula *regulariter* non refertur ad mutuum consensum, sed refertur ad consensum *per verba* de praesenti expressum. »

Eodem tendit doctrina concilii tridentini, ex qua constat concilium matrimonia clandestina irritasse non solum prout sacramenta, sed prout sunt contractus, imo directe irritum fecisse ac illegitimum consensum clanculum contrahentium, quos ad contrahendum reddidit ineptos, ut sic irritum faceret contractum adeoque et sacramentum. Persuasum igitur habuit concilium ubi nullum est sacramentum coniugii, nullum pariter esse contractum, ex quo sacramentum enascitur (13). Et sane satis est verba expendere decreti,

(13) Licet ex dictis contractus et sacramentum in coniugio christiano unum revera sint, seu, ut aiunt, *identificentur*, ratione tamen seu logice prius est contractus quam sacramentum; concilium porro reddens coniuges non idoneos ad contrahendum, hoc ipso irritum facit eorum contractum, adeoque et sacramentum impedit, quod ex illo exurgeret.

Apposite Bellarminus loc. cit. cap. V. scribit: «Materia sacramenti huius non est coniunctio viri ac mulieris cuiuscumque, sed coniunctio *legitimarum personarum*... Quae sint autem legitimae personae Christus non definivit, sed praesupposito contractu humano inter legitimas personas, eam coniunctionem evexit ipse

ut mens concilii patefiat: « Qui aliter, statuit concilium, quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad *contrahendum omnino inhabiles reddit*, et *huiusmodi contractus irritos esse decernit*, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat (14). »

Ex alio praeterea fonte ecclesiae doctrina hac super re innotescit, scilicet ex ratione signi prout indicat unionem Christi cum ecclesia, quod inest ipsi contractui. In tantum enim matrimonium christifidelium est sacramentum, in quantum est signum practicum coniunctionis Christi et ecclesiae, et sub hoc respectu gratiam legitime nubentibus confert. Iam vero eiusmodi signum est contractus per consensum verbis, aut signis elicitum, et quidem inter legitimas personas ac sub debitis conditionibus. Si proinde non habetur sacramentum, ideo est, quia deest contractus; nam si adesset legitimus contractus, hoc ipso haberetur sacramentum; ergo minime possibile est, ut habeatur contractus, ubi non est sacramentum.

Eadem ecclesiae sentiendi ratio innotescit ex modo, quo ipsa se gerit quoties in christianorum coniugiis non intervenit sacramentum, cum nempe aliquo ex capite evenit, ut sacramentum non habeatur. Siquidem ipsa illico ut innuptos spectat eos, qui ita contraxerunt, atque aut separat ab invicem, aut eos habet ut fornicarios. Cur vero ita se gerit, licet materialem, aut civilem inter se conventionem fecerint, nisi quia ipsa pro certo habet nullum adesse formalem ac presse dictum contractum? Idque sine ulla exceptione; porro nulla esset ratio sic agendi, si ecclesia existimaret posse haberi legitimum contractum

ad sacramenti dignitatem; ecclesia igitur determinat, quae sint *legitimae personae*, et eo modo materiam et fundamentum praeparat sacramento matrimonii.»

(14) Sess. XXIV. decret. *De reform. matr.* cap. I.

formalem ac validum, qui non sit sacramentum. Hac enim in hypothesi ad summum coniuges privarentur gratia tantum sacramentali, vel peccarent ita contrahentes contra ecclesiae praeceptum, sed contractus in suo robore permaneret, ac illi vere coniuges essent. Attamen ecclesia uti nullas constanter habuit et habet eiusmodi coniunctiones. Argumento igitur ineluctabili est, non subsistere contractum, si non interveniat sacramentum, seu verius qui non sit sacramentum.

Idem apertissime colligitur ex Allocutione, quam Pius IX. habuit ad patres cardinales die 27. Septemb. 1852. in qua contra legem de matrimonio civili in Neo-granatensi republica propositam, ita catholicae ecclesiae doctrinam exposuit: «Nihil dicimus de alio illo decreto, quo matrimonii sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despecta, eiusque institutione, et natura prorsus ignorata, et eversa, atque ecclesiae in sacramentum idem potestate penitus spreta, proponebatur iuxta iam damnatos haereticorum errores, atque adversus catholicae ecclesiae doctrinam, ut matrimonium tamquam civilis *tantum* contractus haberetur, et in variis casibus divortium proprie dictum sanciretur, omnesque matrimoniales causae ad laica deferrentur tribunalia, et ab illis iudicarentur; cum nemo ex catholicis ignoret, aut ignorare possit, matrimonium esse vere, et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea *inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum*, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, *praeter sacramentum*, coniunctionem, cuiuscumque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi *turpem atque exitialem concubinatum* ab ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari *numquam* posse, et omnino spectare ad ecclesiae potestatem ea omnia decer-

nere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere (15).» Quibus praeclarissimis verbis dum absolutissima traditur doctrina ecclesiae catholicae de matrimonio, simul Cani eiusque fautorum ac patronorum sententia reprobatur (16), ac doctrina, quam in hoc articulo probandam suscepimus, diserte asseritur.

Reliquum est ad absolvendum hoc argumentum, ut conferamus sacramentum hoc nostrum connubii christiani cum sacramentis reliquis, ut ex istorum analogia veritatem eruamus enunciatae doctrinae.

Porro exploratum est, cum agitur de materia sacramentorum proxima, cuiusmodi est contractus in sacramento matrimonii in sensu exposito, quod si aliquo vitio ea laboret substantiali, ut aiunt, hoc ipso non exurgat seu non conficiatur sacramentum; aut si agitur de sacramentis permanentibus, uti eucharistia, corruptis speciebus, sacramentum esse desinit corporis et sanguinis Domini. Itaque, quemadmodum cessante idonea materia, desinit esse sacramentum, ita, cessante sacramento, materia idonea cesset, aut cessasse necesse est. Ut hanc doctrinam cum casu quem prae manibus habemus coniungamus, si quacumque ex causa contingat, ut aut non fiat sacramentum, aut si factum sit, cesset sacramenti ratio, materia amplius non subsistit; si in matrimonio, aut ex defectu consensus, aut ex defectu alicuius conditionis, personae idoneae non sint ad legitime contrahendum, nec efficitur sacramentum, neque ullo modo contractus habetur.

(15) Cf. *Pii IX. pontificis maximi Acta* part. I. pag. 392 seq.

(16) Ex his iterum patet sententiam Cani illam *probabilitatem* amisisse, quam Bened. XIV. ut privatus doctor in cit. opere *De synodo* eam habere scripserat, ut constat ex doctrina Pii VI. in litteris ad episcop. motulensem die 16. Sept. 1788. et in aliis datis ab eodem pontifice ad Carolum episcop. agriensem (sub ditione austriaca) die 11. Iulii 1789. Item ex doctrina Pii VIII. et Gregorii XVI. in negotio de matrimoniis mixtis cum rege Borussiae, ac tandem clarius adhuc ex doctrina Pii IX. quam hic et alibi retulimus.

Itaque sive intimam rei naturam, sive ecclesiae doctrinam, sive demum analogiam spectemus sacramenti matrimonii cum sacramentis reliquis, concludamus oportet, in matrimonio christiano contractum legitimum non haberi ubi non habetur sacramentum : adeo inseparabiles sunt ratio contractus et ratio sacramenti !

ARTICULUS II.

Data etiam veritate sententiae de sacerdote sacramenti Matrimonii ministro, perperam adhuc inde infertur distinctio inter contractum et sacramentum in matrimonio christiano.

Supervacaneum videri posset post ea, quae hactenus constituta sunt, de eadem retractare sententia, quum firmis adeo solidisque argumentis demonstratum sit, nulla ratione doctrinam de sacerdote ceu sacramenti matrimonii ministro admitti posse. Quoniam tamen, qui animo obfirmati sunt in ea protuenda ad perversum finem assequendum, quem sibi proposuerunt (cuiusmodi sunt pseudopolitici, ut suo loco videbimus) se facile communiunt extrinseca illa probabilitate, quae eidem sententiae obvenit ob tot theologorum, qui eam tuiti sunt, auctoritatem, et propter quam Benedictus XIV. Cani sententiam *valde probabilem* nuncupavit, cogimur adversus eos, qui eadem abuti pergere volunt, etiam hac in hypothesi invectam distinctionem prorsus eliminare. Hac ratione praecidimus filum cuiusvis tergiversationis osoribus catholicae doctrinae ne ea ad propriam et aliorum perniciem abuti valeant.

Ne vero in re adeo gravi desideretur necessaria perspicuitas, nonnulla praemittenda esse censuimus ad dicendorum elucidationem.

Praemittimus itaque 1. nos hoc loco disserere de matrimoniis iuxta formam a tridentino praescriptam celebratis, aut celebrandis ubi eius decretum publicatum est. Nam

quoad alia negari nequit necessario admittendam esse, ea in hypothesi, distinctionem inter contractum et sacramentum. Haec siquidem est logica illatio ex semel admisso principio, quod nempe ubi non intervenit sacerdotis actio, seu eius benedictio, non habeatur sacramentum, sed merus contractus sive naturalis, sive civilis. Atque hoc est quod contendit Canus; nimirum hac in hypothesi haberetur quidem contractus, at sacramentum non item, deficiente eius ministro et forma.

Praemittimus 2. non esse permiscenda duo haec, videlicet, posse subsistere matrimonium, seu contractum sine sacramento; et posse subsistere sacramentum distinctum a contractu. Nam primum falsum quidem est, ex nostra doctrina, at ex adversariorum sententia dimanat; idque contigit et contingit in omnibus coniugiis clandestinis, in omnibus coniugiis renitente parocho, aut coram haeretico ministro celebratis, aut celebrandis. In his enim omnibus aliisve similibus casibus haberetur iuxta eam sententiam contractus civilis sine sacramento. Alterum vero non modo est falsum, sed neque legitime ex adversariorum doctrina dimanat, prout mox ostendemus.

Praemittimus 3. enunciatam doctrinam a nobis adstrui adversus eos, qui Cani sententia abutuntur, uti iam innuimus, secus ac ipse aut intellexerit, aut voluerit. Nam Canus quidem distinctionem inter contractum et sacramentum adstruxit in coniugiis, quae absque sacerdotis benedictione celebrarentur; numquam tamen eam admisit, aut insinuavit quidem cum ageretur de connubiis per sacerdotis benedictionem sanctificatis. Contra vero illi, quos impugnamus, atque in his nominatim Io. Nepomucenus Nuytz, etiam in his coniugiis eiusmodi distinctionem admittendam esse contendunt.

Quibus praemissis, data etiam hypothesi de veritate sententiae, quod sacerdos minister sit sacramenti matri-

monii, inferri haud potest distinctio, seu potius *separabilitas* (17) contractus et sacramenti tamquam rei a re in coniugio ad formam tridentinam celebrato, adeo ut huius articuli sensus sit: tunc saltem, cum matrimonium in facie ecclesiae celebratur, contractus a sacramento separari non potest, etiamsi detur adversariis, sacerdotem esse ministrum. Quod quidem ostendere operosum non est.

Etenim tunc solum subsisteret eiusmodi distinctio realis inter contractum et sacramentum, si matrimonium, seu contractus coniugalis per mutuum consensum verbis, aut signis expressum, aliud esset praeter sacramentum ipsum per benedictionem sacerdotalem confectum seu administratum. Porro sacramentum non est, nec esse potest praeter contractum ipsum. Ergo invecta illa distinctio realis inter contractum et sacramentum in coniugiis etiam ad formam tridentinam celebratis admitti nequit.

Minor propositi argumenti multiplici ex capite evincitur: ac 1. ex concilio tridentino, quod anathema pronunciavit in illos, qui dixerint, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis (can. I.). Iam vero si aliud esset contractus post sacerdotalem benedictionem, aliud autem sacramentum, non amplius vere et proprie matrimonium dici posset *sacramentum*, sed dici deberet sacramentum adiectum matrimonio, eique extrinsecus obveniens suscipiendum post initum contractum, aut susceptum, si placet, post eumdem contractum per benedictionem sacerdotis. Quid enim in adversariorum sententia matrimonii nomine significaretur, nisi

(17) Adiecimus vocem hanc ad omnem abigendam ambiguitatem, quia fieri absolute potest, ut duo sint inter se *realiter* distincta, quin separari ab invicem, saltem vi naturali possint. Quod ut aliquo exemplo illustrem: corpus et anima in homine vivente sunt realiter distincta, nec tamen absque hominis extinctione separari ab invicem possunt, et ita de pluribus aliis. Itaque quoties hic, aut alibi de *reali* distinctione disserimus inter contractum et sacramentum in coniugio christiano hoc sensu intellectam hanc locutionem volumus.

ipse contractus coniugalis plene ac perfecte in suo esse constitutus, cui deinde accederet veluti qualitas quaedam extrinseca ratio sacramenti? Idem vero concilium matrimonium ipsum vocavit sacramentum; ergo concilium ignoravit eiusmodi distinctionem, et qui eam introducunt, adversantur plane doctrinae eiusdem concilii.

Haec autem concilii mens clarius dignoscitur ex doctrina, quam canonibus suis praemisit. Etenim concilium docet Christum sanctificasse gratia sua amorem naturalem, et indissolubilem unitatem connubii confirmasse; ex quo intulit matrimonium in lege evangelica veteribus connubiis per Christum praestare, atque idcirco merito matrimonium inter novae legis sacramenta connumerari. Quod profecto consequens non esset, si sacramentum esset res distincta ab ipso matrimonio, seu a contractu coniugali per se subsistente.

2. Probatur ex eorumdem patronorum sententiae Cani aperta doctrina. Ipsi enim expresse inficiantur oriri ex Cani opinione, aut subsistere eiusmodi distinctionem post confectum per sacerdotis benedictionem sacramentum. Docent proinde unanimi consensu sacramentum matrimonii consistere in ipso vinculo unionis coniugalis, et per consequens docent matrimonium aliud non esse nisi contractum ipsum ad sacramenti dignitatem evectum, vi cuius fit haec unio signum mysticum coniunctionis Christi cum ecclesia, cui signo a Christo adnexa est efficacia producendi gratiam.

Ita Sylvius, qui scribit: « Ut autem matrimonium est sacramentum novae legis, ita potest definiri: matrimonium est christianorum viri et foeminae personarum legitimarum coniunctio, vel contractus maritalis ad individuam vitae societatem retinendam institutus, et gratiam coniuges sanctificantem conferendi vim habens (18). »

(18) *Comm.* in quart. XLVI. *Suppl.* art. 3.

Sic etiam Natalis Alexander, qui cum ostendisset pollere ecclesiam potestate non modo prohibendi, verum etiam irritandi coniugia clandestina, hanc attulit rationem: «Ecclesiae scilicet dispensationi matrimonium subiacet, *quatenus contractus est ad sacramenti dignitatem evectus* (19).»

Ludovicus Habert, cum pariter utriusque sententiae fundamenta exposuerit, sibi obiicit adhaerenti opinioni de sacerdote ministro, qui bendictione pronunciat verba formae: «Ergo, inquies, prius perfectum est matrimonium in ratione contractus civilis, quam in ratione sacramenti.» Respondet autem: « Negant sequelam patroni huius sententiae, quia contrahentes consensum suum nolunt firmum fieri, nisi cum ab ecclesia fuerit acceptatus, mentemque suam explicant exemplo aliorum contractuum, ad quos lege principis requiritur aliqua solemnitas: praevius enim contrahentium consensus, v. gr. de fundo aliquo vendendo et emendo, non habet suum robur et vim contractus, donec ab actuario fuerit conscriptus et consignatus (20).» Ex quibus patet auctorem hunc, cui bene perspecta erat Cani eiusque patronorum sententia, declarasse, quoad eos, qui contrahunt, ante sacerdotis benedictionem, matrimonium nullum robur ac firmitatem obtinere, etiam in ratione contractus, sed solum in actu, quo matrimonium fit sacramentum per benedictionem sacerdotalem, illud vim acquirere; adeoque perfici una simul, et in ratione contractus et in ratione sacramenti.

Imo ulterius progrediuntur; siquidem etiam in hypothesi, quod vi emissi consensus *ante* benedictionem sacerdotis existere incipiat matrimonium in ratione contractus, tamen negant *post* datam a sacerdote benedictionem permanere matrimonium sub ratione contractus, sive civilis

(19) *Theol. dogmat. moral. De sacram. matrim.* cap. II. art. 2. *De consensu cland.* prop. 2.

(20) De matr. cap. IV.

sive naturalis, quum per eam, tamquam per formam accedentem ad materiam, transeat contractus ad conditionem ac dignitatem sacramenti per modum unius.

Sane Drouinius Cani sententiae maxime addictus de materia ac forma disserens sacramenti matrimonii, cum praemisisset materiam huius sacramenti esse matrimonium ipsum, prout est contractus civilis et legitimus, hac ratione id evincit : « Illud enim sacramenti materia est, quod, forma accedente, fit sacramentum.... Atqui matrimonium quatenus contractus civilis est et legitimus, adveniente sacerdotis mystica benedictione fit sacramentum... ita verissime dicitur consensum mutuum contrahentium verbis sive signis externis declaratum, esse huius sacramenti materiam, vel quasi materiam, quae deinde ad gratiae productionem sacerdotis verba mystica proferentis ministerio foecundatur (21).» Quae quidem doctrina duplici modo intelligi potest; tum quod per benedictionem sacerdotis tamquam formam contractus materia efficiatur, ut ex utraque sacramentum exurgat, aut fiat, quatenus forma intime materiam penetret, efficiatque cum ea sacramentum gratiam producens; tum quod consensus unde contractus emergit, tunc suum robur ac firmitatem mutuetur, cum ei accedit benedictio, et materia fit sacramenti. Quavis ratione intelligatur, illud ratum fixumque est, penes huius sententiae patronos contractum et sacramentum *identificari*, ita ut alter ab altero non distinguatur in coniugio christiano.

Itaque totum quod interponitur discrimen inter eos, qui contendunt contrahentes esse ministros sacramenti matrimonii, et eos, qui pugnant pro sacerdote in eo consistit, quod illi velint virtutem sacramentalem a Christo *immediate* connexam fuisse ipsi contractui, isti malint

(21) *De re Sacramentaria* lib. X. q. 3.

adnexam a Christo ipsi contractui *mediate*, seu mediante benedictione sacerdotali, constituta a Christo uti forma sacramenti. Utrique igitur in eo conveniunt, sacramentum matrimonii a Christo institutum proprie esse matrimonium ipsum exurgens ex contractu, qui suppeditat esse unioni coniugali referenti coniunctionem Christi cum ecclesia, cuique placuit Salvatori nostro adnectere sacramenti dignitatem, adeoque unum idemque effecit contractum et sacramentum, ita ut ab invicem separari ac dispesci nequeant (22).

3. Probatur ex ipsa matrimonii natura prout exurgit ex contractu ad dignitatem sacramenti a Christo evecto. Etenim contractus et sacramentum ita arcte connectuntur, ut ex utroque simul sumpto unum matrimonium habeatur. Siquidem aut communis admittitur sententia de contrahentibus ministris (quae nunc est unice vera), aut magis arridet sententia de ministro sacerdote. Si prior admittatur sententia, res plane confecta est, cum non aliud sit sacramentum, quam ipse contractus a legitimis personis factus sub debitis conditionibus referens unionem Christi cum ecclesia, atque hac de causa a Christo gratia auctus, utpote signum efficax constitutus eiusdem gratiae; et res etiam clarior evadit. Si posterior sententia adversariis magis placeat, tunc sacramentum est idem contractus, quatenus per formam a sacerdote prolatam materia fit proxima sacramenti, vim habens ex Christi institutione producendi gratiam, seu est idem ipse contractus sanctificatus a benedictione sacerdotali. Ergo in utraque hypothesi concurrunt contractus et sacramentum tamquam duo attributa unius eiusdemque rei efficiendae, quae est matrimonium. Quapropter distingui a se invicem tamquam res a re amplius nequeunt, ac separari.

(22) Cf. Card. Gerdil loc. cit.

4. Praeterea: Eatenus contractus est sacramentum, quatenus est signum ac symbolum coniunctionis Christi et ecclesiae gratiam producens; iam vero eiusmodi signum non est contractus ex se seiunctim ac universim spectatus, sed prout est evectus ad sacramenti dignitatem, sive eiusmodi evectio fiat immediate per consensum contrahentium, sive mediate per benedictionem sacerdotis; ergo rursum in utraque sententia indistincta manet ratio contractus et sacramenti.

Diximus autem contractum nubentium, dum nempe perficitur, esse materiam *proximam* sacramenti matrimonii, ac propterea re non distingui a sacramento ipso, ut sic excluderemus fallacem argumentationem Marci Antonii De Dominis, qui ut persuadeat permanere etiam post adeptam rationem sacramenti contractum civilem in suo esse, utitur exemplo aquae, quae materia cum sit baptismi, tamen in esse suo naturali iam constituta est ante baptismum, ac talis perseverat post administratum salutare lavacrum; idem dic de pane et vino respectu sacramenti eucharistiae ante consecrationem (23). Iam vero Spalatensis apostata in hac sua comparatione dupliciter errat, tum nempe in eo, quod supponat iam existere contractum perfectum ante sacramenti administrationem, prout existit aqua ante baptismum, quod tamen in communi ac vera sententia falsum est; immo et in sententia Cani, uti vidimus, aut saltem iuxta eiusdem placiti expositionem quoad eos, qui ipsum tuentur; tum in eo errat, quod spectet contractum nubentium in actu quo benedicitur, uti materiam *remotam*, cui tamquam ab extrinseco ceu qualitas accidentalis superveniat ratio sacramenti, cum ex catho-

(23) Haec sunt verba Spalatensis: «Sicut sacramentum baptismi nihil confert aquae in esse perfecto aquae, et sacramentum eucharistiae pani et vino; sic neque sacramentum matrimonii quicquam conferet contractui inter masculum et foeminam; qui contractus est iam plenum et absolutum matrimonium in esse matrimonii, hoc est, contractus humani.» Op. et loc. cit. n. 22.

lica doctrina et theologorum omnium sententia spectari debeat uti materia *proxima*, quae adipiscitur rationem sacramenti in actu ipso quo celebratur coniugium. Idcirco ita se habet contractus ad sacramentum, quemadmodum se habet *ablutio* in administratione baptismi. Cum vero talis ablutio a sacramento distingui nequeat, quia in ea una cum forma apposita sacramenti essentia consistit, ita non potest distingui contractus coniugalis a sacramento ipso matrimonii, quia in eo, ubi celebretur sub debitis conditionibus, essentia sacramenti matrimonii constituta est.

Ne autem videamur id gratuito affirmare, iuverit hanc doctrinam ineluctabili adstruere auctoritate s. Thomae, qui proponens doctrinam sua aetate vigentem circa aquam baptismi haec ad rem nostram scribit: « Quidam existimaverunt, quod ipsa aqua sit sacramentum.... Sed hoc non videtur esse verum. Cum enim sacramenta novae legis sanctificationem quamdam operentur, ibi perficitur sacramentum ubi perficitur sanctificatio. In aqua autem non perficitur sanctificatio...et ideo sacramentum non perficitur in ipsa aqua, *sed in applicatione aquae ad hominem, quae est ablutio*. Et ideo magister dicit, quod *Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma praescripta verborum* (24).» Et Catechismus rom. « Id vero, inquit, eo diligentius monere opportebit, ne forte fideles in eum errorem inducantur, ut existiment, quod vulgo dici solitum est, aquam ipsam, quae ad conficiendum baptismum in sacro fonte asservatur, sacramentum esse; tunc enim sacramentum baptismi dicendum est, cum aqua ad abluendum aliquem, additis verbis, quae a Domino instituta sunt, reipsa utimur (25).»

Igitur aqua relate ad baptismum non est nisi materia *remota*, quae tunc solum fit *proxima* cum tingitur, seu

(24) In 3. *Sentent.* qu. 66. art. 1.
(25) Part. II. *De sacr.* bapt. n. 6.

perficitur sacramentum sub forma praescripta verborum, et est inseparabilis ac indistincta a sacramento; ita contractus nuptialis, dato etiam, quod ante sacramentum matrimonii subsistat, non est nisi materia *remota*, cum autem *sacramentum perficitur* sub debitis conditionibus, et prolatione formae praescriptae, fit materia *proxima*, ut iam non distinguatur ab ipso matrimonii sacramento prout rursum exponit s. Thomas cum scribit: « Dicendum quod, sicut se habet *ablutio exterior* ad baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc sacramentum, ut dictum est (26).» Et alibi: « Actus exteriores, inquit, et verba exprimentia consensum directe faciunt nexum quemdam, qui est sacramentum matrimonii (27).»

Cum proinde in quacumque hypothesi, seu theologorum inter se pugnantium sententia, sacramentum coniugii sit contractus nubentium, quatenus vi verborum seu formae praescriptae fit sacramentum, quod est in indivisibili, patet profecto sacramentum non amplius spectari posse ut rem distinctam a contractu connubiali. Quapropter ad eum modum, quo perfecta unctione non potest distingui ab oleo, quo unctio facta est, seu a sacramento extremae unctionis; et peracta consecratione non possunt distingui in eucharistia panis ac vinum a sacramento, quod subsistit mediantibus speciebus, ita celebrato semel matrimonio sub debitis conditionibus, non potest amplius distingui contractus a sacramento, cum ipse contractus vi verborum sese converterit in sacramentum connubii christiani, sive haec verba prolata fuerint ab ipsis contrahentibus, sive a sacerdote conferente benedictionem.

Superflua haec a nobis appellarentur, nisi morem gerere vellemus alterius sententiae, scilicet Cani, patronis, neve adversariis effugium relinqueremus, quasi nempe

(26) In 4. Dist. 27. qu. 1. art. 2. *Ad quartam quaest.*
(27) Ibid. qu. 2. art. 3. ad 2.

doctrina haec nostra de inseparabilitate contractus a sacramento in coniugio fidelium, non inniteretur nisi liberae opinioni, quam, salva fide, omnisque temeritatis nota, possent plane respuere.

Ceterum nos insistimus veteri communique doctrinae, quam unice veram ostendimus praesertim post tot rom. pontificum authenticam declarationem, et in qua clarius firmiusque catholica doctrina de identitate contractus et sacramenti in christiano coniugio patescit.

Per hanc enim omnis occluditur ecclesiasticae auctoritatis adversariis evadendi aditus, quae quidem evadendi libido praecipua est ratio, ob quam ipsi libentius Cani doctrinae adhaereant, licet immerito et iniuria tot insignium theologorum, qui eam amplexi propugnarunt.

SECTIO ALTERA

DE MATRIMONIO CIVILI.

CAPUT I.

DE MATRIMONII CIVILIS NATURA

ARTICULUS I.

Matrimonium civile, ubi publicatum est Tridentinum Concilium, natura sua turpis est concubinatus, et quicumque solo conlugio civili inter se coniuncti vitam agunt, poenis ab Ecclesia latis contra publicos concubinarios obnoxii sunt.

Quaestiones hactenus a nobis agitatae de sacramento matrimonii, de ministro, deque inseparabilitate contractus et sacramenti in matrimonio christiano, viam nobis straverunt ad quaestionem, quam nunc tractandam suscipimus de matrimonio civili. Eo enim consilio ea praemisimus, ut tamquam in finem praecipuum, quem hic intendimus, felicius assequendum recta perducerent. Itaque in ipso quaestionis exordio paucis perstringamus oportet, quid civilis matrimonii practextu veniat, verumque quaestionis statum ponamus.

Ad hoc necesse est praemittere ipsa verba concilii tridentini in decreto de reformatione matrimonii, quae in priore etiam sectione partim allata sunt: «Tametsi dubitandum non est clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia quamdiu ecclesia ea irrita non fecit, et proinde iure damnandi sint illi, ut eos s. Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant..... nihilominus s. Dei ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit. Verum cum s. Synodus animadvertat prohibitiones illas propter hominum inobedientiam iam non prodesse,

et gravia peccata perpendat, quae ex eisdem clandestinis coniugiis ortum habent, praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerint, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt, cui malo cum ab ecclesia, quae de occultis non iudicat, succuri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcirco s. lateranensis concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhaerendo, praecipit ut in posterum.....ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiae procedatur: ubi parochus viro et muliere iterrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, vel aliis utatur verbis iuxta receptum uniuscuiusque provinciae ritum..... Qui aliter quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos s. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. Insuper parochum, vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes, qui sine parocho, vel sacerdote, huiusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes, graviter abitrio ordinarii puniri praecipit.....Decernit insuper, ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae, numerandos.»

Ex his, quid civilis coniugii nomine veniat, intelligitur. Civilia connubia ea dicuntur, quae iis in locis, in quibus publicatum est concilii tridentini decretum contrahuntur coram solis magistratibus civilibus sine parochi praesentia.

Itaque quisque facile intelligit heic a nobis non agitari quaestionem de coniugio civili universim sumpto.

prout inter infideles celebrari solet coram magistratibus civilibus, aut saltem ad normam civilium legum, si quae sint constitutae: eiusmodi enim coniugia ex Innocentio III. licet *rata* non sint, sunt tamen *vera*. Neque etiam quaestio agitatur de matrimoniis, quae a fidelibus ipsis coram civili magistratu, aut alia ratione contrahuntur iis in locis, ubi tridentinum decretum non est publicatum: etenim iis in locis eiusmodi coniugia et *vera* sunt et *rata*, seu eo ipso, quod sint legitimi contractus, sunt etiam sacramenta. Quaestio igitur est de matrimoniis civilibus in locis initis, in quibus post tridentini decreti publicationem, matrimonium sine parochi praesentia celebratum, non solum non est sacramentum, sed neque contractus, abstrahendo etiam a quaestione sacerdotio, an vero contrahentes ministri sint sacramenti. De his civilibus connubiis affirmamus, ea spectanda esse et habenda, prout sunt, tum in se, tum in facie ecclesiae, tamquam *turpes concubinatus*.

Hanc vero formulam ad litteram desumimus ex Allocutione, quam Pius IX. habuit ad patres cardinales die 27. Sept. an. 1852. in qua disserens de lege in comitiis Neogranatensis reipublicae proposita circa matrimonia civilia, pronunciavit « Neminem ex catholicis ignorare, aut ignorare posse, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea *inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum*, atque idcirco, quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, praeter sacramentum, coniunctionem, cuiuscumque etiam civilis legis vi initam, nihil aliud esse nisi *turpem ac exitialem concubinatum* ab ecclesia tantopere damnatum (1). »

(1) Hoc ipsum iam vidit vir acatholicus Augustinus Leyser scribens in *Meditation. ad Pandect.* tom. IX. Specim. 583. §. 1. « Popularis iste iurisconsultorum error originem inde traxit, quod illi definitionem matrimonii seu nuptiarum, quae in iure romano reperitur, quod scilicet sint viri et mulieris coniunctio indi-

Et sane si ex verbis pontificis, et ex iis, quae hactenus a nobis demonstrata et vindicata sunt, nulla datur in connubiis christianis realis distinctio inter contractum et sacramentum: si praeterea nullus est legitimus coniugalis contractus sine sacramento: exinde fluere necesse est, nulla esse matrimonia eis in locis, in quibus tridentinum decretum publicatum est, quaeque ad solam legum civilium normam fuerint celebrata. Quapropter cum nihil intercedat inter coniugalem coniunctionem et turpem concubinatum, necessario provenit, praesumpta coniugia, seu contractus mere civiles non aliud esse quam turpem exitialemque coniunctionem, seu concubinatum coram Deo et coram ecclesia.

Nempe, non obstantibus legibus hominum quibuscumque, fieri numquam potest, ut quod turpe est natura sua et coram Deo, fiat honestum. Atque huc bene referuntur patrum effata, quibus ipsi fideles amovebant deterrebantque ab ineundis coniugiis ab ecclesiae legibus damnatis, quaeque temere quidam pertentabant freti imperatorum legibus, quae illa concedebant.

Porro inter ceteros s. Io. Chrysostomus agens de iis, qui iuxta leges humanas dimittebant per repudium uxorem suam aliamque ducebant, sic eos interpellabat. « Nec mihi leges ab exteris conditas legas praecipientes dari libellum

viduam vitae consuetudinem continens §. L. inst. de patr. potest. ante oculos habuerunt; nec definitionem istam iamdiu obliteratam ac iuribus moribusque plane non convenire cogitarunt....At ea res postea insignem mutationem passa fuit, postquam christianus orbis...Benedictionem sacerdotalem ad essentiam nuptiarum requirere caepit. Ex hoc igitur tempore vetus illa nuptiarum definitio mutari debuisset, atque male a iurisconsultis nostris et per manifestum errorem retenta est. Solus de individua vitae societate inter virum et uxorem consensus, quamvis in actum deductus, nuptias et legitimum matrimonium hodie non facit, *quamdiu benedictio sacerdotalis non accedit, merus concubinatus est.* Pleraeque concubinae hodie eo animo, eoque pacto accipiuntur, ut perpetua cum illis vitae consuetudo sit, at propterea uxores non efficiuntur...Manent hae mulierculae concubinae, quoniam cap. I. sess. 24. *De reform. matrim.* in concilio tridentino *benedictionem sacerdotalem ad formam matrimonii requirit.*»

repudii et divelli. Neque enim iuxta illas iudicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse statuit (2).» S. Hieronymus: «Aliae sunt, inquit, leges Caesarum, aliae Christi, aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit (3).» S. Ambrosius item scribit: «Dimittis ergo uxorem ipsam quasi iure, sine crimine: et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet....Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt (4).» S. Gregorius nazianz.: «Decretum, inquit, legibus nostris (christianis) displicet, tametsi romanae aliter decernant (5).» S. Augustinus scribit: «Hinc non licet... iure *Poli*, etsi liceat iure *fori* (6)» et alibi: «Sterilem coniugem relinquere, ut alia foecunda ducatur, nefas est. Quod si quisquam fecerit, non lege huius seculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur...sed lege evangelica reus est adulterii (7).» S. Gregorius M. pariter de civili scribens lege opposita legi evangelicae haec habet: «Sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, divina tamen prohibet (8).» Quae verba cum retulisset Nicolaus I. sic universim pronunciat: Civiles imperatorum leges nullum posse praeiudicium inferre «evangelicis, apostolicis atque *canonicis* decretis (9).»

Equidem non ignoro patres, quorum attuli auctoritates, disserere de peculiari divortii quaestione; verum dispiciendum est principium ab iis constitutum, cuius gratia eas adduxi; quod generale cum sit, pro rerum ac temporum pondere ad varios casus in concreto applicari

(2) In Homil. *De libello repudii;* in illum locum: *Mulier alligata est etc.* I. Cor VII. 39. n. 1. opp. ed. Maur. tom. III. pag. 204.

(3) Ep. XXXIX. *ad Oceanum de morte Fabiolae* n. 3. ed. Vallars.

(4) Lib. VIII. in cap. XVI. Luc. n. 5. ed. Maur.

(5) Epist. 211. opp. ed. Paris. tom. II. p. 1136.

(6) Serm. CCCXC. alias XXXIX. inter L. tom. V. p. 1304. ed. Maur.

(7) Lib. I. *De nupt. et concup.* c. X. ed. cit. tom. X. p. 286.

(8) Lib. XI. epist. XLV. alias XXXIX.

(9) Epist. XXXII. apud Labb. in *Collect. concil.* tom. VIII. pag. 415.

debet. Porro patres unanimi consensione tamquam principium sibi assumunt in conflictu legis humanae, seu civilis cum lege divina, nullam prorsus rationem legis habendam esse, ubi illi adversetur lex divina, aut etiam canonica; atque legem humanam, seu civilem, a quacumque demum auctoritate dimanaverit, numquam posse cohonestare quae a divina lege tamquam inhonesta ac turpia reprobantur. Applicarunt autem generale hoc principium ad id, de quo tunc temporis agebatur, nempe ad divortium strictim sumptum, seu quoad vinculum, quod licet civili lege sanciretur, a lege tamen divina vetitum erat. Nos vero utimur eodem principio universim a patribus posito, illudque convertimus ad quaestionem nostram de coniugiis civilibus, quae quamvis a lege humana sanciantur, spectari tamen debent uti exitiales et turpes coniunctiones, utpote quae a divina lege ex catholica doctrina reprobentur.

Quod si nil aliud est matrimonium, quod civile dicitur, quam turpis concubinatus legalis, necesse est dicere non modo nulla aliquando ratione legitimum atque honestum effici posse quavis legis sanctione, aut potius obtentu, sed praeterea quotquot eiusmodi connubia celebrant reos se constituere gravissimi criminis coram Deo et coram ecclesia; atque si ita in iisdem nexibus perseverent, in habituali peccato degere, atque in aeterni exitii discrimine, quod certo incurrent, nisi eos ante mortem huius facinoris poeniteat, ac resipiscant.

Verum nec illud omittendum sine animadversione est pseudo-politicos graviter vocibus abuti ad populum decipiendum eique illudere, dum legem proponunt sanciendam sub specioso *matrimonii civilis* titulo. Cum enim in pactione illa civili, seu tantum coram politico magistratu inita, nullum interveniat matrimonium, sed unice pactum de vita fornicaria ducenda, inique prorsus *matrimonii* nomine insignitur. Deberet proinde eiusmodi lex inscribi de *concu-*

binatu civili. Ast optime norunt hi pseudo-politici, quod si simpliciter prout se habet res sancienda nomine proprio proponeretur, neminem adstipulatorem nanciscerentur, titulo hinc immutato *matrimonii civilis* perversitatem incautis propinant. Sane si prout in se est, et absque falsi nominis fuco lex *de fornicatione legali* probaretur, ab ea populus abhorreret, legislatoresque suos, qui impio ausu id pertentarent, execrarentur veluti publicae honestatis osores. Attamen res ita est; nomen adscititium rei naturam non immutat.

Quum igitur qui ita contrahunt vere concubinarii et quidem publici sint, atque uti tales ecclesia eos spectet, nullum est dubium ipsos in eas poenas incurrere, quas in eiusmodi concubinarios ecclesia statuit sive ob habitualem lethalis peccati statum, in quo vivunt, sive ob publicum, quod de se praebent scandalum in gravem animarum perniciem. Reipsa ab antiquissimis temporibus plura tum particularia tum generalia concilia varias poenas adversus eiusmodi homines decreverunt (10). Ne vero longiores simus in his afferendis, satis erit describere quae a duobus oecumenicis conciliis constituta sunt, nempe a concilio lateranensi V. et tridentino.

Concilium itaque lateranense ita sanxit: « Concubinarii autem, sive laici, sive clerici fuerint, eorumdem canonum poenis mulctentur, neque superiorum tolerantia, prava consuetudo, quae potius corruptela dicenda est, a multitudine peccantium, aliave quaelibet excusatio eis aliquo modo suffragetur, sed iuxta iuris censuram severe puniantur (11). »

(10) Concil. toletan. I. cap. 12. Concil. aurelianense III. cap. 9. Concil. turon. IV. cap. 10. Conc. triburiens. I. cap. 49. Concil. rom. sub Nicolao III. cap. 2. Concil. mediolan. II. tit. 1. Decreto 29. Concil. lateranens. V. sess. 9. in Bulla *Reform. curiae*, et ex cap. *Audita* 6. dist. 33. cap. *Concubinae* Causa XXXII. quaest. 2. cap. *Nemo* 4. Cap. *Dicat* 9. Causa XXXII. quaest. 4. Cap. *Cum dilectus* 20. *De accusationibus*. Cap. *Si concubinae* 55. *De sentent. excommun.*

(11) Loc. cit. apud Harduin *Acta concil.* tom. IX. col. 1755.

Tridentini autem verba haec sunt: « Grave peccatum est homines solutos concubinas habere, gravissimum vero et in huius magni sacramenti (matrimonii) singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere et retinere. Quare ut tanto malo sancta synodus opportunis remediis provideat, statuit *huiusmodi concubinarios* tam solutos quam uxoratos, cuiuscumque status, dignitatis et conditionis existant, si postquam ab ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non eiecerint, seque ab earum consuetudine non seiunxerint, *excommunicatione* feriendos esse, a qua non absolvantur, donec reipsa admonitioni factae paruerint. Quod si in concubinatu per annum censuris neglectis permanserint, contra eos per ordinarios severe pro qualitate criminis procedatur; mulieres sive coniugatae, sive solutae, quae cum adulteris, seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitae non paruerint, ab ordinario locorum, nullo etiam requirente, ex officio pariter pro modo culpae puniantur, et extra oppidum, vel dioecesim, si id eisdem ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio seculari, eiiciantur, aliis poenis contra adulteros et concubinarios inflictis in suo robore permanentibus (12). »

Ex istorum conciliorum decretis patet publicos concubinarios non solum plecti posse ac debere ab ordinario, seu episcopo loci excommunicationis poena post trinam admonitionem, sed puniendos praeterea esse severe pro qualitate criminis ad ordinarii arbitrium; non modo expellendas ab oppido, aut dioecesi concubinas, si ita episcopo visum fuerit, verum etiam aliis subiici poenis, quae a iure per canones constitutae sunt. Has inter poenas autem et illa recensetur de publica infamia, quam eiusmodi concubinarii incurrunt; ita ut ipsi hac infamia multati a foro

(12) Sess. XXIV. *De reform. matrim.* cap. 8.

ecclesiastico arceantur, seu accusare et testificari prohibeantur (13). Altera poena, in quam insuper concubinarii publici labuntur ea est, quod si ex hac vita decedant in concubinatu, nullo dato poenitentiae signo, carere debeant ecclesiastica sepultura, ac, si in loco sacro fuerint sepulti, exhumari debeant, et in locum profanum abiici (14). Numquam igitur a concubinatu ecclesia non abhorruit!

Accedit quod eiusmodi concubinarii tamquam publici peccatores publice sint a superioribus ecclesiasticis arguendi ac poenis plectendi, prout rursum a tridentino constitutum est insequentibus verbis: «Apostolus monet, publice peccantes palam esse corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpae poenitentiam publice iniungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam (15).» Haud me latet heic de iis agi, qui delicto aliquo publice se commaculant, reosque in conspectu multitudinis se constituunt, quibus publica iuxta canones poenitentia est infligenda; attamen nemo negaverit publicos concubinarios in eorum venire censum, qui scandalo populum afficiunt, qui eos notat, deque eorum vivendi ratione obloquitur, quique idcirco ad scandalum reparandum tenentur publica saltem resipiscentia, sin minus determinata publica poena sint plectendi.

Quae cum ita se habeant, rite ex praemissis deducimus eos, qui civilibus tantum, quas vocant, nuptiis

(13) Cap. *Cum dilectus* 20. *De accusatoribus*, addita Glossa ibid. *Concubinarios*.

(14) Cap. *Sacris* 10. *De sepult. clement.*

(15) Sess. XXIV. in *Decret. de reform.* cap. 8.

contenti sub legis obtentu, quae ipsos ad renovandum coram ecclesia consensum non adstringit, id facere negligunt, utpote publici concubinatus reos, omnibus ab ecclesia in eos constitutis subiacere poenis.

Neque sic contrahentes ab his poenis incurrendis liberat lex civilis, quae omnino pugnat cum ecclesiae doctrina. Siquidem lex ista haud immutare valet rei naturam, neque efficere, ut illud, quod in se non existit, nulliusque penitus est valoris, coram Deo et coram ecclesia aliquando existat ac legitimum sit. Poterit politica auctoritas eiusmodi profanas coniunctiones, si ei libuerit, vocare coniugia civilia, civiles nuptias, civilemque contractum, non poterit tamen umquam efficere ut vera sint connubia, verae sint nuptiae, verique contractus, dirimente impedimento obstante, quominus tales censeantur ac sint. Ecclesia iugiter ita contrahentibus inclamabit: Ea, quae vos coniugia civilia nuncupatis, vera sunt contubernia, fornicationes legales, concubinatus turpissimi, coniugii specie ac larva tecti.

Congerat insuper politica auctoritas legalia privilegia, legalesque favores circa haereditatem, successiones, donationes aliaque eiusmodi ad legem a se constitutam seu sancitam tutandam vindicandamque; verum hoc omni non obstante exteriori apparatu, numquam efficiet filios vere legitimos, cum a non legitime coniunctis prodierint, eruntque in eadem prorsus conditione, in qua inveniuntur filii naturales sive spurii ac nothi ex concubinatu progeniti, nec poterunt vere legitimi fieri, nisi per coniugium subsequens in facie ecclesiae initum.

Rursum, physica violentia poterit civile regimen impedire, quominus poenae ab ecclesia decretae actu infligantur, ast numquam id assequetur, ut eas civili tantum ratione coniuncti non incurrant a iure, ac non subiiciantur poenis illis, quae mere spirituales sunt ac internae.

Non poterit adigere ecclesiae ministros, ut illis sacramenta administrent, neque ut ecclesiastica sepultura donentur, qui saltem ut publici peccatores ac impoenitentes ex hac vita decedunt; multo vero minus civilis auctoritas efficere poterit, ut eiusmodi supposititi coniuges non moriantur in statu lethalis peccati, adeoque a Deo aeternum puniantur.

Denique nulla humana potestas eo usque perveniet, ut ecclesia suis in actibus non spectet eiusmodi coniunctionem uti fictitiam et nullam, atque propterea in iis, quae ad forum suum pertinent, non applicet leges a se constitutas. Nullum ex. gr. ecclesia filium ex coniugio solum civili procreatum ad sacros promovebit ordines, utpote ex illegitimo ortum matrimonio, et ita de ceteris.

Igitur nulla suboriri potest dubitatio, quod qui civili tantum sunt copulati coniugio habeantur ut publici concubinarii, atque poenis canonicis obnoxii, prout in enunciatione huius articuli affirmavimus. Insuper nulla pariter dubitatio subit, potestatem civilem numquam posse impedire, quominus illae incurrantur, etiamsi vi externa connitatur obsistere nonnullarum executioni.

ARTICULUS II.

Matrimonium civile natura sua opponitur Matrimonii christiani indissolubilitati, favetque divortio.

Doctrina catholica est, foedera nuptialia semel consummata numquam in christiana lege quoad vinculum posse dissolvi: quam quidem doctrinam uti exploratam assumimus, eamque suo loco vindicabimus. Iam vero indissolubilitati huic omnimodae atque perpetuae coniugii christiani adversatur matrimonium simpliciter civile.

Sane omnimodam firmitatem adsequuntur christianorum connubia ex apertissimo Christi oraculo: *Quod Deus con-*

iunxit homo non separet, ob eam potissimum rationem, quod sunt *sacramenta*. Enimvero coniugia veterum, Deo ipso permittente, per libellum repudii quandoque solvebantur. Etsi autem ante Babylonicam captivitatem vix, aut ne vix quidem eam concessionem, seu potius indulgentiam duritiae cordis eorum hebraei in praxim deduxerint (16); post reditum tamen a captivitate, pedetentim ita iudaei progressi sunt in multiplicando divortio, in peius quotidie ruentibus moribus, ut ex quavis levissima causa uxores dimitterent, quod certo constat tum ex proposita a pharisaeis Christo quaestione, tum ex illorum temporum historia (17). Satis nobis hic sit animadvertere, quod licet immerito et contra legis sensum et spiritum agerent iudaici doctores, dum divortii causas adeo multiplicarent, nihilominus certum est, Moysen *ob duritiam cordis*, ut loquitur Christus Matth. XIX. *permisisse* iudaeis dimittere uxores suas, et quidem, ut legitur Deut. XXIV. propter *aliquam foeditatem;* hinc sub lege mosaica coniugium non erat omnino indissolubile.

Sed neque hac fruuntur omnimoda indissolubilitate connubia in infidelitate contracta, alioquin nullo umquam in casu legitime possent dissolvi. At infidelium matrimonia dissolvi quandoque posse certum pariter est, quod in insequenti libro declarabimus. Restat igitur ut christianorum coniugium iam consummatum prorsus indissolubile dicatur et sit ob solam rationem *sacramenti*. Quibus praemissis, pronum est colligere enunciatae thesis veritatem, scilicet civile coniugium absolutae christiani coniugii firmitati adversari.

Coniugia quidem mere civilia, si in se spectentur, ut toties diximus, neque sacramentum sunt neque con-

(16) Cf. Drach *Du divorce dans la synagogue*. Rome 1840. *Prém. époque* pag. 49 seqq.

(17) Cf. *Seconde époque* pag. 63 seqq.

tractus, adeoque nonnisi improprie per divortium solvi dicuntur. At si hypothesim etiam adversariorum concederemus, si ex eorum principio, atque, ut dici solet, argumento *ad hominem* utamur, id certo adversarii fateri debent, coniugia mere civilia, utpote mere civiles contractus dissolvi posse. Nimirum licet matrimonium civile verus esset contractus, non esset tamen necessaria qualitate praeditus indissolubilitatis. adeoque ex sua ipsa natura matrimonium civile proprietates deiicit matrimonii christiani, nimirum indissolubilitatem.

Velit nolit civilis auctoritas, impedire minime poterit divortia, quae a ratione meri contractus civilis sponte procedunt: imo etiam ipsamet cogetur aliam proferre legem, qua eiusmodi divortia legitima efficiantur. In utroque autem casu evidens est, indissolubitatem christiani coniugii labefactari atque omnino corruere.

Sublato igitur atque omnino subverso principio religioso, quod unicum vereque solidum fundamentum est indissolubilitatis coniugalis, quodnam aliud substituet fundamentum auctoritas civilis, quae abstrahere se velle protestatur a religione in suis legibus condendis circa matrimonium? Profecto non aliud praeter legem naturalem, aut voluntatem seu auctoritatem suam per legem manifestatam. Porro utrumque eiusmodi fundamentum labile est, ac tanto effectui producendo prorsus ineptum.

Etenim primo impar est indissolubilitati coniugali stabiliendae lex naturalis, quae multiplici interpretationi obnoxia est; atque cum nemo inter homines eius interpres infallibilis sit et authenticus, praesertim circa articulum, quem expendimus, hoc ipso nutat eius auctoritas. Crescit vero difficultas ex disceptatione, quae inter philosophos hac super re viget et iuris naturalis peritos, qui in varias abeunt sententias, aliis affirmantibus, negantibus aliis, ex lege naturae exposci eiusmodi connubii

indissolubilitatem (18). Certe Bentham plura congessit argumenta, quibus evincat naturae iure coniugium potius exposcere dissolubilitatem, arguitque legislatores quod indissolubile voluerint illud efficere (19). Plerique omnes antiqui legislatores, saltem interveniente adulterio, solubile decreverunt coniugium, immo vero plures alias causas pro coniugii dissolutione statuerunt, quod postea videbimus. Itaque ex sola naturali lege indissolubilitas ita constitui nequit, ut non nutet, adeoque illi soli politica auctoritas inniti nequit ad constabiliendam perpetuam civilis coniugii indissolubilitatem.

Sed neque secundo id obtineri potest sola imperantis seu legislatorum auctoritate. Nam nulla omnino est humana quaelibet auctoritas, ut valeat obsistere vehementibus cupiditatibus, quibus homines identidem urgentur. Nimis praeterea instabiles sunt vel ipsi legislatores, qui saepe adeo leges suas immutant; quare etsi ad tempus sanciri possit indissolubilitas, cum id pendeat ab hominis arbitrio, citius serius e codice eiusmodi lex deleri potest. Idque longe facilius continget, cum plures ad leges ferendas concurrunt; siquidem et ipsi legislatores suis cupiditatibus premuntur. Rursum, cum opiniones novae praevalent mentemque multitudinis invadunt in quibusdam praesertim temporum adiunctis, facile ad se trahunt eiusmodi legislatorum assensum. Denique, aliis omissis, absurdum est sibi persuadere posse humanam auctoritatem,

(18) V. Schwarz *Institut. iuris publ. univers. naturae et gentium.* Venet. 1760. tom. II. pag. 6 et 7. ubi plures philosophos antiquos et recentiores adducit pro sententia negativa, immo non paucos theologos primae notae praeter auctores protestantes, qui de iure naturae opera ediderunt. Nos hos suo loco afferemus.

(19) *Oeuvres de J. Bentham iurisconsulte anglais. Traité de législation civile et pénale* Bruxelles 1829 troisième part. ch. V. *Du mariage* sect. II. *Pour quel temps? Examen du divorce.* Nos haec argumenta suo loco expendemus ac dissolvemus, cum nempe in lib. III. disseremus de hac indissolubilitatis proprietate.

quae se locum obtinere contendit auctoritatis divinae, id efficere, quod ex hominum pervicacia aegre obtinet vel ipsa auctoritas divina. Omnibus igitur perpensis, perspicuum est unicum solidum fundamentum, cui inniti valeat perpetuitas indissolubilitatis coniugii, esse religionem, nempe ecclesiam catholicam, quae si desit, nihil est quod tantundem valere possit.

Ne vero videamur theoriis tantum atque speculationibus inniti, publicis potissimum ac notoriis factis, quae diximus, confirmamus; ac ne illorum multitudine obruamur, nonnulla ex recentioribus praesertim commemorabimus, quae ex civili coniugio immediate dimanant. Haec autem petemus ex Germania, ex America septentrionali, aliisque regionibus, in quibus praevalet protestantismus.

Simul enim ac protestantes, excussa ecclesiae auctoritate, ab ea subtraxerunt coniugium, illudque ad civilem auctoritatem transtulerunt, illico aditum ad divortia aperuerunt. Ab initio quidem duas tantum divortii causas assignarunt, scilicet adulterium et affectatam coniugis absentiam; deinde vero huc alias plures causas revocarunt; nimirum interpretati sunt huiusmodi causas ad eum modum, quo interpretantur Biblia, ut ea ad id pertrahant, quod iis magis arridet. Hinc ad causam adulterii retulerunt peccata omnia carnalia contra naturam; ad affectatam autem absentiam revocarunt non modo insidias contra coniugis vitam, verum etiam molitiones omnes adversus honorem et facultates, saevitiam item duramque agendi rationem, aversionem animi (*incompatibilitatem* vocant) et querelas. Et haec quidem quamdiu titulos servarunt *canonicos* et *evangelicos* ab ipsis nuncupatos, et ab antiquis reformatoribus constitutos. Postquam vero protestantismus suam omnem perfectionem seu evolutionem acquisivit ope rationalismi, nullum amplius servarunt modum (20) et

(20) Protestantism evolutio dici debet praecipua ratio tot dissolutionum

quaestionem a Pharisaeis Christo propositam: « si licet homini dimittere uxorem suam *quacumque ex causa* » protestantes in Germania visi sunt iterum proponere, atque affirmative resolvere.

Ex eo enim tempore matrimonium, omni ab eo abiecta religionis forma, factum est contractus mere civilis a civili lege unice moderandus, ac profanis iudicibus causae omnes coniugales, quae prius a consistorio expendebantur, discutiendae ac dirimendae dimissae sunt. Ac ii quidem abunde hac usi sunt potestate. Fridericus II. Borussiae rex in rescripto dato an. 1780. decrevit haud nimias esse difficultates opponendas coniugiorum solutionibus, eo quod id populi incremento obsisteret. Cum enim coniuges a se invicem dissentiant, ita ut neque animorum unionis, neque sincerae reconciliationis spes ulla affulgeat, non amplius filios gignunt; hoc porro populi nocet augmento. Contra vero si fiat divortium ac mulier alteri nubat, probabilior erit procreatio (21). Idque rite; siquidem, cum matrimonium in protestantium systemate contractus sit mere naturalis ad liberos gignendos reipublicae seu societati, non autem, ut catholici docent, ad multiplicandos ecclesiae, ac proinde Deo filios, non poterat novus ille Licurgus alium sibi praefigere finem, nec aptius adhibere instrumentum.

Tribunalia civilia in Germania morem gesserunt Friderici rescripto, adeo enim se facilia praebuerunt in fe-

coniugiorum, quae non solum a tribunalibus civilibus, sed ab ipsis ministris evangelicis passim fiunt. In cuius rei confirmationem proferam quae leguntur in *Univers* 5. Août 1855. «On lit dans la *Bretagne*. Le synode protestant de Transylvanie s'est réuni à Clausembourg. Sait-on quelle a été son occupation principale? La dissolution de deux cent soixante mariages! Il a prononcé deux cent soixante divorces, pour un pays grand comme la Brétagne, dont la majorité des habitants sont ou grecs ou catholiques.» Reipsa ex supputatione Springeri numerantur in Transylvania 322,000. catholici, 554,000. graeci-uniti, idest 876,000. catholici, 689,000. schismatici, 222,000. lutherani, ac 334,000. calvinistae.

(21) Cf. Taparelli *Saggio teoretico di diritto naturale*. Roma 1855. tom. II. Diss. VII. cap. III. *Della società domestica*.

rendis de divortio sententiis, ut an. 1837. in Borussia decreverint 2392 divortia ex 3888. petitionibus, quae illis oblatae fuerunt (22). Sed longe ulteriores progressus labente tempore haec divortii facilitas fecit. Siquidem eo res pervenit, ut si levia quaevis rationum momenta afferantur, satis sint ut exigui temporis spatio divortia pronuncientur. Coniugales eiusmodi *negotiationes* ulterius progrediuntur: intra anni spatium, intra breviusculum mensium, immo intra brevissimas hebdomadas contracta coniugia dissolvuntur (23).

Quod dictum est de Germania pari iure dici debet de aliis septentrionalibus regnis, in quibus reformati dominantur. In Dania regis filius an. 1846. legale divortium obtinuit a secunda, quam duxerat uxore sua ex multo iam tempore absente ob dissensiones mutuas. Causa, quae proferebatur, fuit insuperabilis *animi aversio*. Hoc, inquam,

(22) Cf. *Voce della verità*. 21 Apr. 1838. n. 1049.

(23) Cf. Avogadrum in cit. egregio op. *Teorica dell'istituzione del matrimonio*. Torino 1853. tom. I. c. XVI. ubi plura profert documenta. Nos alia non pauca adiicere illis possemus, sed ne longius res haec notissima protrahatur, contenti erimus ex ephemeride protestante *Kirchelage* quam profert *Revisio christiana* mensis Mart. 1855 atque his verbis gallice reddit *Univers* 18. Mars 1855. « Tout le monde sait que la législation prussienne en est venue à relacher tellement le lieu conjugal, qu'il suffit de la moindre incompatibilité d'humeur pour le rompre, quitte à le renouer plus tard avec la prémière femme quand en sera las de la seconde. Il est en vérité bien facheux que Henri VIII. n'ait pas pu profiter d'un code si commode, qui lui eût épargné bien de sang versé, tout en lui permettant d'ajouter un ou deux noms à la liste de ses femmes. Au point de vue évangélique, une semblable législation consacre l'adultère. On conçoit que le sens chrétien s'alarme là, où il suffirait du sens moral. Le lien étroit, qui unit en Allemagne l'église et l'état, condamne l'église, dans l'absence du mariage civil, à donner la consécration à ces adultères légaux. On conçoit donc qu'elle réclame avec vivacité. Elle est dans son rôle, et dans son droit.» Ad horum confirmationem texitur catalogus divortiorum, quae locum habuerunt prout sequitur: « Pendant une période de trois années, anterieure à 1854., il y a eu une moyenne 2,841. divorces par année dans toute l'étendue de la monarchie (prusienne), et dans ce chiffre, la seule province de Brandebourg, figure pour 875., tandis que la province rhénane, où le code Napoléon en est en vigueur, n'y est que pour 24. (notandum tamen est non paucos protestantes in hac provincia degere). En 1844, la législation fut rendue plus sévère, et le divorce a encor été dans la dite province de Brandebourg, de 744. par an.»

fuit secundum divortium, aliud enim iamdiu fecerat a coniuge priori (24). Porro notum est effatum : *Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

In provinciis foederatis Americae, annis singulis plus minus quinque millia decernuntur divortia (25). In California an. 1854. solo mense februario labente, atque in una civitate a *s. Francisco* nuncupata, dum *quatuor* tantum celebrata sunt coniugia, *decem* facta sunt divortia (26). Protestantes in America promovendi divortia hanc etiam causam attulerunt, scilicet ut facilius iuvenes ad contrahendas nuptias alliciantur. Alioquin enim si coniugium proponeretur sub dura perpetuitatis lege, ab hoc saepius abstinerent; contra vero si proponatur cum certa spe divortii ac solutionis a temporaneo vinculo, facilius inducuntur ad illud subeundum iugum (27). Adeo nempe res ibi progrediuntur, ut hactenus pervenerint! Atque haec speciminis gratia attulisse sufficiat; nam alibi hoc ipso de argumento redibit sermo.

Quod vero, eiusmodi divortiorum facilitas ex lege de coniugio civili sponte dimanet, vadem habemus illustrem apud suos iurisconsultum Eichorn professorem berolinensem, qui exposito progressu in peius legislationis germanicae circa matrimonia, ita pergit: « Si inter se rationum momenta comparentur, ad divortium admittendum, cum doctrina evangelica, nulla apparebit oppositio. Christus Iesus unicum motivum adsignavit, propter quod divortium

(24) Ex *Univers.* 4. Mai 1846.

(25) Eadem ephem. cuius verba mox subiiciemus.

(26) Ex New-Yorck Herald Feb. 1854.

(27) Cf *Univers* 17-18. Avril 1854. nec non 26. Décemb. eiusdem anni in artic. *Le protestantisme aux Etats-Unis.* ubi legitur: « Où les tribuneaux prononcent chaque année une moyenne de *cinq milles* divorces, en sorte que dix milles individus acquièrent annuellement le droit de vivre en adultère légal, dans un pays où les hospices d'enfants trouvés sont inutiles, parce que d'infâmes pratiques y sont si communes, que dans chaque ville elles ménent les *practiciens* qui s'y livrent à la plus grande opulence! »

ratum haberi possit coram conscientia (nimirum *adulterium* iuxta interpretationem protestantium); ast ex hoc numquam quispiam inferre poterit voluisse Christum regulam figere, ac decernere quousque *leges civiles* divortium possint permittere. Quandoquidem ratio, qua ipse exponit legislationem mosaicam Matth. XIX. 8 seqq. iustificat legem civilem, quae magis accommodatur exigentiae actualis status moralis, quam quod expectaretur a coniugibus ad perfectum officiorum christianorum complementum, quaeque exigi nequeunt violentiae ope (28).»

Scilicet ex hoc protestantium oraculo bene potest legislatio civilis, quamvis Christus pro ecclesia sua contrarium edixerit, permittere divortia a Christo abrogata. Immo licet qui dimittit uxorem suam ad aliam ducendam, reus fiat adulterii coram Deo, potest tamen civilis legislatio divortia concedere et cohonestare, ne videatur vim inferre conscientiae illius, qui frenum eiusmodi mordet, nec vult se Christi legi submittere. Idque sub praetextu, quod religionis quidem sit interiores affectus moderari, ad legislationem vero spectet civilem prospicere actibus exterioribus subditorum ad bonum societatis. Atque eiusmodi sunt paradoxa, quae apud plures in praesentia obtinent, quaeque legibus condendis regulam praebent.

Nobis vero liceat ex hactenus sive theoretice, sive practice constitutis concludere, per civilia coniugia omnino derogari firmitati absolutae, seu indissolubilitati coniugii christiani, qualem nempe voluit Christus in ecclesia sua esse perpetuam. Hoc profecto non ignorant, qui omni qua possunt industria et ratione promovere satagunt legem adeo perniciosam de matrimonio civili, et nedum ab eiusmodi consectario legi ipsi insito non abhorrent, verum etiam eam legem tamquam instrumentum provehunt ad hunc

(28) In op. germanice: *Principia iuris canonici catholicorum et protestantium in Germania* cap. II.

finem, quem sibi praestituunt, ut nempe divortiis viam aperiant. Fieri enim nequit, ut eadem potestas, quae legem tulit ad civilia connubia cohonestanda, citius serius legem aliam non ferat, qua facultatem tribuat sub praefinitis quidem conditionibus, si placet, dissolvendi per divortium coniugia, immo vero interdum ad praebendam illam facultatem necessitate non adigatur (29). En igitur abusus, in quem plures se coniiciunt, qui alioquin se catholicae ecclesiae obsequi profitentur!

ARTICULUS III.

Matrimonium civile natura sua opponitur Matrimonii christiani unitati, favetque materiali ac legali polygamiae.

Praemittimus 1. fidei catholicae dogma esse « Non licere christianis plures simul habere uxores, et hoc esse lege divina prohibitum (30) » seu, quod idem est, polygamiam simultaneam esse christianis divino iure prohibitam, adeo ut nemo, quin catholicus esse desinat, possit veritatem hanc in dubium revocare ; quam quidem hic tamquam probatam assumimus, cum id alibi effecerimus (31).

Praemittimus 2. apposite nos dixisse coniugium civile polygamiae saltem *materiali*, aut *legali* favere; siquidem iuxta doctrinam catholicam eiusque principia polygamia stricte dicta, seu *formalis* inter christianos haberi nequit. Ob impedimentum enim dirimens, quod *ligaminis* vocant, vivente uxore priori, omnia, quae attentarentur coniugia, irrita forent, ac larvatae uxores erunt quidem totidem pellices, concubinae, adulterae, uxores vero non item. Quo

(29) Sane in Neo-granatensi republica una cum lege de matrimonio civili et altera subsequuta est de facultate divortii faciendi; prout iamdiu in Galliis factum fuerat, et alibi passim. Dixi interdum legislatores ad hanc secundam legem ferendam necessitate adigi, alioquin, ut videbimus, in deterius rueret matrimonium civile.

(30) Conc. trident. sess. XXIV. *De sacr. matr.* can. II.

(31) In *Prael. theolog. Tract. de matrim.* cap. II. prop. 1.

fit ut inter christianos contingere possit dari polygamiam *de facto,* numquam vero *de iure.*

Quibus ita compositis, coniugium civile polygamiae materiali ac legali favere post ea, quae superiori articulo diximus de divortiis, res per se adeo perspicua est, ut ne demonstratione quidem indigere videatur. Ne quis tamen muneri nostro quodammodo nos defuisse succenseat, atque ut in propatulo impietatem collocemus illius legis, qua in regione catholica, atque inter catholicos, et ab iis, qui se catholicos profitentur, civile coniugium sanciretur, ostendemus sive theoretice sive practice polygamiam profluere ex ipsa connubii civilis conditione.

At primo in mentem revocandum est, ex dictis foedus nuptiale in regionibus, in quibus decretum tridentinum promulgatum est, extra formam initum ab eodem concilio praescriptam, nullum ac irritum esse, non modo sub ratione sacramenti, verum etiam sub ratione meri contractus. Non est propterea nisi conventio viri ac mulieris degendi in statu fornicario seu in concubinatu legali; sub hoc autem respectu si quis post civiles nuptias vere ad normam ecclesiastici iuris alteri cuidam se in coniugio copularet, is non foret polygamiae reus, utpote hactenus solutus ab omni coniugali vinculo. Lex quidem civilis tamquam polygamum eum haberet, qui civili matrimonio uni coniunctus, coram ecclesia alteri nuberet; at revera polygamia heic nulla est eo ipso, quod nullum sit civile coniugium. Hoc quidem ex principiis catholicis. At modo ex adversariorum principiis arguamus.

Ex praepostero illorum principio, quod ad civile regimen spectet matrimonia iungere, atque ecclesiae non aliud ius conveniat quam sacramenti sanctitati prospicere, coniugium civile est vere et proprie contractus matrimonialis. Hac de causa fautores legis de coniugiis civilibus in nos excandescunt, eo quod dicamus civiles nuptias non esse nisi legalem concubinatum.

Esto: Verum hac in hypothesi, quod civiles coniunctiones vera coniugia sint, licet non sacramenta, cum dissolubilia natura sua sint eiusmodi coniugia, ac necessario non in paucis casibus ansam praebeant divortiis, ut superiore articulo ostendimus, facile fiet, ut viri, vivente adhuc priori quam duxerant uxore, secundam, tertiam ac ita porro superinducant. In quo polygamiae iuxta christianae religionis doctrinam turpitudo consistit, quod scilicet alia vel aliae ducantur coniuges, priori adhuc superstite.

Nec est, quod quispiam obiiciat, supposito repudio, dissolutoque propterea quoad vinculum priori coniugio, non amplius habere locum polygamiam, sed esse totidem uxores successivas prout in viduitate contingit. Haec quidem pulchra sunt verba: at primo, haec ipsa solutio coniugii inter christianos res est, quae indissolubilitati illi adversatur, quae non secus ac unitas, christiani est matrimonii proprietas, adeoque ita disserentes, dum unum vitant scopulum, stultorum more in alium incurrunt; deinde, supposita etiam per legale divortium solutione prioris coniugii, successivae nuptiae sin minus formalis, saltem materialis cuiusdam et legalis polygamiae speciem haberent, et polygamiae scandalum, licet quodam velo contectum, populo exhiberent. Etenim si coniugium civile iuxta adversarios verum est coniugium, quidquid legulei de legali divortio dicant, christianus populus in ea sententia permanebit, inter christianos coniugium, si verum est, eo ipso esse indissolubile, seu non solvi nisi per coniugis mortem: quocirca dum, vivente priori coniuge, altera ducitur, polygamiae crimen adesse licet legali umbra contectum. Ad hominem, ut diximus, arguimus: si coniugium civile est validum, dum, vivente priore coniuge, novum initur coniugium, materialis adest polygamia. Revera iis in locis, in quibus decretum tridentinum non est publicatum, coniugium civile non solum ex adversariorum, sed ex ipsius

ecclesiae sententia est validum verumque coniugium; at eo ipso est indissolubile, et licet per legale divortium solvi dicatur, manet tamen impedimentum ligaminis, et secundae tertiaeque nuptiae a polygamiae nota purgari nequeunt. Ubi vero tridentinum est publicatum eo ipso, quod coniugium civile non est validum, dum successive plures ducuntur uxores, revera ex ecclesiae doctrina fit transitus ex uno in alterum concubinatum, qui tamen ex hypothesi adversariorum de validitate civilis coniugii speciem habet omnino polygamiae.

Ac re quidem vera, ecclesia eiusmodi civilium nuptiarum nullam rationem habet, easque ceu totidem abominationes detestatur; nullum praeterea ipsa umquam in ratis consummatisque coniugiis christianorum divortium admittit: quo fit ut omnes illegitimas turpesque legales has coniunctiones spectet tamquam *materialem* saltem polygamiam, eo sensu quem sub huius articuli initium exposuimus. Quocirca ei, quae, dimisso priori coniuge, alteri et alteri successive nuberet, Christi effatum ad mulierem samaritanam prolatum iure quispiam accommodare posset ac dicere: *Quinque* larvatos *viros* (seu maritos) *habuisti; et nunc quem habes non est tuus vir* (32); viro similiter, qui successive legales nuptias contraxisset, posset quis ingerere: *Quinque* larvatas *uxores habuisti, et nunc quam habes, non est tua uxor.* Nempe sin minus *de iure,* saltem *de facto* ad legis praescriptum polygamiae crimen admitteretur.

Sed ut directius id, quod proposuimus, evincamus, ita progredimur: cum semel civilis auctoritas opposita ecclesiae auctoritati sibi ius usurpat in matrimonia, tamquam in rem suam, eaque habet ad instar ceterorum contractuum emptionis, venditionis, locationis etc. adeo ut uxores agro, domui, bobus pecudibusque pene comparentur, iam patet, ipsam eodem iure, quo potest decernere uti validos legi-

(32) Io. IV., 18.

timosque contractus civiles connubiales, ac divortia sancire sub appositis conditionibus (33); eodem iure, si id expedire iudicaverit societati, sub nonnullis conditionibus, aut absolute etiam, polygamiam legitimam declarare ac lege sancire. Eo vel magis, quod eiusmodi polygamia in lege naturae, saltem Deo permittente, apud patriarchas, ac deinde sub lege mosaica viguerit, et antiquitus penes fere nationes omnes fuerit in usu, prout etiamnum inter nonnullas gentes, praesertim vero islamitas, in honore est. Verum quod pluris refert, illud est, quod aetate hac nostra inter quasdam protestantium sectas polygamiae doctrina et praxis dilatetur ac propagetur. Certe anabaptistae primogeniti, seu maiores natu protestantismi, palam inter cetera dogmata sua posuerunt uxorum pluralitatem, immo et communionem uxorum innixi *auctoritate bibliorum* ex principio fundamentali protestantismi (34).

His leviter delibatis, quantum scilicet hic opus erat (nam ex professo hoc de argumento alibi habebitur sermo), sic per nostrum insistimus iter. Constituto semel principio, quod matrimonium civile lege sanciri possit ab omni religionis obligatione divulsum, quid impedit, quominus eadem lege, postquam divortia sancita sunt, tertius, ut ita dicam, gradus conscendatur, polygamiam permittendo, si necessitas postulet, conscientia suadeat, tolerantia religiosa eorum, qui iam eam profitentur tamquam legi evangelicae consonam, exigat? Ab illa, inquam, legislatione, quae, sub obtentu, quod debeat a quavis

(33) Eques Persoglio e. g. in paradigmate, quod proposuit legis de matrimonio civili subalpinis comitiis, inter ceteros et illum constituit articulum, quo ad prospiciendum conscientiae eorum, qui resilire vellent a nuptiis coram solo magistratu civili initis ad contrahendum iuxta ritum religiosum, facultas detur dissolvendi coniugium, si alter coniux obsistat. Cf. egregium opusculum cui tit. *Sulle leggi civili che riguardano il matrimonio*. Torino 1851. pag. 234. n. 168. En igitur sancitum divortium ab ipsa lege.

(34) Cf. Sudre *Hist. du comunisme*. Ed. cinqu. Bruxelles 1850. ch. IV. *Anabaptistes 2. époque* pag. 78 seq.

religione praescindi, iura omnia ecclesiae pessumdat, quae catholicum clerum insectatur, quae licentiae favet, protestantismum promovet, omnia expectare licet. Siquidem optime sibi cohaeret, atque deplorabile ruinae opus satis bene coeptum perficeretur (35).

Sane, recepta, quam vocant, libertate cultuum, atque libertate conscientiae una cum institutionibus cuiusque sectae propriis, gubernium, quod legem matrimonii constituit civilis, si cohaerere sibi velit, coërcere nequit polygamiam, saltem quoad illos, qui eam uti legitimam habent, profitenturque iuxta privatam Bibliorum interpretationem. Habent et isti suam persuasionem, seu, ut ipsi loquuntur, *convictionem* de polygamiae honestate etiam in lege evangelica, Ecquis in systemate protestantium iure poterit in dubium id revocare?

Quapropter ita vehementer non minus quam logice Mormonitae, seu *Sancti novissimorum dierum*, quod nomen ipsi sibi adsciscunt, quique sunt protestantismi filii natu minimi (39), urgebant non ita pridem senatum Statuum foe-

(35) Reipsa Mormonitae polygamiam ubique diffundunt; ac si vera sunt quae leguntur in Diario *Univers* 31. Iulii 1856. Mormones, qui Augustae Taurinorum degunt, collationem inter se habuerunt in qua decretum est, ut paradigma legis ministro regio offerretur, uti in nova lege proponenda et hic articulus apponeretur de ineundis coniugiis iuxta *libertatem conscientiae*, adeoque ipsam etiam polygamiam sectandi; atque, ut ibidem legitur minister regius valde se propensum praebuit ad concessionem eiusmodi faciendam.

(36) Coepit haec secta, quae vocatur *Ecclesia sanctorum novissimorum dierum (Latter-Day Saints)* an. 1830. in America septentrionali ope cuiusdam Ios. Smith; et an. 1831. vix numerabat *quinque fideles* seu sectatores; anno autem 1854. iam excedebat numerum 30,000. et quotidie nova habet incrementa. Hi etiam *Mormonitae* nuncupati acerrimi ecclesiae catholicae hostes fingunt se per Gabrielem archangelum novam suam revelationem accepisse ad instar Mahumedis. Contendunt, librum, in quo hae revelationes continentur, accensendum esse sacris Bibliis veteris ac novi Testamenti eaque complere. Possunt hi tot ducere uxores quot eis magnus ipsorum propheta indulget: interdum 20. aut 30. uxores habent, ac universim quot alere possunt; quandoque duas ducunt sorores, immo matrem ac duas filias. Habent suos apostolos, quos in omnes regiones mittunt. Unus ex his ad subalpinos pervenit ac proselytos facit inter protestantes. Cf. De hac secta *The Mormons, or, Latter-Day Saints; a contemporany History*, London office

deratorum Americae renuentem eis concedere polygamiam : «Ecquonam iure senatus (seu *congressus*) Statuum foederatorum poterit legem ferre de matrimonio (ad impediendam polygamiam)? Non est quaestio isthaec *foederalis*, sed negotium, circa quod *status* quilibet supremus est ac independens.... Quoniam Mormonitae statum constituerunt, uti puritani Novae Angliae, seque regere volunt *iuxta Dei leges*, quonam iure eis denegari acceptio in unionem potest? Nonne et nos iure fruimur ad constabiliendam polygamiam, quo gaudet Michigan ad eam vetandam? Libertas est ne in America veritas an fictio? Evidens est, quod si populus status alicuius bonum iudicet instituere et sectari polygamiam, nulla in terris auctoritas eam potest legitime impedire. Sola realis difficultas in disceptatione agitabitur, num ii, qui legitime coniuncti sunt cum pluribus uxoribus Desereti (locus quem incolunt Mormonitae), si vellent se in alios status cum suis uxoribus conferre, id possint. At vero matrimonium in singulis *statibus* (Americae foederatae), est *contractus civilis;* porro regula generalis ea est, quod si eiusmodi contractus est validus postquam factus est, *ubique* hunc eumdem validitatis characterem servare debeat (37).»

In admisso semel coniugio pure civili, sponte veluti sua via sternitur ad polygamiam, sin minus cohonestandam, tolerandam saltem quoad eos, qui illam ex principiis propriae religionis consectantur. Inducto porro protestantismo in regionem, nulla legis civilis virtute, poterit legislator impedire quominus quilibet, spectata protestantismi essentia seu natura, sibi persuadeat ex bibliorum privata interpretatione, habeatque *convictionem* suam de polyga-

of the national illustrated library; nec non: *Short hystory of the Mormonites, or Latter-Day Saints with an account of the real origin of the book of Mormon.* By the rev. John frère Chaplain of the lord Bishop of London 1850. Item *Annales catholiques de Genève* 3. livr. Fevr. 1854. art. *Mormons.* Verum de his iterum.

(37) Cf. *Univers* 11. Avril. 1854.

miae honestate, eamque sibi adsciscere. Sane iudaeo-philosophus Salvador contendit polygamiam simultaneam morum integritati consulere eamque promovere (38). Quod et alii praestiterunt, quos suo loco recensebimus.

Non esse autem absonam hanc sentiendi et agendi rationem, quae nunc longe lateque dominatur, patet tum ex iis, quae Eichorn constituit, quod scilicet Christus ita attemperaverit responsionem suam de uxore dimittenda, ut indicaret legem civilem attemperari posse exigentiae actuali societatis, tum ex eo quod Nuytz, licet catholicus, affirmare non dubitavit receptum esse, ecclesiam catholicam conscientiae tuntummodo imperare, statuendo regulas iis, qui eas *servare velint*, sed cogere renuentes minime posse (39). Quum proinde status civilis iuxta doctrinam, quae nunc passim obtinet, plane divisus sit ab ecclesia, uti non pauci loquuntur, cum sibi persuasum habeat matrimonium unum esse ex tot contractibus qui a republica unice pendent, atque ab ea dirigi debent, in eius erit arbitrio quidquid libuerit de eo sancire. Quocirca si ad vitanda adulteria, aut ad alios praecavendos abusus expedire qui reipublicae habenas flectunt iudicaverint, poly-

(38) *Hist. des institutions de Moïse.* Paris 1828. tom. II. livr VII. ch. 2. *Polygamie et divorce.* Integrum hoc caput non continet nisi apologiam polygamiae. Inter cetera haec scribit pag. 377. « Faut-il que l'homme arrivé à l'âge de puberté épouse une femme à cet âge? Si faisait cela, n'aurait-on pas à craindre qu'avant le terme de son existence pour l'espèce, l'équilibre ne se rompît, de sorte, qu'il éprouvât, presque malgré lui, des désirs qui le porteraient vers d'autres objets? Si l'on admet entre l'epoux et l'épouse une inégalité d'âge, qui leur ouvre une égale carrière, sera-t-il possible, que depuis l'heure de la puberté complete jusqu'à celle du mariage, il se soumette à une contrainte morale absolue?..Si la contrainte est impossible, pourquoi ne pas imaginer des combinaisons moins odieuses? Pourquoi ne pas envisager les choses sous un point de vue plus haut, et ne pas tracer un cercle dans lequel toutes les variétés individuelles, qui sont formées par la nature, elle-même puissent se mouvoir à l'aise? Pourquoi enfin ne pas anéantir ces oppositions choquants entre *la loi morale* d'un pays et *sa loi positive*, qui conduisent bientôt au mépris de l'une ou de l'autre, et quelque fois de toutes deux?»

(39) Apud Avogadrum op. et loc. cit

gamiam legalem tamquam remedium opportunum constituere, nihil est, quod obstet.

Huius rei indicium vehemens praebet propensio illa, quae in dies magis ac magis in rebus quibusdam publicis patefit in protestantismum, qui aetate hac nostra non est nisi pallium ac larva, qua se incredulitas contegit, et quod consequens est, foeda morum corruptio. Hunc vere finem unicum dixeris, ob quem tot libertini et increduli praesidiis omnibus adnituntur protestantismum promovere, seu potius protestantismi nomen, quo facilius populum decipiant. Nam qui ita sunt animo comparati, non magis protestantismo quam ecclesiae fidem adiungunt. Eiusmodi siquidem homines experientia edocti saeculi elapsi, quod non possit incredulitas, seu philosophismus incredulus radices figere inter populum, si nudus proponatur, nunc temporis eum, ut ita loquar, vestiunt protestantismi larva ac nomine, quemdam ei exteriorem religiosum apparatum circumdant, ut ita incredulitatem populo erranti, et ab ecclesiae sinu abstracto facilius propinent. Eiusmodi autem protestantismi larva semel inducta, nullius negotii res erit polygamiae libertatem promovere, persuadere atque etiam sancire lege.

Accedente demum communismo, qui a protestantismo pariter gignitur, quique vires semper ulteriores acquirit (40), quomodo poterit civilis auctoritas, quae ei viam stravit, amovere polygamiam, quae tamquam minus malum habetur quam promiscua foeminarum communio?

En itaque qua ratione ex primo annulo tota connectatur catena, ab eoque pendeat. Concludamus itaque necesse est verissimum omnino esse, quod enunciavimus, sive

(40) Cf. A. Sudre *Histoire du communisme* quatrième edit. Bruxelles 1850. chap. XV. suiv. Item I. I. Thenissen *Le socialisme depuis l'antiquité jusqu'à la constitution francaise du 14. Janvier* 1852. Louain 1852. tom. I. chap. VI. Praesertim vero egregium opus Augusti Nicolas *Du protestantisme et de toutes les héresies dans leurs rapports avec le socialisme*. Paris 1852.

theoretice sive practice res spectetur, coniugium civile polygamiae saltem materiali ac legali favere, in eamque inducere, adeoque ut duobus hisce articulis ostendimus, duplici christiani matrimonii proprietati, nimirum unitati et indissolubilitati, adversari.

ARTICULUS. IV.

Matrimonium civile natura sua adversatur publicae honestati, inducitque in apertam morum corruptelam.

Si matrimonium civile natura sua turpis est concubinatus et christiani matrimonii sanctitatem, unitatem, indissolubilitatemque contemnit, prout hactenus ostendimus, multis opus non est ut intelligatur pessimos inde effectus necessario oriri debere, publicam nempe nequitiam, foedamque morum corruptelam, ac paulatim familiae societatisque ruinam.

Ac primo, quod attinet ad publicam honestatem, cui adversari diximus coniugium civile, oportet ante omnia honestatis publicae notitiam praemittere. Haec porro alicui societati inesse censetur, cum civium actiones diriguntur et ordinantur ad regulam rectae rationis a religione praesertim illustratae atque suffultae. Iam vero per connubia civilia eiusdem laedi publicam honestatem evincere operosum non est.

Etenim firmior ad continendos populos habena, ne a tramite honestatis diffluant, omnium consensu et experientia docente, est religio. Cum haec, aut parvam, aut nullam exercet vim in hominum voluntates, ipsi spectata actuali corruptae naturae conditione, illico in vitia ruunt, pudorem excutiunt, conscientiae normam negligunt, imo proculcant. Porro per matrimonia civilia, deposita omnis sanctitatis forma, quae coniugium comitari deberet, periculum est ne cum religione ac Dei timore, etiam natu-

ralis honestatis sensum exuant, atque coniugalem coniunctionem unice spectent tamquam contractum profanum ad explendam libidinem institutum.

Accedit quod illi, qui eiusmodi foedera nuptialia ineunt, ut in iis sistant, neque de renovando consensu in facie ecclesiae sollicitudine ulla urgentur, cum sint homines prorsus irreligiosi vitiisque irretiti, ac proinde nullam sollicitudinem gerunt de futura vita, ad quam aut raro, aut nullatenus mentem convertunt. Nam alioquin numquam se illo coniugali civili contractu illigarent, quem optime norunt a christiana religione reprobari, nec posse quemquam sine gravi culpa illum inire, ac in eo solo permanere. Immo et illud norunt, nec legitimi contractus rationem illas legales nuptias habere, sed unice esse consensum ad vivendum in statu habituali concubinatus et fornicationis sive ad tempus, sive in perpetuum. Quae profecto dispositio animum religiosum ac de propria salute anxium minime prodit. Ecquis porro dixerit eiusmodi homines vitam ducere ad publicae honestatis normam compositam?

Praeterea qui ita agunt, in omnium oculos facile incurrunt, adeo ut etiam magnis in urbibus ubi facilius est se tegere, tamen cum et cognatos et amicos habeant, paullatim publice innotescunt. Si vero de parvis agatur urbibus, de oppidis deque villulis, in quibus incolae sese invicem ex nomine agnoscunt, impossibile omnino ipsis est latere ac infamiam publicam effugere. Quum autem, pudore omni abiecto, eam contempserint, eo melius deprehendentur ferinis eos esse moribus ac publicam honestatem abiecisse.

Insuper nemo negaverit publicum scandalum publicae officere honestati, aliisque ansam praebere pessimum exemplum imitandi. Tale autem scandalum necessario praebent, qui, posthabita ecclesiae lege, fictitias civiles nuptias contrahunt, ac ceteros facile permovent pessimo exemplo

ad idem praestandum. Eo vel magis, quod civils auctoritas eiusmodi coniunctiones tacite saltem promoveat ad abigendam a politico regimine, quod legem constituit, ignominiam, quae ei obveniret, si nulli aut rari omnino eo uterentur privilegio. Inspecta autem universa hominum in vitia propensione, quisque nullo negotio intelliget eiusmodi scandala mirum in modum propagari. Quod si fiat, profecto grave vulnus publicae honestati infligitur, quo vix aliud gravius excogitari potest.

Sed et illud non minus exitiale malum aut comitatur, aut consequitur eiusmodi connubia civilia in detrimentum publicae honestatis, quod provenit ex inconstantia insita hisce coniugiis. Scilicet, uti experientia quotidiana patefacit, plerumque fit, ut in illis, qui sunt ita coniuncti, post aliquem temporis tractum plus minusve diuturnum defervescat insanus effectus ille, quo prius se invicem deamabant, quique eos compulit in religionis contemptum, conscientia reclamante, ad tales ineundas nuptias. Nam cum cupiditatis explendae causa quodam veluti furore abrepti fuerint ad hoc facinus perpetrandum, quum illam primum expleverint, furor ille ac aestus non modo pedetentim tepescit ac evanescit, sed praeterea non raro ei succedit animi contemptus, mala poenitentia ac tacitum desiderium a nexu illo se liberandi. Quod quidem multo facilius continget, si novis capiantur illecebris; si criminosa amicitia irretiantur; si temporalis lucri negotio invitentur: si dissidia ac simultates inter eos oriantur, propter quas pacifice amplius invicem consuescere nequeant; si morbo diuturno atque habituali alteruter laboret; quae duae posteriores causae, uti paulo ante vidimus, passim a protestantibus veluti causa sufficiens recensentur divortii faciendi.

Sane, videmus vel inter illos, qui legitime coniuncti sunt, saepe contingere ut pessimum sortiantur exitum connubia

etsi sancte celebrata, ita ut coniuges ab invicem separentur, ubi praesertim agitur de zelotypia, de suspicionibus alicuius infidelitatis, aut etiam de negotiis temporalibus, aliisque eiusmodi non paucis (41). Quod si locum haec habent inter legitime coniunctos, qui noverunt proprium nuptiale foedus esse prorsus insolubile, quid, quaeso, eveniet inter illos, qui nullo vero vinculo copulati sunt, quorum coniunctio non solum rationem non habet sacramenti, sed neque contractus, cui inhabiles facti sunt? Eorum, inquam, qui non modo a religione non deterrentur a separatione mutua, verum etiam, nisi coram ecclesia nubant, ad separationem impelluntur, ut se a statu habituali peccati eripiant? Qui sacramentalis gratiae praesidio non adiuvantur tum ad sese honeste diligendos, tum ad onera ferenda statui coniugali intime adnexa? Profecto velint nolint legis, qua de agimus, fautores et propugnatores, numquam efficient, ut civiles nuptiae indissolubiles saepissime atque stabiles sint.

En igitur copiosa seges dissolutionum, a quibus certe non se temperabant, qui ludicra tantum connubia civilia contraxerunt. Indidem nova quotidie scandala in societate pullulabunt, quae aperte pugnant cum publica honestate. Nam ita ab invicem divulsi, aut aliam coniugem sibi adsciscunt, et tunc novum enascitur scandalum polygamiae (42), aut a lege vetantur aliam ducere, et indicent

(41) Reipsa in Galliis ab an. 1841. ad an. 1850. tribunalia civilia debuerunt agnoscere 10,616. quas vocant *corporis separationes*. Numerus medius est igitur 1,062. annis singulis *Compte-rendu général officiel de l'administration de la justice civile en France par le garde de sceaux* 1850. Petitiones separationum corporis an. 1851. fuerunt 1,191. an. 1852. extiterunt 1,477. an. 1853. auctus est hic numerus usque ad 1,722. postremis igitur his duobus annis, crevit hic numerus 531. scilicet 43. pro singulis centenis prae annis praeteritis. *V. Compte-rendu de* 1855. *Moniteur* du 11. Mai 1855.

(42) Praeter superius allata documenta, quidam refert, in provinciis foederatis Americae aliquos interdum coniungi matrimonio diversis in locis cum pluribus mulieribus. Contrahunt in una provincia, cumque dotem dissipaverint prioris uxoris, conferunt se in aliam provinciam, ut aliam ducant uxorem, et ita porro

facillime in carnis licentiam, et vagam venerem, ut aiunt, consectabuntur; et sic in utroque casu idem erit exitus, publicae videlicet honestatis laesio. Ergo fateamur necesse est, quod primo loco constituimus, civile coniugium natura sua publicae adversari honestati.

Atque hac quidem priore comprobata assumpti parte, tantum non est demonstrata etiam altera, nimirum idem civile connubium in apertam inducere morum corruptelam. Etenim non possunt fideles eiusmodi contrahere connubia ad exclusionem sacramenti, seu, ut aiunt, ritus religiosi, sine formali, aut tacito saltem ecclesiae contemptu, imo et ipsius religionis christianae. Siquidem nonnisi ii, qui omni religionis exuti sensu sint, negligere possunt rem adeo facilem, cuiusmodi est ecclesiae se sistere, et ibi coram parocho et duobus tribusve testibus, aut praebere, aut renovare consensum, ut tot percipiant emolumenta, quae ex matrimonio legitime inito, ac proinde sacramento proveniunt. Profecto huiuscemodi neglectus nulla alia ratio fingi potest praeter eam, quam assignavimus.

Iam vero, qui adeo desipiunt, ut negligant quod tanti refert ad conscientiae tranquillitatem atque ad firmitatem coniugii; qui apertum adeo profitentur contemptum; qui praebent de se turpe adeo scandalum, legi ne religionis et conscientiae in ceteris obsequentur? Cuinam id persuadere poterunt? Istiusmodi proinde homines habenas laxant omni improbitati, nec Deum timent, nec homines reverentur. Vera sunt flagella societatis. Ecquid aliud expectes ab iis, qui religionis iugum excusserunt, nisi ut

de una in alteram transmigrant provinciam ad novum iterandum coniugium. Quidam iuvenis an. natus 29. condemnatus est, eo quod quatuordecim novas duxerit uxores, priori adhuc vivente. Quatuordecim eiusmodi uxores omnes simul se contulerunt ad eum accusandum. Acta iudicii patefecere, quod ipse spatio trium hebdomadum bis celebraverit coniugium Baltimore ac Bostoni. Tribunalia quemdam David Beattyra carceribus manciparunt, eo quod a septem uxoribus suis *legitimis* accusatus fuerit; cum unaquaque earum tribus mensibus cum dimidio commoratus fuerat. Cf. *Univers* 14. Avril 1856.

in omnia mala ac facinora proruant? Fac ut huiusmodi homines sub legum tutela ac patrocinio in societate multiplicentur, morum omnium illico foeda corruptio societatem ipsam, qua late patet, invadet.

Religio sola est, quae populos in officio continere valeat, et efficere ne in colluviem vitiorum diffluant; quodcumque aliud excogitetur medium, ineptum est sine religione ad mala haec avertenda. Praeterquam quod enim sana ratio id aperte docet, luctuosa experientia omnium seculorum luculenter demonstrat. Sane si, nihil obsistente religionis fraeno, tot tantaque societatem mala moralia inquinant atque inficiunt, quid erit expectandum cum religio ipsa contemnitur et irrisioni habetur? Porro si qui religionis contemptores ac irrisores censendi sunt, proculdubio tales sunt habendi, qui insuper habita ecclesiae doctrina sub civilis legis favore ac protectione se illis coniugiis implicant, quae ab eadem ecclesia illegitima nullaque decernuntur.

Crescit autem haec morum corruptela per scandali dilatationem. Etenim homines ita sunt animo comparati, ut cum quis ab initio ingens aliquod praebet scandalum, illud exhorrescant, damnent, detestentur. Verum si idem scandalum iteretur, multipliceturque, minus quatiuntur, ac pedetentim ei assuescunt, ac veluti indifferentes temporis lapsu erga illud se exhibent, immo vero plures pravo illo exemplo impulsi ad illud imitandum, impellente quadantenus insita naturae nostrae ob peccatum originale corruptela, provocantur. Hac ratione morum foeditas iugiter in peius ruet, et numerus flagitiosorum hominum in immensum excrescet non exigua societatis iactura.

Verum et alius fons corruptionis exinde dimanat, prava nempe litterarum institutio. Nam cum nisi irreligiosi homines atque idcirco flagitiosi possint, seposito religioso coniugio, civili se tantum contractu colligare, nulla iis

de prole imbuenda religionis christianae principiis ac bonis moribus cura erit ac sollicitudo. Receptum praeterea est effatum, ad alios edocendos longam viam per praecepta, brevem esse per exemplum. Ast eiusmodi homines, de quibus agimus, non certe longam per praecepta, multo vero minus brevem per exemplum viam terunt ad liberos suos recte informandos. Istiusmodi fictitii coniuges peius quam a cane et angue a sacerdotibus abhorrent, et ab eorum conspectu, qui sola praesentia eos indesinenter accusant et damnant ob illegitimos nexus, quibus obligati sunt. Templa non frequentant, ne molestioribus conscientiae stimulis angantur. Quae cum ita se habeant, quilibet ex se novit eiusmodi parentes haud posse rite suam sobolem instituere. Sed neque per alios huic gravissimo muneri satisfacere consueverunt; nam ut plurimum eiusmodi genitores ad informandos liberos suos in litteris ac bonis artibus magistros liberiores ac irreligiosos adsiscunt sibi similes; doctores laicos anteponunt clericis, quos aversantur ac odio prosequuntur.

Quid porro ex eiusmodi institutione obveniendum sit, difficile non est coniicere, immo et pervidere. Siquidem semel ac iuvenum animi imbuti fuerint perniciosis doctrinis; cum in incredulitate adoleverint; cum religionem contemnentes ac aversantes creverint in illa aetatis periodo, in qua vitia gliscere incipiunt; in qua cupiditates vehementius evolvuntur ac furunt; in qua temeritas ac mentis levitas potissimum obtinent; in qua experientiae defectus eos impellit ad quidlibet audendum; in qua sensibus potius quam rectae rationis ductu reguntur; adolescentes, inquam, ita instituti evadent protervi, audaces, immorigeri, impudentes, atque in omne vitium effusi, pessima scilicet soboles a malis parentibus genita.

Quae vero hic affirmamus non in ordine tantum ideali consistunt, quasi ageretur de theoria a priori, sed in

ordine reali, iugi experimento reipsa obtinere comprobatur. Fac modo eiusmodi coniugia civilia augeri, ac aequa proportione pessimam sobolem sub recensitis auspiciis ac rerum adiunctis societatem pervadere, quidnam erit de publica morum sanctitate ac honestate? Nimirum omnigenae foeditatis colluvies ad instar fluminis exundantis et agros late depopulantis irrumpet, brevique societatis omnes classes inficiet, eiusque fundamentum concutiet. Talis est exitus coniugiorum civilium, et qui ea promovent faventque, exitium societati pariunt atque extremam perniciem, lentam quidem, sed omnino certam; cum scilicet hi perniciosi fructus ad maturitatem pervenerint.

Si qui vero sunt huic classi accensendi, absque dubio primas obtinent, qui legem ipsam sanciendam proponunt de coniugiis civilibus, omnemque movent lapidem, ut suffragiorum pluralitatem obtineant. Qui ita agunt manifestant nil aliud sibi propositum habere, quam ut catholicam doctrinam impugnent, ac omni qua possunt ope morum corruptelam longe lateque diffundant sub progressus humanitarii obtentu. Nisi ab hoc censu quosdam velis excipere, qui ignorantia laborant, ac sophismatibus speciosisque pluribus atque apparentibus argumentis decepti ad pravorum consilium probandum permoventur, quin consecutiones indidem provenientes pervideant.

Nobis, qui rem prout in se est, spectavimus, ex praemissis concludere iam liceat, civile coniugium natura sua publicae honestati adversari, et sub quovis respectu morum corruptelam promovere, in eamque certissime inducere, prout in huius articuli enunciatione demonstrandum assumpsimus.

ARTICULUS V.

Matrimonium civile natura sua tendit ad ruinam familiae et societatis.

Grave quidem est quod enunciamus, at id non gratuito affirmari palam fiet. Nemo enim negabit id in familiae ac societatis dissolutionem tandem vergere, quod potissime laxat vincula tum familiae, tum societatis, quodque ea fovet, quae paullatim domesticam socialemque compagem labefactant. At vero id de matrimonio civili ostendemus, inspectis pessimis eius effectibus, tum universim in religionem, in domesticam publicamque auctoritatem et in mores, tum nominatim in coniugia ipsa, atque in prolem ex iis procreatam.

Ac primo quidem qui serio rem perpendat, inficiari non poterit validius vinculum, quo tenetur societas sive domestica, cuiusmodi est familia, sive publica, cuiusmodi est politica, esse religionem. Et cum de re agatur in praxi, non autem theoretice et in abstracto, religionis nomine nullam aliam praeter unice veram significamus, cuiusmodi est ecclesia catholica. Caeteri omnes caetus, qui vario nomine appellantur ab ecclesia catholica divisi, non sunt nisi religionis larvae, simulacra ac adinventiones hominum, qui se adversus ecclesiam Christi extulerunt, ac perduelles fuerunt. Itaque certum est divinam religionem, quamdiu viget, potenter agere in hominum mentem ac voluntatem. Talis est eius virtus, ut non solum cum alia conferri minime possit, sed quod eius supplere defectui queat nihil reperiatur. Ipsa sola hominum animos cohibet, ipsa sola intima eius penetralia pervadit, ac sinus, imtimosque ambit recessus omnes; amor ac timor immensum exercent imperium in hominum decreta, consilia et actiones. Cetera extra religionem constituta non cohibent

nisi manum ob damni, infamiae poenaeque timorem, qui male agentes ab opere coërcet, sed perversitatem voluntatis non emendant, adeoque simul ac propitia se se offert ansa, illico ad pravum opus deveniunt (43).

Si proinde religio in hominum mentibus infirmetur, languescat et torpeat, ita ut salutarem influxum, quem per se produceret, nonnisi aegre exerat, et collidatur a quadam indifferentia, aut secreto incredulitatis morbo, profecto hos homines male affectos vix ac ne vix quidem in officio continebit. Multo vero magis inepta ac inefficax omnino religio fiet ad vim suam exerendam in hominum corda, ubi illa extincta, aut intermortua fuerit, atque incredulitas, immo et animi aversio a religione successerit. Cuius rei testimonium habemus experientiam, quae practica est humanorum eventuum magistra. Cum eiusmodi hominibus religionis praecepta proposueris sin minus irascantur, irrident saltem atque contemnunt.

Iam vero in praecedenti articulo ostendimus, si quosdam deceptos forte exceperis, eos, qui legem coniugii civilis proponunt sanciendam, homines irreligiosos esse, atque ecclesiae catholicae adversarios et hostes, nempe unice verae religionis osores. Ostendimus praeterea, quotquot sub legis civilis obtentu ac patrocinio eiusmodi larvata ineunt connubia ad exclusionem contractus sacramentalis, qui per ecclesiam unice obtineri potest, totidem libertinos esse, depravataeque conscientiae viros ac nullius religionis, alioquin hac civili libertate non uterentur.

Itaque paucis concludere tuto possemus, eos omnem religionis sensum deposuisse, nec ullum salutarem effectum in istorum corda a religione profluere, sive qui legem proponunt, scienterque urgent, sive qui se ei conformant, in religionis christianae conspirare perniciem.

(43) Cf. Roberti in op. *Della probità naturale*.

Cum vero ex dictis societatis ac familiae fulcimentum ac basis, immo et vinculum sit religio; consequens est, eos, qui ita agunt, totidem esse societatis hostes et proditores, dum se eius commoda et utilitates promovere fingunt. Sane isti, ut plurimum in publicis commotionibus primas partes gerunt, turbulenti et inquieti sunt, novitatesque moliuntur ac machinantur. Verum dato etiam non omnes, quos recensuimus, eo pervenisse, aut perventuros umquam esse; inficiari tamen nemo poterit, eos hac agendi ratione debilitare saltem indirecte, ac dissociare societatis publicae ac domesticae compagem, dum religionis ac fidei virtutem extenuant, eiusque imperium impediunt in tanta praesertim, in qua nunc versamur, ad communismum ac socialismum propensione.

Tendere praeterea suapte natura coniugium civile ad dissolutionem familiae ac societatis ex multiplici vulnere contra auctoritatem illato iam nobis ostendendum est. Dum vero auctoritatem nominamus, tum domesticam parentum, tum publicam magistratuum significare volumus: siquidem, utraque laeditur per eiusmodi coniugia.

Et sane auctoritatem domesticam in primis laedi ac imminui ex parte prolis quisque facile sibi persuadebit, qui animadverterit, filios ortos ex eiusmodi parentibus citius aut serius in cognitionem devenire connubii profani, quod ipsi contraxerunt. Illico liberi sic progeniti venerationem imminuunt, imo deperdunt, quam vel ipsa suadente natura ac praecipiente Deo profiteri deberent erga parentes. Ideo enim obsequio patrem ac matrem filii potissime prosequuntur, quod repraesentant auctoritatem Dei ipsius, cuius vice his in terris quodammodo funguntur, et cuius nomine filios instituunt et ad omnem virtutem informant. Ast hunc sacrum, ut ita dicam, characterem in oculis filiorum amittunt parentes illi, qui nullo valido ac legitimo nexu sunt inter se coniuncti, sed profana tantummodo

conventione iuncti sunt, absque ullo religionis, quae eos sanctificaverit, interventu.

Quod si non pauci etiam ex iis, qui ex christiano coniugio procreantur ob insitam ex primaeva culpa, qua maculati nascuntur, naturae infectionem, ab officio erga parentes debito desciscunt; si pii quandoque ipsi genitores de inobedientia, protervia, ac mala filiorum indole conqueruntur; si non obstantibus praesidiis omnibus auxiliisque, quae a religione proveniunt, liberi parum proficiunt, ac saepe cum adolescunt peiores fiunt; quid iam erit expectandum a filiis, qui norunt se natos esse ex fornicaria consuetudine, seu a parentibus, qui nullo religionis sensu afficiuntur, imo sensum religioni ipsi contrarium praeseferunt? Profecto, qui eiusmodi originem traxerunt, ac tales nacti sunt genitores nec ea qua par esset dilectione prosequentur, neque iis sincero affectu obsequentur.

Addendum quod parentes, quales iuxta rei veritatem hic descripsimus, nullam aut pene nullam soleant curam gerere piae institutionis, filiosque consuescant negligere, et nullo eos sive verbo sive exemplo excitare ad rectam vitae rationem efficaciter possint. Ecquos condiscipulos ac sodales eiusmodi genitores filiis praebebunt suis, nisi eiusdem conditionis in malum proclives ac vitiis irretitos? Cum autem mali cum malis consociantur, pessimi omnes brevi fient.

Porro filii in transversum acti, in vitia effusi, libidinis mancipia, maligni fructus ex mala arbore prodeuntes, eruntne rite dispositi, et eo animo comparati, ut honorem deferant parentibus suis, iisque debitam obedientiam praebeant, ac paternam auctoritatem revereantur? Puto neminem, cui comperta sit communis iuvenum ac adolescentium agendi ratio, id sibi persuadere, aliisque suadere posse.

Et haec quidem in ea hypothesi, quod qui sic coniugio civili funguntur in eoque solo consistunt ac perseverant, secum semper liberos retineant, ut qualemcumque de iis curam gerant. Ast praeterquam, quod nedum aliquo ergo filios sincero paterno affectu feruntur, non semel eo deveniunt, ut eos omnino deserant. Notum enim est in magnis praesertim urbibus huiusmodi parentes vix natam sobolem ad publica brephotrophia, quae vocant, deferre, sive quia nolunt taedium institutionis subire, ob molestias, quas secum ipsa trahit, sive quia interdum rei familiaris angustiis premuntur, praesidiisque ad eam alendam destituuntur. Praeterea cum passim inter eiusmodi parentes oriantur querelae, iurgia atque dissidia, propter quae pacifice amplius simul commorari non possunt, ab invicem suppositi tii eiusmodi coniuges separantur. Tum vero proles, aut omnino sibi relinquitur, aut oneri erit alterutrius coniugis, aut eam etiam parentes inter se partiuntur. Quidquid horum contigerit, id semper eveniet ingenti auctoritatis iactura magnoque familiae detrimento.

Etenim si omnino deseritur proles ac sibi ipsi relinquitur, nulla paterna auctoritate suffulta, quemadmodum frondosae vites, nullo sustentaculo suffultae, super terram reptant, ita proles ipsi sibi relicta iacet quodammodo, ac primi praeda erit, ut ita dicam, occupantis. Numquam enim desunt qui tamquam aucupes ac periti venatores circumeant, ut sic deperditos filios, aut filias sibi alliciant malis artibus, iisque tamquam vitiorum idoneis istrumentis pessime abutantur. Quod si pater onus habuerit sobolis universae, negotiis distractus ut plurimum quum sit, ac domi consistere nequeat, aut nullam, aut exiguam operam dabit prolis institutioni; si vero eam committat conductis mercenariis eiusdem ac ipse probitatis, res certe non melius cedet; multo autem minus si aliam proletariam ducat uxorem, quae utpote privigna, alterius et qui-

dem concubinae filios, si non aversatur, saltem nec dilectione, neque maternis curis prosequetur. Si denique matri soli onus educandae prolis dimittatur, cum haec utpote non mater legitima, nec amorem sibi ex conditione sua conciliare possit, nec utpote foemina timorem queat satis incutere, ut eam sibi obnoxiam habeat, hinc fit, ut quo magis adoleverint filii, aut filiae, eos minus sibi obsequentes experiatur, saltem si prudenti iudicio de iis, quae usuvenire solent generatim loqui velimus.

In quacumque igitur hypothesi infelices eiusmodi liberi evadent, ut biblicis utar phrasibus, filii nequam, ac filiae Belial nescientes bene agere, ac venundabuntur ad faciendum malum. Supervacaneum autem existimo prorsus adnotare eiusmodi filios nihil, aut fere nihili facturos auctoritatem paternam, quam nec parentes ipsi in se reveriti sunt.

Nunc aliquid addemus de auctoritate publica magistratuum, quam pariter per matrimonium civile enervari ac imminui iisdem conficitur argumentis, quibus ostendimus enervari ac laedi auctoritatem domesticam ac paternam. Nam certum est, religionem eam esse, quae conciliat auctoritati publicae venerationem et reverentiam. Innumera prope Bibliorum documenta id testantur, quae omnibus obvia sunt. Siquidem declarat Scriptura reges per Deum regnare, ac imperare principes (44); item nullam potestatem esse nisi a Deo, et quae sunt potestates a Deo ordinatas esse, et qui resistit potestati Dei ordinationi resistere (45); declarat praeterea cunctos debere subditos esse « omni humanae creaturae propter Deum, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia sic est voluntas Dei (46);» atque hoc non solum quum agitur

(44) Prov. VIII. 15.
(45) Rom. XIII. 1. 2.
(46) I. Petr. II. 13-15.

de optimis principibus, verum etiam de malis, dum aequa postulant ; scribit enim apostolorum princeps Petrus : « Subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis (47),» qui demum universim praecipit: «Deum timete, regem honorificate (48).» Et haec speciminis gratia biblica hanc in rem documenta attulisse sufficiat (49); ex quibus patet iuxta religionem christianam aliquid religiosi ac sacri inesse obsequio ac reverentiae, quae principibus ac magistratibus debetur, atque Dei et principum famulatum in Scripturis simul coniungi. Quae quidem documenta, si ab omnibus, prout decet, servarentur, tot commotiones politicae ac perduelliones, quae aetate praesertim hac nostra saepe adeo societatem turbant quatiuntque, procul dubio locum non haberent.

Evidens autem est totam hanc salutarem religionis oeconomiam relaxari per civilia connubia, ita ut ea vis penitus

(47) Ibid. v. 18.

(48) Ibid. v. 17.

(49) Qui plura cupit, consulat Bossuetum in op. cui tit. *Politique tirée des propres paroles de l'Ecriture sainte*. livr. III. art. I suiv. Opp. ed. Versailles 1818. tom. XXXVI.

Huic alterum auctorem libet adiicere, qui rem hanc ex ipsa natura expendit, nempe A. Nicolas, qui in op. *Du protestantisme et de toutes les hérésies dans leurs rapports avec le socialisme*. Paris 1852. haec praeclare scribit: «L'autorité des souvrains empruntée de celle de l'eglise, en avait, aux yeux des peuples le droit sacré, le caractère divin; et pour les souvrains eux-mêmes, ce droit n'était qu'une charge de protection, de dévouvement et de charité envers les peuples.-Ce n'était pas l'homme qui commandait et qui obéissait à l'homme, ce qui n'a aucune raison morale d'être, et ne peut qu'enfanter la révolte et la tyrannie, c'etait l'autorité divine et maternelle de l'eglise s'exerçant par délégation dans la personne des souvrains sur ses peuples, et l'obéissance filiale des enfants de l'eglise récueillée dans les peuples per les souvrains; et quand nous disons l'eglise, nous disons Jésus-Christ, comme en disant Jésus-Christ, nous disons Dieu, a qui seul appartient l'autorité dont l'eglise a reçu la haute délégation spirituelle. - Le commendement et l'obeissance étant chose spirituelle dans le for intérieur dont ils procédent, s'inspirent nécessairement par là de la doctrine spirituelle, quelle qu'elle soit qui règne dans le monde, payenne ou chrétienne, catholique ou protestante. Autres sont le commendement et l'obeissance, selon qu'ils s'inspirent de l'une ou de l'autre de ces doctrines, parce que l'homme extérieur et social se conduit en définitive d'après l'homme intérieur et spirituel.» Pag. 130.

destruatur quam publicae auctoritati conciliat religio. Nam sive qui legem condunt, qua dissocietur, aut saltem dissociari possit ratio sacramenti a civili contractu, sive qui legi ita obsequuntur, ut nihili faciant sacramentum, ac prorsus negligant et excludant, procul dubio religionem ipsam suo opere proculcant. Erunt ne vero istiusmodi homines solliciti de auscultanda religione, cum eis praecipit obsequi principibus ac magistratibus, eisque subesse, obtemperare, ac eos honorare? Nemo sanus profecto dixerit; nam qui Deum non timet, nec regem honorificat; sola vi in officio continetur; interim inviti, qui tales sunt, fremunt, ac legibus subiiciuntur, quia contra leges agere nequeunt. Sed simul ac eis aliqua spes affulget, aut scintillula, quod tandem praevalere possint, ac vim vi repellere, illico agitantur, et causas insimulant insurgendi adversus eos, quos nec amant nec verentur. Ita nimirum legislatio, quae ecclesiae auctoritatem proculcat, ipsius etiam politicae auctoritatis robur infringit (50).

(50) Huc apprime quadrant quae idem auctor Aug. Nicolas, in op. cit. *Le protestantisme* etc. post nonnulla excerpta ex Aloysio Blanc, concludit: «La révolution, dit le célèbre socialiste (Le Blanc), qui préparée par les philosophes, continuée par la politique ne s'accomplira que par le socialisme, devait naturellement commencer par la théologie.- Le seizième siècle fut le siècle de l'intelligence en révolte, il prépara, en commençant par l'eglise, la ruine de tous les anciens pouvoirs, voilà ce qui le caractérise. - Le pape qu'il s'agit de renverser, c'est un roi spirituel, mais enfin c'est un roi. Celui-la par terre, les autres suivront; car s'en est fait du principe d'autorité, pour peu qu'on l'atteigne dans sa forme la plus respectée, dans son représentant le plus auguste; et tout Luther réligieux appelle invinciblement un Luther politique (p. 140.).»

Et paullo post: « Les souvrainetés temporelles furent respectées du moins de fait. On les croyait invulnérables, et alors le croyaient elles-mêmes... Ce qui les aveugla... C'etait sur tout qu'elles croyaient que la destruction de l'eglise leur profiterait en les affranchissant de son joug. - Les souvrainetés étaient tellement aveuglées....qu'elles descendirent dans leur rang (des philosophes) pour porter leur main royale sur cette eglise, qui était cependant la sauvegarde de leur autorité, autant qu'elle l'était de la sage liberté des peuples (pag. 187.).»

Tandem non minus vera sunt, quae ex eodem exscribimus: « L'homme n'a pas naturellement l'autorité sur l'homme. L'autorité n'est qu'en Dieu. - La soumission à l'ordre surnaturel est ainsi l'âme de toute soumission. Ainsi, dit excellemment M. Guizot, dès que l'homme cesse de croire à l'ordre surnaturel, et de

Quem praeterea instillabunt sensum erga publicam auctoritatem filiis suis, qui ita sunt animo comparati? De obsequio et amore nil est, quod dicamus, sed ea potius principia subversiva societatis eos docebunt, quibus ipsimet imbuti sunt, execrationis et odii adversus eos, quos ipsi vocant tyrannos et oppressores. Ac ita paullatim fiet, ut de generatione in generationem, veluti quadam traditionali via, ita principia illa propagentur ac dilatentur magis ac magis. Exinde originem habent tot demagogi, qui aluntur et crescunt in perniciem auctoritatis legitimae, ac propterea in dissolutionem ipsius societatis.

Verum non minus solide quod proposuimus evincitur ex effraeni morum licentia, quam provenire ex civilibus coniugiis necesse est. Heic explorati principii loco assumo, rem politicam, seu societatem eo firmius consistere, quo magis cives honesti sunt ac probi, quo accuratius leges servant, seu quo ferventiores christiani esse student. Ab omnibus, qui de re politica scripserunt, sive de constantia cuiusque gentis, sive de magis, aut minus proxima eius dissolutione ac ruina, indicium semper petitur certum ex morum praesertim publicorum honestate, aut pravitate, quae apud cives praevalet. Ubi enim viguerit religio, legum custodia et amor; ubi perseveraverint avitae traditiones intemeratae, ac proinde publica morum honestas, hic populus fortis validusque censetur, vita ac vigore praestat, nec habet ab externis quod valde timeat; ex totius enim multitudinis conspiratione unus homo coalescere videtur. Contra vero ubi populus ab instituto desciverit, ac inter

vivre sous l'influence de cette croyance, aussitôt le désordre rentre dans l'homme et dans la société des hommes. - La chûte de l'autorité dans l'ordre surnaturel, entraîne ainsi la chûte de l'autorité dans l'ordre social. L'homme n'a plus dès-lors le droit sur l'homme; et s'il le domine, ce ne peût être que par la force. Celle-ci doit nécéssairement devenir tyrannique et violente pour obtenir une subjéction, qui n'a plus d'objet moral, et que cesse d'être volontaire.» Pag. 138. Haec meditentur pseudo-politici.

ipsum gliscere coeperit religionis contemptus, aut indifferentia saltem, ubi leges ab eo parvipendantur, simultatesque et factiones in eum irrepserint; ubi publica conculcetur morum honestas, ac novitates aucupentur, quae vitiis blandiuntur, eiusmodi populus contemptibilis fit, atque a sua deiectus dignitate ab omnibus habetur ruinae ac dissolutioni proximus, vergensque ad interitum (51). Gentium omnium historia huius veritatis testimonium praebet.

Quo praestituto principio, si probetur per civilia coniugia morum licentiam inferri, ac propterea religionis ac legum contemptum, proculcari publicam honestatem una cum ceteris consectariis, quae modo recensuimus, quis ibit inficias societatis ac familiae dissolutionem effectum fore necessarium eiusmodi civilis nuptialis foederis? Ast hoc est, quod hactenus prosecuti sumus, quin opus sit eadem aliunde iterare. Nimirum civili hoc foedere semel admisso, actum est de sanctitate coniugii; actum est de eiusdem indissolubilitate; aditus peramplus patebit successivis divortiis, ac saepius polygamiae simultaneae; via sternitur omnimodis flagitiis; actum est de religiosa ac honesta liberorum institutione; actum est de publica morum honestate ac de religione ipsa, ut constat ex dictis. Concludendum idcirco est, talia civilia connubia suapte natura tendere ad familiae ac societatis perniciem.

Idem colligitur, si ipsum connubium propius spectetur. Ubi enim matrimonium inciderit in manus magistratuum civilium, seu civilis regiminis, innumera prope oriantur incommoda, imo et mala manifesta, quae coniugium ipsum

(51) « L'on a sapé, inquit Moëhler, les bases de l'édifice et brisé le lien qui rattache le présent au passé; si la division a rendu tout acte national impossible, et qu'on ne puisse plus distinguer l'esprit public au milieu du désordre et de la confusion; ce peuple, soyez-en sûr, touche à sa ruine; son génie tutélaire, son Dieu a disparu sans retour. *Pan est mort.* Telle était la nouvelle que rapportaient de toute part les navigateurs au temps de la venu du Messie.» *Symbolique* tom. II. liv. I. ch. V. §. XXXVIII. pag. 40. Paris 1852. trad. de M. Lachat.

inficiant, necesse est. Cum semel sibi persuaserit civile regimen, connubium perinde ac contractus ceteros ab se omnino atque unice pendere, pleneque in sua esse potestate, ea statuet, quae ipsi libuerit, nulla ratione habita impedimentorum sive impedientium sive dirimentium, quae sunt ab ecclesia constituta. Ex hac vero iuris ecclesiastici ac civilis pugna enascentur sponte veluti sua perturbationes, difficultates practicae, eaeque gravissimae. Nam si qui voluerint tandem aliquando conscientiae ac saluti suae consulere per renovationem consensus in facie ecclesiae, ut contractus coniugalis, qui hactenus irritus fuerat, ratus fiat, facile se reperient dirimente aliquo impedimento detentos, quo a tali renovatione arceantur. Si qui legis obtentu divortium fecerint a prima, secunda, aut tertia quandoque uxore, quam post prius divortium superinduxerint, iam quisque primo obtutu cernit in quot se difficultates coniecerint, qui sic civili tantum ratione copulati sunt. Poterit enim ex ecclesiae seu potius Dei ipsius lege omnes foeminas ita coniunctas deserere, et aliam quamcumque in uxorem eligere, coniugium suum celebrando in facie ecclesiae: poterit utique etiam unam ex prioribus ducere, quandoque etiam tenebitur vel propter liberos vel propter alias circumstantias secundae vel tertiae, prima relicta, adhaerere. Verum obsistet gubernium, quod primas saltem nuptias uti ratas ac legitimas habet. Quid fiet? Qui sic in facie ecclesiae contraxerit coniugium, ex conscientia huic adhaerere tenebitur, contra vero magistratus civilis eum coget deserere secundam et adhaerere priori, praesertim si ex priori prolem genuerit. En detestabilem pugnam inter conscientiam et legem, inter ecclesiam et gubernium. Quid si quis contraxerit nuptiale foedus coram ecclesia cum aliqua, postquam deprehendit se cum illa, quam civiliter duxerat, non posse permanere eo, quod vigeat impedimentum dirimens, neque cum illa consensum coram ecclesia

renovare. En novos conflictus, si lex civilis non admiserit impedimenta, quae ecclesia constituit. Et ita porro. Ei qui regiones perlustraverit, in quibus lex viget de coniugiis civilibus, nihil frequentius offendet quam hos aliosve similes casus, in quos ruunt, qui civilia eiusmodi coniugia contraxerint.

Facile possem alia non pauca incommoda urgere, quae ex his connubiis pullulant; verum ne prolixior sim, haec silentio praetermittens, aliud persequar, quod ex eodem fonte dimanat. Admisso principio, quod matrimonium ad civile regimen exclusive pertinet, iam prono alveo fluit, causas matrimoniales omnes exclusive pariter ad idem regimen pertinere. Sibi gubernium ius arrogabit cognoscendi, iudicandi, sententiamque definitivam pronunciandi circa coniugia, quae unice considerat tamquam civiles contractus. Quare cum casus contigerit, quod leges civiles pugnent cum legibus ecclesiasticis, qui profecto casus insolens non est, poterit certe sententiam ferre contradictoriam, aut contrariam sententiae latae, aut ferendae ab ecclesia. Hinc si agatur de valore, aut nullitate connubii, pronunciabit laica potestas validum coniugium illud, quod ecclesia irritum plane ac nullius valoris iudicabit, ac viceversa, irritum iudex civilis pronunciabit, quod ecclesia ratum habet. Sequelas maximi momenti, quae ex hac iudiciorum discrepantia, imo et oppositione proveniunt, quilibet per se expendere poterit. Indidem enim oritur hinc conscientiae anxietas, inde iuris civilis privatio, et quod inevitabile est, perturbationum ac dissidiorum amplissima seges non solum inter utramque potestatem, sed inter cives ipsos exurget, qui invicem colluctari debebunt; et ita familiae ac societatis sinus dilaceratur.

Praeterea ex eodem principio de matrimonio mere civili, sequitur posse politicum regimen causas decernere, ob quas coniugium dissolvi valeat, ex. gr. adulterium, ut

in Anglia lege cautum est, ac non ita pridem in codice gallico. atque adhuc obtinet in Germania, ubi viget protestantismus; ecclesia contrarium decrevit in concilio tridentino. Et huc redeunt animadversiones faciendae, quas nuper oculis subiecimus. Rursum poterit gubernium determinare personas earumque qualitates, ut sint iure habiles ad contrahendum civiliter (52). Quid vero prohibet quin gubernium, quod profitetur in suis legibus condendis ab ecclesia praescindere, permittat civile coniugium clericis ac solemni castitatis voto obstrictis? Logice saltem ac legitima deductione infertur evenire id posse. Quando quis per lubricum coepit incedere ac cursum arripere, facile est se praecipitem dare. Prima difficultate superata, cetera pone sequuntur. A primo gradu, qui figatur, totius rei exitus pendet (53).

(52) Revera in paradigmate legis circa matrimonium civile oblato comitiis subalpinis *deputatorum* quos vocant, prius contra ecclesiae leges proponitur aetas et conditio necessaria ad valide contrahendum civile coniugium. « Abili a contrarre: Pei maschi an. 18. / Per le femmine an. 15. } Consenso de' genitori.

Deinde subduntur gradus consanguinitatis et affinitatis, intra quos tantum valide nuptiae celebrari nequeunt.

Ascendenti
Discendenti
Fratelli e sorelle } Affini nello stesso grado senza dispensa
Zii - Nipoti

Vid. *Parlamento sardo - Camera elettiva*. Tornata del 2. Giugno 1852. pag. 517. cap. I. col. 3.

(53) Ne videamur in theoria consistere, praesto nobis sunt facta, quae quod hic affirmavimus confirmant. Cum in senatu subalpino obiectum fuerit a celebri oratore ac vere catholico adversus propositum programma legis de matrimonio civili, legem circa matrimonia agnoscere debere necessitatem sacramenti, prout agnoscit aliquot impedimenta presse religiosa ex. gr. sacrorum ordinum, votorum solemnium etc. Minister regius a negotiis internis sic respondit: « Io credo, che allorquando la società sia giunta ad un *maggior grado d' incivilimento*, forse non si occuperà più *nè di preti, nè di ordini sacri*, lascierà che la coscienza di ogni cittadino, sia da se sola giudice, e se il senato credesse, che tale sia già l' incivilimento del nostro paese, io dichiaro dal mio canto, *non mi opporrei all' adozione di una piena libertà anche su quest' oggetto.*» Vid. *Parlamento sardo - Senato*. Tornata del 15. Dicemb. 1852. pag. 188. col. 1.

Itaque his expensis circa civile connubium sub quovis respectu ex mente illorum, contra quos agimus, negari iterum minime potest civiles nuptias ad familiae ac societatis dissolutionem tendere.

Reliquum est, ut res ipsa conficiatur ex consideratione prolis ortae, aut oriturae ex coniugiis civilibus; praetermissis quae de religiosa ac morali eiusdem sobolis institutione paullo ante commemoravimus, nostram convertimus attentionem ad istiusmodi liberorum conditionem. Cum consensus a contrahentibus exhibitus coram solo magistratu civili ad exclusionem ecclesiae, nullius prorsus valoris sit, nec proprie dictum contractum coniugalem efficiat, istorum filii erunt totidem spurii ac illegitimi, idque non solum coram ecclesia, sed etiam respectu ipsius societatis. De ecclesia non est, quod dubitemus; quoad societatem facile ostenditur. Nam licet legis vi civile regimen ita procreatos filios spectet tamquam legitimos, nihilominus populus christianus eos semper ac iugiter uti spurios habebit, utpote ab illegitimo toro ortos, seu a fornicaria coniunctione progenitos. Numquam sive lex sive gubernium ab hac turpitudine eos absterget. Insita ea est ipsorum origini et in communi hominum sensu et in conscientia christianorum, quae cuicumque humanae legi praevalet. Haec autem inter legitimos atque illegitimos discretio mirum est quem influxum in societatem exerceat.

Accedit quod si eiusmodi filii fuerint ex diverso toro nati, quaedam inter eos suapte natura oriatur antipathia, quam vocant, seu animi aversio, quae non raro succrescit atque in aperta odia erumpit, ita ut invicem sese aversentur. Augetur autem mirum in modum prava haec animi dispositio, ubi agitur de adeunda haereditate sive paterna sive materna. Hinc lites iuges inter eos enascuntur et succrescunt, quae nullum ut plurimum felicem sortiuntur exitum. Omnes inter simultates adolescunt et odia mutua,

atque idcirco in ruinam societatis, quae eos in sinu alit ac fovet in propriam perniciem, cuius viscera opportuno tempore, ac oblata occasione dilacerabunt (54).

Si capita haec singula separatim ad examen vocata evincunt connubium civile natura sua tendere ad dissolutionem ac interitum societatis et familiae, collective sumpta ita rem conficiunt, ut scepticus sit oportet, qui id in dubium adhuc revocare velit.

Complexi autem sumus per modum unius in hac disceptatione societatem et familiam, quia quae de una dicuntur, de altera quoque pari ratione dici debent. Nam familia privata refert in se ipsa similitudinem, formam ac veluti typum societatis publicae; societas vero publica, praeter quam quod ex familiis privatis exurgit et coalescit, quaedam, ut ita loquar, magna familia est sub paterno principum regimine; adeoque quod convenit familiae, data proportione, convenit societati, et e converso quod conducit ad societatis bonum, conducit ad bonum familiae, quodque cedit in dedecus ac ruinam unius, in dedecus ac perniciem cedet alterius.

(54) Praeclare D. Sauzet in opusc. *Réflexions sur le mariage civil et le mariage chrétien*. Lyon 1853. pag. 20 seq. «Malgré l'amélioration des mœurs, inquit, on ne trouve encore que trop de situations équivoques, de familles troublées, d'épouses douloureusement combattues entre les exigences contraires de la loi, de l'opinion et de la conscience. Quelle école pour les enfants que ces tristes traillements de foyer domestique où Dieu lui-même est mis en question tous les jours par le conflit perpetuel de la réligion et des lois! Quels exemples pour l'autorité paternelle, et quel avenir pour la paix des familles et de la sainteté des mœurs publiques!.... Personne ne désire que les populations désertent leurs croyences et s'habituitent à multiplier par des simples formes civiles les engagements réligieux de leurs pères; c'est qu'une société, qui ne reconnoîtrait d'autre conscience que le frein légal, d'autre Dieu que le magistrat, d'autre religion que les codes, effrayerait bien vite les admirateurs les plus exclusifs de la puissance civile.»

Hic porro vir cum fuerit publico ministerio functus, optime novit id de quo disserit.

CAPUT II.

DE MATRIMONII CIVILIS ORIGINE ET PROGRESSU.

ARTICULUS I.

Neque in ecclesiastica, neque in ethnica antiquitate matrimonii civilis origo inveniri potest.

Magnum semper cuivis causae damnum attulit ipsa rei novitas in iis, quae ad religionem spectant. Novitas in religionis negotio certum est indicium falsitatis, praesertim si novitati ecclesiae reprobatio accesserit. Talia vero esse connubia civilia penes christifideles res est exploratissima.

Ex quo enim christiana religio disseminari coepit, fidelium coniugia tamquam sacra habita sunt in ecclesia universa, atque ab ea regenda et moderanda. Siquidem, quum, docente Apostolo, christiani connubii finis fuerit, ut forma esset, sive in sese referret coniunctionem Christi cum ecclesia, et signum efficax gratiae, conferens nimirum gratiam ad dilectionem supernaturalem fovendam inter coniuges, hoc ipso sacramenti ratio inseparabilis extitit a christiano foedere nuptiali.

Hac de causa ut intima haec sacramentalis coniugii christiani qualitas sub sensus quodammodo caderet, et omnium patesceret obtutui, ecclesia, ut saepe superius animadvertimus, quosdam ritus adscivit, quibus dignius maiorique cum reverentia ac veneratione coniugia celebrarentur. Inter cetera constituit, ut sponsus et sponsa inituri coniugium coram episcopo, aut sacerdote se sisterent, ad sese communiendos benedictione nuptiali. Haec autem benedictio non ad solos contrahentes coarctabatur, sed ad anulos, vela, coronas porrigebatur, quo augustior solemniorque apparatus fieret, atque ut ex multiplici, quae effundebatur, prece uberior super sponsos gratia obveniret.

Hac ratione ecclesia alliciebat fideles suos ut lubenti animo uberiorem hanc sanctificationem et gratiam sibi compararent, atque hoc modo ipsa certior fiebat de legitimis, quae contrahebantur, nuptiis. Conditiones insuper apposuit ad legitime nuptias incundas, quibus non servatis, aut illicitae, aut irritae etiam ac nullius penitus valoris redderentur, ita ut separari ab invicem deberent, qui, illis conditionibus posthabitis, nuptias contraxissent. Talis est origo eorum, quae nos vocamus impedimenta ecclesiastica impedientia aut dirimentia.

Ad primam impedientium impedimentorum classem in antiquitate spectat illa, quam nos dicimus, clandestinitas, qua fideles inter se, quin se sacerdoti sisterent, contrahebant coniugium, et quidem interdum omnino occulte, nullo adscito teste. Eiusmodi connubia etsi constanter tamquam irregularia ac non paucis obnoxia nec levibus incommodis ecclesia improbaverit ac detestata fuerit, rata tamen, universim saltem, ac tamquam vera habuit sacramenta, donec in concilio tridentino ea irrita omnino decrevit.

Interim ex his novimus ecclesiam in tota antiquitate numquam spectasse christianorum coniugia tamquam meros contractus civiles, sive coram se sive occulte inirentur; immo vero novimus ea iugiter habuisse ut rem sacram, praeseferentem Christi cum ecclesia coniunctionem, atque indiscriminatim omnibus sua apposuisse impedimenta.

Potestas vero civilis sive imperialis sive regia, ex quo in christianam immutata est, coniugiorum moderationem ecclesiae dimisit, et si quas aliquando leges tulit circa matrimonium fidelium, ut suo in loco videbimus, eae aut non attingebant vinculum ipsum, aut cum ecclesiae consensu promulgabantur a principibus christianis, aut si demum ecclesiae legibus adversarentur, nulla earum ratio

habita est, nec alium sunt effectum sortitae praeter mere civilem, ac interea ecclesia fidelium nuptias perrexit ex iure suo aut ratas, aut irritas coram Deo spectare.

Nusquam ac numquam reperimus in antiquitate universa, imperantes aliquando subditis suis christianis praescripsisse consensum suum nuptialem praebere coram magistratibus. Multo vero minus aliquando legimus, imperantes lege lata sanxisse, ut christiani subditi contenti esse possent de coniugio coram magistratibus inito, illudque uti verum matrimonium habuisse, invita ac reluctante ecclesia. Nusquam iteram ac numquam offendimus hac super re imperantes ecclesiae aliquando litem intentasse, sed, prout religio christiana ferebat, negotium hoc totum eo in statu reliquerunt, in quo erat cum ipsi in ecclesiam per religionis christianae professionem, sacrumque lavacrum ingressi sunt. Nuspiam ac numquam iidem imperantes futili usi sunt distinctione inter matrimonium uti christianum sacramentum et contractum, ita ut sub altero hoc respectu debuerint, aut potuerint saltem attingere ac moderari, atque ecclesia non potuerit nisi sub priori respectu illud moderari ac attingere.

Siquidem nondum antiquorum regendae christianae societatis ratio eo devenerat, ut ideas omnes perverteret, quae ab exordio rei christianae omnium mentes occupaverant, et cunctorum sive imperantium sive subditorum obtinuerant ex eiusdem religionis placitis. Nimis recentes sunt, quod iam sumus inspecturi, eiusmodi doctrinae, seu verius perversiones, quae supponunt innovationem in doctrinis, quas religio semper professa est et profitebitur.

Sane in patrum, aut ecclesiasticorum auctorum scriptis nihil occurrit, quod vel leviter mentionem faciat praefatae distinctionis, unde erui possit divisio attributionum reipublicae et ecclesiae circa matrimonium fidelium. Ecquis enim dubitat, quod si antiquitus illa partitio obtinuisset,

exoriri necessario debuissent contentiones, collisiones, dissensionesque prope innumerae inter utramque potestatem ecclesiasticam atque civilem, prout aetate hac nostra frequentissimae gravissimaeque exortae sunt, atque exoriuntur? Profecto neque episcopi seorsum, neque in conciliis sive provincialibus sive nationalibus, aut oecumenicis congregati, neque summi pontifices aliquando hac de causa conquesti sunt, aut etiam mentionem alicuius conflictus fecerunt. Ergo evidens est antiquitus, ut mediam quam vocant aetatem praetermittam, de qua nulla est dubitatio, eiusmodi mere civilia connubia ignorata penitus fuisse.

Verum enimvero non modo mere civilia coniugia antiquitus fuerunt omnino ignota, sed vel ab ipsa politica potestate penitus exclusa, prout ferebant et sui ipsius sanctitas et mores aetate illa communes, ac longe lateque dominantes. Idque evincimus luculenter tum indirecte tum directe.

Indirecte quidem, quia non solum apud christianos, sed penes ethnicos ipsos numquam excogitata fuerat ea, quae in praesentiarum passim obtinet apud pseudopoliticos, separatio religionis a republica seu regimine civili. Notum enim est, receptum olim fuisse ita se invicem religionem ac statum politicum intime coniungi, ut unum quid constituerent. Hinc non solum supremi magistratus, ut plurimum sacerdotio ornati erant, sed vel ipsi summi imperantes coniungebant quandoque in se imperialem ac pontificalem dignitatem ad maiorem sibi penes populos conciliandam auctoritatem ac venerationem. Qui propterea pollebat imperio, hoc ipso erat summus pontifex. Adeo id invaluerat, ut vel ipsi imperatores christiani titulum hunc pontificis maximi retinuerint ad Gratianum usque, qui omnium primus illum abdicavit. Imperatores porro ethnici, quibusdam exceptis solemnioribus actis publicis, per sacrificulos ac flamines ritus religiosos et cetera, quae

*

ad cultum pertinent, exercebant. Quapropter spectabatur imperator uti genius tutelaris reipublicae (1). Exinde repeti debent atroces illae ac pugnaces persecutiones, quibus iidem insectabantur christianos non solum ut impios et sacrilegos, verum etiam ut hostes ac rebelles imperii, eo quod ethnicae superstitioni nuncium remisissent (2).

Tantum igitur abest, ut ethnici religionem a statu separaverint, ut alterum altera fulcirent atque firmarent. Vix erat actus alicuius momenti, qui non aliquo religioso ritu consecraretur. Porro imperatores, qui ex ethnicis ad christiana castra transmigrarunt, hisce placitis iam imbuti erant, quippe qui ab infantia in illis enutriti et alti (3)

(1) Cf. Rank *Histoire de la Papauté* tom. I. liv. I. Cf. etiam hoc de argumento Gruterum *De veteri iure pontificio* apud Graevium: *Thesaurus antiquit. roman.* tom. V. Bosium: *De pontifice maximo Romae veteris* apud Graevium loc. cit. Item *De pontificatu maximo rom. imper.* Ibid. loc. cit. cap. II. §. 1. 2. pag. 277. Rossini *Antiquit. romanar.* 1743. lib. III. c. XXII. De la Bastie tom. XXII. *Mémoires de l'academie des inscriptions*, cuius examen accuratissimum exhibet Eckel in erudito opere *Doctrina nummorum veterum* tom. VIII.

(2) Cf. *Acta martyr. sincera* D. Ruinart, in quibus haec passim occurrunt.

(3) Quidam ex senatoribus subalpinis affirmavit viguisse quidem iuxta romanas leges ceremoniam seu ritum sacrum, quo consecrarentur nuptiae, sed iurisprudentia progrediente, eiusmodi usum in desuetudinem abiisse. En eius verba: « Quando noi consideriamo quelle leggi (romane), noi troviamo che le solennità della confarreazione, che era il solo rito religioso riconosciuto in Roma, *erano da lungo tempo* cadute in disuso, allorquando la giurisprudenza era venuta in quello splendore, che le diede autorità sopra il mondo civile di quei tempi, e che gliela conservò per lungo andare de' secoli seguenti; allora la sola volontà delle parti dava essere alle nozze.» Vide *Parlamento Sardo-Senato*-Tornata dei 16. Dicem. 1852. pag. 189. col. 3. Nos contrarium paulo post ostendemus. Praeterea nemo umquam negavit nuptias suum *esse* seu essentiam habuisse ex voluntate partium; imo et nunc adhuc contrahentium consensus essentiam matrimonii constituit. Sed quaeritur utrum hic voluntatis consensus fuerit ritu sacro etiam apud romanos consecratus, an vero spectatus fuerit tamquam merus contractus civilis. Hoc porro est, quod senator dissimulat. Ceterum nimis probaret, si verum esset, quod regius hic sigillorum custos ac senator contendit; probaret nempe neque *civilem* contractum obtinuisse penes romanos in celebratione coniugii. Adeoque si ipse sibi constare vellet, deberet senatus lege sua sancire connubia prorsus clandestina, et tunc actum esset *de matrimonio civili.*

Quod si demum romani, ut innuimus, exleges corruptissimi facti, ritum religiosum in coniugiis suis neglexerunt, non ideo id fuit, quod profecerint in iurisprudentia, sed quod desciverint ab instituto, et properarent in perniciem et rui-

Quare non potuerunt in religionem christianam eam separationem inducere, quam exclusam noverant ab ipsis ethnicis, sed potius arctissimam coniunctionem fovebant, urgebantque quam maxime. Tanto autem magis id congruum videbitur, quod eam professi fuerint religionem, quae praedicabatur uti anima seu vita societatis, receptumque erat effatum, esse religionem christianam, relate ad statum, quod est anima relate ad corpus, quod illa informat et vivificat (4).

Quod si arcto adeo nexu vinciebantur status ac religio, perinde ac ea quae ad alterutrum spectabant, consequens profecto est, non modo noluisse reges et eos, qui quocumque nomine imperio pollebant, promovere connubia simpliciter civilia, sed potius nihil intentatum reliquisse quominus connubia a religione consecrarentur saltem quantum ex se erat, quin ex debito obligatam eiusmodi rem facere viderentur. Quum proinde romani ab instituto maiorum desciverunt, moresque eorum in peius ruerunt, neglexerunt ritum *confarreationis*, quo ipsorum coniugia penitus indissolubilia reddebantur utpote res sacrae (5), coeperunt celebrare matrimonia aut solo *usu*, aut *coemptione* (6). Verum animadvertendum est, non solum non obtinuisse ri-

nam, postquam quod libitum id erat et licitum, quod novum placitum omnes ordines infecerat. De quo tempore Iuvenalis Satyr. V. scribebat:

. . . . . Sic fiunt octo mariti
Quinque per autumnos.

et Martialis VI. 7.

. . . . . Toties quae nubit adultera lege est;
Offendor moecha simpliciore minus.

(4) Isidorus Pelusiota *Epistolar.* lib. III. ep. 216. ed. Paris. 1648. et lib. III. ep. 240. Item s. Gregorius nazianz. Orat. XVII. s. Io. Chrysost. Hom. XV. in II. ad Cor. S. Ivo Carnot. ep. 51. ad Henricum Angliae regem. Omitto posteriores auctores, qui idem statuerunt.

(5) Cuius assertionis mox indubia documenta dabimus.

(6) Cf. Doellinger in op. German. cui titulus: *Hippolytus et Calixtus.* Regensburgi 1853. §. VI. *Sexta accusatio* (nempe anonymi auctoris op. *Philosophumena* adversus Calixtum papam) pag. 138 seqq

tum sacrum hisce in coniunctionibus, sed neque aliquem actum civilem.

Hoc tamen ingens intercedit discrimen inter actum religiosum ac civilem in nuptiis ineundis penes veteres, quod omissio ritus religiosi provenerit ex neglectu contrahentium; contra vero omissio *formalitatis,* quam dicunt, legalis ex defectu ipsius legislationis, quae numquam illam ad celebrandum legitime coniugium sancivit. Coniugium civile, quod iniri deberet per consensum emissum coram magistratibus civilibus, antiquitus penitus ignorabatur. Satis enim erat apud romanos, ut contrahentes inter se convenirent, aut aliquo *verbo*, aut etiam solum *facto* ipso. Nec disputabatur tunc temporis de facultate ex parte auctoritatis politicae ad legitime nuptias contrahendas; nulla requirebatur solemnitas testium, aut reipublicae administrorum. Auctoritas civilis non interveniebat nisi post celebrationem matrimonii, quum inter coniuges ageretur de aliqua causa dirimenda (7); et quidem post iudicium a collegio sacerdotali institutum. Et haec quidem *indirecte*.

Nunc ad hoc ipsum *directe* evincendum accedamus oportet. Quod ut assequamur satis est documentis positivis ostendere, apud eosdem ethnicos nuptialia foedera iugiter spectata fuisse uti rem sacram, ac sacris ritibus initiandam. Cuius rei vades damus veteres iurisconsultos, qui hoc de argumento disseruerunt. Iacobus Cuiaccius haec ad rem nostram scribit: «Nuptiae quoque pactiones sunt, et nudo consensu constituuntur, qua de causa hypothecis comparantur lib. 4. *De fide instr.*, et fiunt etiam inter absentes, sicut sponsalia. A Modestino eleganter definiuntur hoc modo: *Coniunctio maris et foeminae et consortium omnis vitae*, DIVINI *et humani iuris communicatio*. Coniuncto ut l. 1. *De iust. et iur. Coniunctio maris et foeminae, quam nos matrimonium appellamus*. Duplex enim habent nomen, ma-

(7) Cf. Ibid.

trimonii, et nuptiarum, l. 10. *hoc tit. et Instit. de patr pot.* ex quo loco etiam consortium omnis vitae interpretari licet, individuam vitae consuetudinem, quod vitae societatem, *leg. Si rerum. De re iud.* l. 1. *Rer. amot.* quod Alicarnassaeus ἐῶι πολλῇ συνελθεῖν τύχῃ, ubi uxorem etiam facit κοινωνὸν ἁπάντων χρημάτων τε καὶ ἱερῶν, idest *sacrorum sociam*, quam divini, et humani iuris *communicationem* Modestinus vocat, et imp. Gordianus similiter sociam rei humanae, atque divinae, domum suscipi (8). Est autem titulus hic *De ritu nuptiarum*, quod pontificale verbum est: nam et quas fas esset duci, pontificum notionem fuisse intelligimus ex Tacito I. et Dione XLVIII., qua item solemnitate, velut deductione in domum mariti, et aquae, ignisque praelatione et acceptione (9).» Hactenus quidem eruditus auctor. Ex quo discimus vel ab ipsis legibus romanis matrimonium spectatum fuisse uti rem sacram, ac religiosam (10).

Nec mirum, siquidem ab immemorabili penes omnes populos persas, aegyptios, graecos et romanos nuptiae sub religionis auspicio caelebratae sunt. Quamquam res notissima sit, ac documentis certissimis comprobata, non abnuimus speciminis saltem gratia nonnulla afferre ad huius rei confirmationem. Nam nullae nuptiae nobiliores certe ac legitimae fiebant, nisi adhibitis aruspicibus, teste Iu-

(8) Et hic attendat cit. eruditus Senator, non solum ab initio sed etiam *sub imperio*, Romae coniugium habitum fuisse tamquam rem sacram, cum iurisprudentia suum perfectionis apicem attigisset penes romanos.

(9) Iac. Cuiaccii *Paratitla in libros quinquaginta digest.* lib. XXII. tit. II. *De ritu Nuptiar.* Opp. edit. Paris 1617. tom. I. col. 522.

(10) Quandoquidem vero Cuiaccius in cit. loc. solum indicavit textus Taciti ac Dionis, abs re non erit heic ipsorum verba describere. Sic igitur Tacitus *Annal.* lib. I. 10. Augusti simulatam agendi rationem aperit, dicens: «Abducta Neronis uxor: et *consulti per ludibrium pontifices*, an concepto, ne dum edito partu, *rite nuberet.*» Non ad senatum Augustus se vertit in causa coniugii, sed ad pontifices. Eamdem iisdemque pene verbis rem refert Dio Cassius *Hist.* lib. XLVIII. n. 44. «Ambigenti Caesari ac *sciscitanti a pontificibus* fas ne sibi esset, eam praegnantem ducere, responsum est etc.»

venali (11). Dii invocabantur, qui nuptiis censebantur praeesse (12). Arnobius meminit maritorum, qui et Fortunae virginalis ad opem confugiebant, dum sic ethnicos compellat: « Cum in matrimonium convenitis, toga sternitis lectulos, et maritorum genios advocatis? Nubentium crinem caelibari hasta mulcetis? Puellarum togulas Fortunam defertis ad virginalem (13)?» Fiebat praeterea matrimonium *confarreatione* certis verbis adhibitis, testibus praesentibus, solemnique sacrificio, in quo farre utebantur, coram pontifice peracto, mulier in manum viri conveniebat (14). Omitto ritus quamplurimos de coronis, flammeo, zona, taeda pinea etc. quos fuse persequuntur qui de antiquorum moribus ac ritibus data opera scripserunt (15). Unum adhuc adnoto coronidis gratia, adeo scilicet receptum fuisse apud veteres, quod religio deberet nuptiis coniungi quo sacrae essent, ut vix celebrarentur coniugia quin locum sacrum adirent ad exploranda auguria. Quare loquens

(11) Iuv. Satyra X. v. 330-338. collat. Tacito Annal. XI. 27. agitur enim ibi de solemniis nuptiarum Messalinae et Silii. Plura alia vide apud Brissonium *De iure nuptiarum* in *Thesauro* Graevii tom. VIII.

(12) Virgil. *Aeneid. X.* 39 seqq.

(13) Lib. II. *Adver. gent.* Basileae 1546. pag. 107.

Cf. Praeterea Meursium *De morib. et rit. gent.* lib. I. c. 7. ubi inter alia scribit: « Ceterum etiam quinque faces erant propter deos, qui invocabantur in nuptiis, Iovem adultum, Iunonem adultam, Venerem svedam, Dianam; invocabantur etiam Hymenaeus et ominis gratia Thassus, qui fuit praeclarissimus, dum Romuli tempore, pulchramque virginem recepit, Mercurius quoque ex disciplina aegyptiorum propter caduceum, ex quo dracones duo erant mas et foemina.»

(14) Numina quibus litabatur et ritum sacrificii describit Virgilius de nuptiis agens *Aeneid.* lib. IV. v. 55.

« Principio delubra adeunt, pacemque per aras
Exquirunt: mactant lectas de more bidentes
Frugiferae Caereri, Phaeboque, patrique Lyaeo;
Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curae.»

(15) Consuli possunt inter ceteros Io. Meursius, Io. Saubertius *De sacrificiis veterum* ex ed. Crenii Lugd. Batavor. 1699. cap. III. Nieuport *Rituum qui olim apud rom. obtinuerunt* sect. VI. c. IV. *De nupt. rom.* Cantelius *De romana republ. Appendix ad rem civilem* cap. II seqq. Venet. 1787. Cansalo Adorno Spagnolo *Ricerche sulle diverse maniere di contrarre il matrimonio tra gli antichi romani.* Rom. 1807.

Tullius de Caecilia Metella, quae constituerat neptem suam tradere marito, scribit · « Exivit in quoddam *sacellum* ominis capiendi causa, quod *fieri more veterum solebat* (16). » In sarcophagis ipsis repraesentabatur genius nuptiarum, Hymenaeus, qui sponsos coniunxerat, gestans facem nuptialem, symbolum coniugii (17). Demum in nummis imperialibus passim occurrit effigies Iunonis pronubae ad celebranda coniugia imperatorum (18).

Itaque nihil certius, exploratiusque nihil, quam veteres nuptias iugiter veluti rem sacram ac religiosam habuisse. Immo vero non modo exploratum est numquam consuevisse veteres coniugia a religione aliquando divellere, quin potius omni superstitionum genere curaverint ea ritibus religiosis consociare, nec nisi improbos quosque illos negligere solitos fuisse. Ex quo pronum est colligere, uti paullo ante adnotavimus, principes ac magistratus ne cogitasse quidem de connubiis mere civilibus coniungen-

(16) *De divinat.* l. 1. c. 6. Vid. *Museo Worslejano.* Milano 1834. tom. X. pag. 36.

(17) Cf. Ennii Quirini Visconti Op. classe prima vol. VI. *Il museo Pio-Clementino.* Milano 1822. tavola XII. pag. 68 seqq. Ibid. not. 2. legitur, quod similis imago Hymenaei reperiatur in magno sarcophago, in quo describuntur ritus nuptiales, reposito in s. Laurentio extra muros.

(18) Vid. Philip. Aurel. Visconti *Il museo Chiaramonti descritto ed illustrato.* Milano 1820. p. 51.

Quod attinet ad populos reliquos orientales et occidentales. Cf. Io. Bapt. Casalium *De ritu nuptiarum ac de ritu connubiali veterum*, quod opus reperitur in *Thesauro* Granovii tom. VII. Barnabam Brissonium *De ritibus nuptiarum*, recusum in tomo VIII. Graevii. Gaspar. Calover, qui *De ritibus nuptialibus omnis generis et nationis* egit lib. I. *Ritualis ecclesiastici*, Frid. Iul. Rottmannum in *Rituali nupturientium germanice* edito Bremae 1713. Gaya in lib. gallico *Cérémonies nuptiales de toutes les nations.* Hagae Comitae 1581. Ex his aliisque non paucis quorum longum catalogum texuit I. A. Fabricius in sua *Bibliographia antiquaria.* Hamburgi 1760. cap. XX. comperies ubique gentium receptum, ut nuptiae ritu sacro constanter consecrarentur. Et haec quidem cum solemni ratione coniugia celebrabantur; nam de matrimoniis clandestinis, de quibus nuper aliquid diximus, tum apud romanos, tum apud alias gentes, non est quod disseramus. Id fixum maneat, apud veteres matrimonia fuisse vel plane clandestina, vel religioso ritu consecrata, numquam vero mere civilia, idest coram profano magistratu inita.

dis cum religione christiana, in qua optime noverant, fideles matrimonia contrahere praesulum ductu et auspicio, et in qua coniugia ex avita traditione teneri sciebant non solum uti res sacras, verum etiam ut sacramenta, utpote gratia sanctificante a Christo servatore aucta; in qua demum noverant, nefas fuisse christifidelium nuptias censeri inferioris ordinis quam nuptiae infidelium ; quod certe contigisset, si christianorum connubia contractibus mere civilibus accensuissent. Ceterum constat ex dictis non obtinuisse penes romanos, nec apud alias gentes, ut contractus nuptialis ante magistratus, aut publicos ministros quocumque nomine vocentur, celebraretur. Adeoque ne locum quidem tunc temporis habere potuisset distinctio inter contractus coniugales civiles, atque religiosos.

Nondum aetas illa maiorum assueverat cum atheismo illo practico legali, qui his temporibus apud pseudo-politicos obtinuit ac inolevit. Nondum philosophia, quam improprie vocant, socialismus et communismus invaluerant, qui abiecte adeo de coniugio loquuntur et disputant ut nihil communius cum ingenti societatis ipsius iactura ac detrimento audire possimus. Fieri igitur nequit, ut in antiquitate vel ipsa coniugiorum mere civilium vestigia reperiantur, in media praesertim christiana societate.

Quod si quaedam obscuriores haereticorum sectae abiecte de nuptiis sentire visae sunt, ut pleraeque gnosticorum familiae, encratitae, manichaei, aliique sectarii (19), ex aliis omnino, iisque contrariis placitis in eam devenere opinionem. Scilicet excessu peccarunt ob praeconceptam plerumque virginitatis ideam tunc maxime praevalentem, quamque illi haeretici stultorum more, qui dum vitant vitia, vitia in contraria currunt, ita suspexerunt, ut nuptias, seu potius nuptiarum usum tamquam malum damnarent.

(19) Hos data opera refellerunt s. Irenaeus, Clemens alex., s. Epiphanius, Theodoretus, s. Augustinus aliique haereticorum impugnatores.

Nihil igitur commune habet istorum haereticorum sentiendi ratio cum eo, de quo agimus argumento, nec ideam ingerere potuerunt de connubio mere civili, quin potius istud maxime ex suis principiis aversati fuissent.

Concludamus igitur necesse est ex hactenus expensis in antiquitate sive ecclesiastica sive profana coniugia mere civilia ignota plane fuisse.

ARTICULUS II.

Prima origo Matrimonii civilis inter christianos a protestantismo repetenda est.

Pessimus effectus nisi a pessima causa provenire potest; nam in sua causa effectus contineri debet. Pravum autem esse coniugium mere civile post ea, quae in superiori capite ostendimus, sanus quisque fatebitur; quapropter non aliunde quam a prava causa originem ducere potuit. Ea porro est protestantismus. Nimirum pseudopolitici, qui inter catholicos matrimonii civilis auctores sunt, licet se se catholicos profiteantur, hanc theoriam e protestantium doctrina derivant, quod quidem demonstrabimus ex ipsis protestantismi circa matrimonium tum placitis, tum praxi, tum denique ex eo, quod, qui matrimonio favent civili, iidem et protestantismo ut plurimum favere soleant.

Exploratum est, ut a *doctrina* initium faciamus, protestantes, Luthero duce, contra superiorum saeculorum firmissimam fidem, imo et contra professionem haereticorum, qui praecedentibus aetatibus ecclesiam turbarunt, primos extitisse, qui directe inficiati fuerint matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicis sacramentis a Christo Domino institutis (20). Quum autem de-

(20) Cf. Bossuet *Histoire des variations* liv. XI. §. 107. et §. 182. opp. ed. cit. tom. XX.

iecerint christianum coniugium a sacramenti dignitate, consequens fuit, ut ad meri contractus conditionem ab ipsis redigeretur, quemque principes unice moderarentur legibus suis.

Verum quidem est, quod isti neoinstitutores voluerunt matrimonium a Deo institutum fuisse, ac sub aliquo respectu tamquam rem sacram agnoverunt. rituque etiam religioso eius celebrationem adornandam; nihilo tamen minus illud tamquam purum humanum contractum natura sua depraedicarunt, et dependentem ab auctoritate humana seu politica quoad personas et rationem illius contrahendi. Id liquet tum ex Calvino, qui divinam matrimonii institutionem comparat cum agricultura et arte sutoria scribens: « Non satis est matrimonium esse a Deo. ut sacramentum censeri possit; nam etiam agricultura et ars sutoria est a Deo, nec tamen est sacramentum (21);» tum etiam ex eo, quod protestantium plerique aperte doceant causas matrimoniales ad politicum magistratum omnino pertinere (22). Kemnitius vero ecclesiae tantum tribuit respondere de casibus conscientiae, qui circa matrimonium ex verbo Dei pendent; ferre tamen leges de matrimonio. non ad ecclesiam, sed ad politicum principem pertinere con-

(21) *Instit.* lib. IV. cap. XIX. §. 34.

(22) Apud Bellarm. *De matrim.* cap. XXXII., et post Bellarmini aetatem id ipsum propugnarunt Stryckius in Dissert. *De reliquiis sacramenti in matrimonialibus*, quam sententiam sub eius praesidio Io. Philippus Odelem Halae 1704. amplexus est, ac matrimonium nonnisi *contractum civilem* esse affirmavit. Cumque Loescherus in *Relationibus innoxiis* an. 1705, pag. 118. atque Her. Reinhardus in *Meletemate de sanctitate matrimonii adversus contractus mere civiles convitium*, et Mich. Henr. Gribnerus in Dissert. *De his, quae ex iure protestantium matrimoniali de reliquiis sacramenti perperam referuntur* illam doctrinam impugnassent, Odelem in *Apologia dissertat. De reliquiis sacramenti in matrimonialibus.* Brunswich. 1716. in-4. respondit: item Boehmerus tom. III. *Iuris ecclesiastici protestantium*, qui pariter Dissertationem singularem edidit *De iure principum protestantium circa solemnia matrimonia ecclesiastica.* Halae 1718. etsi hic auctor, ut videbimus, uti rem sacram spectaverit, atque a iudicibus ecclesiasticis decernendam spectarit coniugia.

tendit (23); idque ex praestituto principio, quod coniugium non sit nisi contractus naturalis et civilis.

Enim vero, semel ac nuptiae ad ordinem civilis contractus etiam inter christianos deiectae sunt, facile fuit argumentari iuris civilis esse de illis decernere, non solum quoad ea, quae extrinseca illis sunt, cuiusmodi censentur dos, haereditas, successio, aliaque eiusmodi, de quibus nec nos ambigimus, sed quoad vinculum ipsum quoque, ac ea quae ex vinculo promanant. Exinde coeperunt protestantes promiscue, aut coram ipsorum ministris, aut coram magistratibus sua inire coniugia, quae firmitatem acciperent vi ipsius legis. Dixi *vi ipsius legis*, nempe civilis, quia Christi effatum: *Quod ergo Deus coniunxit homo non saparet*, quibus, ut suo loco ostendemus, perpetua indissolubilitas adstruitur matrimonii, protestantes innumeris pene modis cavillationibusque penitus eludunt (24). Restat igitur coniugiis illa unica firmitas, quam leges civiles ipsis tribuere voluerunt.

Ita matrimonium simpliciter civile formali ratione constitutum est, tamquam corollarium necessario profluens ex

(23) Apud Bellarm. loc. cit.

(24) Sane Rosenmueller in schol. in Matth. V. 31. 32. animadvertit Christum solum prohibuisse divortia *privato ausu*, re non denuntiata magistratibus, subditque: «Quod bene notandum, ne iudaeorum mores *ex legibus civilibus nostrae aetatis metiamur;*» Quod alias repetit. Eadem ferme scribit Kuinoelius in eumdem loc. Item Reinhard, *System. de christol. moral.* l. 3. p. 434. Doerdelinius *De Christo a legibus civilibus ferendis alieno;* in *Opuscul. Theolog.* pag. 73 seqq. et ita porro.

His adiiciendus incredulus Salvador, qui suas inspirationes a rationalistis interpretibus mutuatus est. Hic igitur in op. cit. *Hist. des instit. de Moïse* tom. II. ch. 2. *Polygamie et divorce* pag. 384. concludit: « Je me garderais de présenter le divorce comme une *simple concession de Moise* aux hébreux, et aux circonstances. Puisque, en principe l'adultère était ménacé de mort; voilà un cas irrécusable, qui l'entrainait d'une manière absolue. On a dit, qu'il ne fallait pas séparer ce que Dieu a uni: rien de plus iuste. Mais on l'a appliqué au divorce, et la consequence n'est pas exacte. Ce que Dieu a uni se distingue par la paix, l'ordre, le bonheur commun, et ce n'est point à ces mariages-là, que le divorce s'adresse, mais bien à ceux dont Dieu ne s'est pas mêlé, et par les quels un malin esprit a exercé son influence. Ce législateur ne l'ecrivit dans son code, qu'après l'*avoir lu dans la nature* des choses etc.»

protestantismi doctrina. Dixi *simpliciter civile*, quia etiamsi passim protestantes coniugium suum celebrent, ut innuimus, coram suis ministris ritu religioso cum consuetis precibus et ominationibus, hic tamen religiosus ritus haud immutat naturam ipsius matrimonii, prout apud protestantes receptum est. Si enim ex eorum doctrina nuptiae non sunt nisi contractus naturalis, aut civilis nativa essentia sua, ritus ille sacer, quo celebrationem coniugii ipsi circumdant, mere externa ceremonia est, quae nihil mutat in eius natura, novi quidquam nec addit, sed in sua conditione relinquit. Nimirum ad eum modum usurpantur a protestantibus istae ceremoniae nuptiales sacrae, quo usurpabantur, ut vidimus, ab ipsis ethnicis, sive ex quodam interiori naturae sensu, sive etiam ex antiqua traditione de divina originali matrimonii institutione. Isti autem sacri paganici ritus non impediebant quominus ab ethnicis haberentur nuptiae, prout reipsa erant, contractus naturalis ac civilis, etsi sine formulis ullis legalibus nec coram magistratibus inirentur.

Quemadmodum vero harum ceremoniarum defectus nullum intrinsecum, aut etiam extrinsecum nocumentum afferebat coniugali foederi apud paganos, penes quos haud raro clandestina matrimonia contrahebantur (25), sic pariter defectus exterioris sacri apparatus in coniugiis protestantium nihil officit eorumdem valori coniugiorum. Quod si illis obstare contingat, non id repetendum est ex illorum rituum defectu, sed ex legis civilis dispositione, quae inter ceteras conditiones requisitas ad admissionem legalem ac politicam nuptiarum et hanc exigit, ut coram ministro, aut magistratu, aut coram utroque celebrentur (26).

(25) Cf. Cuiaccium *Observation. et emendation.* lib. VI. c. XX. *Clandestinae nuptiae.* edit. cit. tom. II. pag. 155.

(26) Ad an. usque 1837. in Anglia viguit lex, qua omnes obligabantur vel coram ministro anglicano, seu *ecclesiae status*, vel coram sacerdote catholico coniugia celebrare. Cum vero *dissidentes*, quos vocant, id est protestantes cu-

Contra vero in ecclesia catholica ex fidei principio, quod matrimonium christianorum sit vere et proprie sacramentum a legitimo contractu inseparabile, fit ut sacri apparatus religiosi defectus nihil officiat sacramenti veritati, ubi celebretur iis in locis, in quibus tridentinum decretum de coniugiis clandestinis publicatum non est; ubi vero promulgatum fuerit, praesentia parochi requiritur ut conditio sine qua invalidum fit tum sub ratione contractus tum sub ratione sacramenti, prout in prima huius tractationis sectione exposuimus, ac *numquam* locum habet contractus seu matrimonium mere civile.

Interim ex dictis colligimus, in coniugiis protestantium nil aliud reperiri, nisi solum contractum naturalem et civilem iuxta doctrinam, quam ipsi de matrimonio profitentur. Colligimus insuper primam coniugiorum civilium originem ex hac doctrina unice esse repetendam, cum prius apud christianos essent penitus ignota. Ex hoc fonte pseudopolitici suam derivarunt theoriam de matrimonio civili, quum tamen matrimonium sacramentum esse non negent, in subsidium adsciverunt distinctionem inter sacramentum et contractum pure civilem, atque ita protestanticam doctri-

iusvis sectae ab anglicana separati communione, praesertim vero Quacqueri nonnisi aegre, ac *repugnante ipsorum conscientia* se sisterent ad connubium celebrandum coram ministro anglicano, adeoque reclamarent contra hunc legis articulum, Robertus Peel proposuit emendationem eiusdem legis, ita ut tenerentur tantum quicumque sectarii coram magistratu civili ad hoc constituto consensum suum praebere, et sic matrimonio coniungi, possentque praeterea coram quocumque ministro praesente una cum magistratu id ipsum efficere. Catholici vero coram sacerdote et magistratu. Post trium annorum discussionem, tandem an. 1837. eiusmodi legis emendatio admissa est ac probata. Progressu temporis declaratum praeterea est, ut possent contrahentes prius nomen dare magistratui, ut inscriberetur publicis tabulis, postea vero celebrare coniugium sive coram uniuscuiusque sectae ministro, sive coram sacerdote catholico, si id ipsis arriserit. Auctor opusculi *Sulle leggi civili che riguardano il matrimonio de' cristiani.* Torino 1851. pag. 86 seqq. formam coniugii civilis anglici diligentissime exponit, quae revocantur ad meram inscriptionem proprii nominis in tabulis publicis. Atque haec est praeclara forma, quam quidam Anglophilus ad sidera effert in comitiis subalpinis, eamque praefert legislationi gallicae. Cf. *Camera de' deputati.* Tornata del 1. Luglio 1852. pag. 641. col. 3.

nam de coniugio civili, catholicorum etiam coniugiis accommodare se posse autumarunt. Verum in eo maxime errarunt, quod in eadem categoria et ordine posuerint matrimonia protestantium et catholicorum, quae tamen inter se longo spatio distant. Etenim coniugia protestantium ex eorum doctrina, non sunt nisi meri contractus civiles, ut diximus, adeoque in ipsis non est quaerenda distinctio inter contractum et sacramentum, quod foret absurdum, cum sacramentum in suis nuptiis nullum agnoscant. Sed unice inquiri potest in legitimitatem seu valorem contractus, aut eiusdem illegitimitatem seu invaliditatem, et quidem ad normam solius legis sive naturalis sive civilis. Contra vero cum ex doctrina catholica debeat admitti matrimonii sacramentum a contractu inseparabile, protestantica pseudopoliticorum doctrina catholicorum coniugiis accommodari nequit.

Decepti praeterea pseudopolitici in eo sunt, quod non animadverterint, in locis, in quibus publicatum est decretum concilii tridentini sess. XXIV. *De ref.* matrimonia omnia irrita esse, quae iuxta formam ab eodem concilio praescriptam, nempe coram parocho, et duobus aut tribus testibus non fuerint celebrata. Ita vero irrita facta sunt a concilio eiusmodi matrimonia, ut prius ac directe nulla haec validitas attingeret contractum, inhabiles ad contrahendum personas reddendo. Quo fit ut neque tamquam civiles contractus haberi possint catholicorum coniugia, quae coram solis magistratibus celebrentur. Contagiosus porro protestantium morbus ille est, qui in errorem et deceptionem pseudopoliticos induxit, dum eos imitari ac sequi sibi proposuerunt; ideoque civilis matrimonii origo repetenda est tandem ex protestantium doctrina, quam pseudopolitici, nomine tenus catholici, in rem suam male pertraxerunt.

Nec minus perspicue matrimonii civilis ex protestantismo derivatio evincitur, spectata agendi ratione, quam

ipsi sectati sunt circa coniugia. Etenim ipsi ex praestituta doctrina de matrimonio christiano, quod spectandum sit ut civilis contractus a lege principis dependens, corollaria practica deduxerunt, quae in ea includuntur. Et sane auctores fuerunt principibus:

Primo ut tolleretur a matrimonio omnimoda illa firmitas, quae hactenus viguerat in ecclesia catholica. Plures illico assignarunt divortii perfecti causas, cuiusmodi sunt adulterium, affectata coniugis absentia, crimen haeresis (suo modo, ut patet, intellectae ac iudicatae), molesta cohabitatio, aliaeque eiusmodi (27).

Harum porro causarum discussionem et iudicium magna saltem ex parte dimiserunt magistratibus seu tribunalibus civilibus: quae quidem causae iuxta doctorum protestantium varias sententias coarctari, aut indefinite extendi possunt. Exinde fit, ut cum eiusmodi causae sint adeo expansivae pro qualitate seu conditione contendentium, pro iudicum severitate aut benignitate, ut passim dissolutiones, seu perfecta divortia decernantur, quod ex iam allatis documentis ostendimus, et latius adhuc ostendemus, cum sermo erit in tertio libro de indissolubilitate matrimonii (28). Hic contenti erimus animadvertere, quod in Britannia, ubi severior lex hactenus viguit circa divortium,

(27) Ex antiquioribus, qui licitum extra adulterii causam divortium adstruxerunt, eminent inter protestantes Leo Iudae in epistolis, quae ad calcem tomi III. *Rerum alemannicarum* Goldasti habentur; Bucerus de quo alias diximus; Io. Miltonus et Marcus Ant. De Dominis in scripto de matrimonio, de quo Bzovius in *Annalib. ecclesiastic.* ad an. 1479. n. 20. Salmasius *De Foenore trapezitico* p. 310-316. et Scriptum Londini 1715. editum cui tit. *On essay upon divorcement written for the good of both sexes.* Cf. etiam Iahn *Archaeologia Biblica.* Viennae 1814.

(28) Interim notatu dignum est, adeo invaluisse ac invalescere in Germania facilitas divortiorum, ut in synodo protestante francofordiensi serio actum fuerit de revocanda in statum pristinum indissolubilitate coniugii. Ast hi conatus, quoad protestantes sine auctoritate, inutiles prorsus sunt. Cf. *Univers* 13. Octobre 1854. cumque an. 1857. iterum in comitiis actum fuerit de coercendis causis divortii, res iterum infecta est.

cum unica adulterii causa ad illud faciendum assignetur, quidam matrimonii peracti pertaesi sibi invicem adulterium permittunt, iisque in adiunctis, ut possit legali ratione probari, atque ita coniugium dissolvi (29). Atque idcirco lex illa, quae lata est ad compescendum adulterium, ex hominum malitia ad illud augendum inservit (30).

Secundo, prout contingere debet, pro numero divortiorum crescit polygamia, dum, adhuc priori coniuge vivente, alia et alia superinducitur. Id enim profluit ex declaratione perfecti divortii, qua unusquisque iuxta civilem legem liber fit ad novam ducendam uxorem, aut ad alteri nubendum marito. Siquidem hic est finis, ob quem eiusmodi divortia decernuntur, ut qui divortium fecerit in facie legis, novum possit contrahere matrimonium.

Tertio. Verum non sola polygamia aliquo sensu successiva, seu post legale divortium penes protestantes obtinet, sed ipsa polygamia simultanea non est inaudita. vi cuius unus idemque eodem tempore duas, aut tres etiam habeat uxores. Ex quo enim facultas data est Philippo duas retinendi uxores, hoc exemplum in alios perniciosam pravae imitationis virtutem habuit, adeo ut plura occurrant facta in protestantica historia (31). Haec quidem inaudita

(29) Cf. Avogadro op. cit. *Teoria del matrimonio* tom. I. cap. XVI.

(30) Diximus: *Lex hactenus viguit;* nam mense Iunii an. 1857 post longam discussionem variasque propositas emendationes propositae legis de divortio propter adulterium, demum clausula in comitiis superioribus (seu quae dicunt *Lords*) probata fuit, qua statuitur divortium propter adulterium ita fieri posse, ut, soluto coniugio, uterque coniux possit alias nuptias celebrare, et quidem inter adulterum et adulteram. Cf. *Univers* 12. Juin 1857. Nondum tamen lex est sancita. Animadversione autem dignum est, eodem tempore, quo in comitiis berolinensibus agebatur de coarctandis causis divortii, in comitiis britannicis actum fuerit de via faciliori sternenda divortiis.

(31) Satis heic sit referre exemplum polygamiae, quod rex, *evangelicus* κατ' ἐξοχήν, paucis ab hinc annis mundo praebuit. Itaque Frider. Guilielmus II. Borussiae rex prius repudiavit uxorem suam Elisabetham Brunswiciensem, suffecitque eius loco aliam, scilicet filiam principis Hassiae. Deinde quin hanc secundam repudiaret uxorem, superinduxit comitissimam Woss. Neque his contentus, vivente adhuc priore repudiata aliisque duabus, voluisset aliam ducere, sed scru-

usque ad postrema haec tempora turpitudo a lege sancita nondum est, attamen, ut superius vidimus, a non paucis doctoribus protestantibus adstruitur tamquam licita, nec desunt qui revera in praxim deducant. Quod si alicubi mormonismus invalesceret, procul dubio vel ab ipsa civili lege sanciri deberet (32).

Practicam porro hanc protestantium agendi rationem tamquam a radice sua prodire ex eo quod matrimonium unice spectetur uti contractus civilis, ambigi nequit. Haec autem sectariorum agendi ratio ex nova doctrina profecta pedetentim se se insinuavit in pseudopoliticorum animos. Hi coeperunt commoda admirari, quae in societatem sibi videbantur derivari posse ex blanda et facili horum coniugiorum dissolutione, quae adeo favet cupiditatibus, ac demum illam etiam inter catholicos propagare omni studio curarunt. Itaque constat non aliunde, quam a protestantismo originem nuptiarum civilium esse agnoscendam.

Remanet ut hoc ipsum nunc denique confirmemus ex indole seu charactere eorum, qui maxime horum coniugiorum civilium in catholicorum regionibus fautores et auctores sunt, aut fuerunt. Ne tamen in omnes indiscriminatim accusationem provehamus, atque calumniam importare omnibus inconsulto videamur, praemittimus nos

pulis agitatus suos consuluit pastores evangelicos, qui id ei concedere non abnuerunt. Cf. Avogadro op. cit. p. 37. in nota. Ex his patet quid a ceteris expectandum sit. Certe in anglica ephemeride *Weekly register* 29. Mart. 1856. legitur iuxta versionem gallicam: « Le mois de Mars derniers aux assises de Liverpool, le juge a constaté, que les cas de bigamie devenaient *excessivement nombreux;* les cas de *trigamie même*, ajoutait-il, se présentent fréquemment.»

(32) In *Univers* 31. Juillet 1856 legitur ex relatione ephemeridis taurinensis *Armonia*, Mormones ac protestantes Augustae Taurinorum commorantes inter se convenisse ad obtinendum a regimine politico novum articulum in legibus, polygamiae introducendae causa, aut ad conciliandam polygamiam cum legibus subalpinis. Omnia ad credendum inducunt, quod velint offerre ministro De la Foresta paradigma tituli specialis introducendi in novam legem matrimonii civilis, qui contineret dispositiones, quibus Mormonibus etiam concederetur plena facultas contrahendi matrimonia iuxta principia libertatis conscientiae. Fama est, ministrum comparatum ita animo esse, ut faveat maximae cultuum libertati.

*

de individuis singillatim sumptis minime disserere, cum neminem laedere velimus; siquidem de re nobis sermo est, non de personis. Imo etiam ultro fatemur non omnes fautores eiusmodi nuptiarum pravo consilio, aut proposita malitia conspirasse ad eas promovendas. Nam non semel contingit, ut unus aut alter, ac si lubet, non pauci etiam ita se gerant ex animi levitate, atque ex apparentibus praetextibus, qui favere videntur causae, qua de agitur, quin intime perpendant rem in seipsa sub omni respectu, praecipue vero relate ad religionem catholicam, aut saltem ad haec non advertant. Plures pariter a multitudine se trahi ac abripi patiuntur, nec proinde de his sermonem hic instituimus.

Ceterum hac animadversione praemissa, fatendum est, harum nuptiarum fautores ac promotores ad virorum illorum classem spectare, qui in negotio religionis *indifferentismum* profitentur, quique unice mundanam prosequuntur politicam, qui denique atheismum practicum sectantur. Hi sunt qui animo pronos se exhibent in protestantismum, quem ob sapientiam prudentiamque carnalem maximi faciunt, imo et suspiciunt quidquid ab ipso prodit. Cum vero iuxta ipsos inter catholicismum ac protestantismum non intercedat nisi *opinionum* discrepantia, et unusquisque tuto possit suam *convictionem* sibi efformare, quid mirum, si ita de negotiorum omnium maximo, cuiusmodi est vera religio, sentientes, protestantismum aequiparent, aut etiam praeferant catholicae ecclesiae?

Ad haec accedit, quod isti, quos vere *statolatras* vocaveris, qui coram hoc status idolo se unice prosternunt atque procumbunt, hostilia contra ecclesiam catholicam sensa nutriant. Eiusmodi homines, quos pseudo-politicorum nomine constanter in huius lucubrationis decursu designavi, emancipationem, ut vocant, status ab ecclesia demirantur, ac nihil intentatum relinquunt, ut eam et qui-

dem plenam perfectamque assequantur et ad optatissimam aliquando metam perveniant. Cum autem pro certo assumant matrimonium rem pure civilem esse, et ad solius societatis civilis praerogativam spectare, ex altera vero parte videant, ab ecclesia inter sacramenta connumerari, ideo ut illud ab eiusdem ecclesiae dominatione, ut ipsi loquuntur, subtrahant, aliam neque breviorem neque aptiorem ad id efficiendum viam invenerunt, quam theoriam protestantismi, iuxta quam matrimonium non est nisi contractus mere civilis. Hanc ideam ipsi arripuerunt, et ad eius normam deinde omnes legis articulos disposuerunt et harmonice ordinarunt. Ne tamen doctrinam catholicam de matrimonio omnino ac aperta fronte pessumdare viderentur, subditis catholicis indulgent, ut si velint, possint ritum religiosum adiungere nuptiis suis, etsi valide ac legitime coram solo magistratu civili initae censeri debeant.

Facile etiam eiusmodi promotores in hanc determinationem venerunt ex instituta comparatione inter rigidam inflexibilemque ecclesiae catholicae doctrinam circa coniugia, ac planam et accommodam doctrinam protestantismi. Cumque haec numquam fixa sit ac immutabilis, fit ut facile flectatur ad exigentias, ut loquuntur, actuales non solum societatis, sed et civium singulorum; contra vero quum videant doctrinam catholicam conflectere se ad eiusmodi fictitias exigentias non posse, immo et desperent ecclesiam ad concessiones faciendas permovere, hinc huic bellum atrox indicunt, atque ab ea matrimoniales causas subtrahunt. Cumque aliter se proficere posse non videant, quam attingendo matrimonium sub unica ratione contractus civilis, hanc viam calcare decreverunt.

Quod si universim ad istorum pseudo-politicorum actus oculos convertamus, videbimus huc omnes dirigi, ut summopere faveant protestantismo, et catholicismum depri-

mant; dumque protestantibus favores profuse impendunt, iisque tum directe tum indirecte sub emendicatis fucatisque praetextibus gratias largiuntur, templa erigunt, eos in tutelam suscipiunt, eorum proselytismum aperte, aut secreto pro rerum temporumque adiunctis adiuvant promoventque; contra se infensos catholicae ecclesiae ministris sive secularibus sive regularibus constanter praebent, eos torquent vexantque sub levi quoque colore. Ut autem in argumento, de quo agimus, insistamus, dum in publicis comitiis non ita pridem alicubi ageretur de lege proponenda ad compescendam virorum ecclesiasticorum *licentiam*, id est libertatem in proprio munere fungendo, interpellatus fuit praeses de sensu propositae legis, eo quod nimis vagus videretur: respondit autem ex officio regius minister, sensum esse, compescendos esse ecclesiasticos viros, si aliquis deprehenderetur in legem aliquam peccasse a politica potestate sancitam; neque his contentus, exemplum attulit singulare; si quis nimirum de coniugiis civilibus, postquam lege sancita essent, obloqueretur. Quibus manifestum fit, qua animi dispositione erga ecclesiam catholicam eiusmodi homines affecti sint et comparati, quin plura adiiciamus, ut confirmemus ea omnia, quae hactenus prosecuti sumus.

Itaque etiam ex hoc tertio capite, ex indole scilicet et agendi ratione eorum, qui coniugia civilia fovent ac promovent, constat non aliunde, quam e protestantismo eorum originem arcessendam esse. Hinc concludere tuto possumus ac debemus pessimum hunc fructum ex arbore pessima esse natum.

ARTICULUS III.

Matrimonii civilis dilatatio et progressus magna ex parte incredulismo, communismo et socialismo debetur eisque favet.

Licet a protestantismo, ut in articulo superiori ostendimus, nuptiarum civilium origo sit agnoscenda, nihilominus inter catholicos morbus hic epidemicus nullos aut fere nullos infecisset, nisi ita nuncupatae reformationi tamquam auxiliares copias se se adiecissent increduli, deinde vero communistae ac socialistae. Siquidem ex historia compertum est, catholicos ab initio a communicatione cum haereticis protestantibus abhorruisse, et quin illorum erroribus, conversationi ac moribus sese accommodarent, ab iis potius maxime cavisse, si depravatos nonnullos homines, qui numquam desunt, excipias. Hinc nullum, aut fere nullum influxum in catholicos habuerunt protestantes, hac saltem ex parte. Et sane per tria ferme saecula in regionibus catholicis pene ignorabantur vel ipsa coniugiorum mere civilium existentia, et nomen. Huius rei testes saltem indirecte appellamus tot illos catholicos scriptores, qui locupletissimos de matrimonio tractatus ediderunt, quin umquam de eiusmodi coniugiis disseruerint, quod certe facere non omisissent, si ea apud catholicos alicubi nota fuissent.

Distinxerunt illi quidem communi calculo cum s. Thoma in matrimonio *officium naturae*, *officium communitatis et sacramentum* (33), de qua distinctione et nos ipsi suo loco disseremus; attamen de coniugio mere civili inter christianos, eo sensu quo nunc sumitur, numquam sermonem instituerunt. Sic etiam passim egerunt de effectibus civilibus, prout nuptiae initae fuerint nec ne ad normam civilium legum; minime vero locuti de coniugali contractu

(33) *Cont. Gent.* lib. IV. cap. 78. et *Suppl.* qu. 50. art. unic. ad 4.

coram solo magistratu politico inito ad exclusionem sacramenti. Ratio porro istius silentii non alia assignari potest praeter illam, quam assignavimus, scilicet quod nondum superiori aetate inter catholicos eiusmodi civiles nuptiae invaluissent.

Postquam vero primaevus ille a protestantismo horror deferbuit; postquam increduli seculi anteacti indifferentismum in religionis negotio longe lateque disseminarunt, rerum facies immutata est. Etenim post rebelles motus in Gallia, cum atheismus religioni fuerit suffectus, matrimonium tamquam merus civilis contractus lata lege declaratum est una cum consequentiis, quae ipsum comitantur et cum eo connectuntur. Lex de connubio civili an. 1789. ac 1793. fuit tunc primum promulgata ab incredulis. Aetate illa passim coniugia circa illam quam vocant *arborem libertatis* seu reipublicae symbolum ac stemma celebrabantur. Quamvis vero temporis decursu febris illa, quae tot invaserat, per gradus veluti quosdam cessaverit, et codex gallicus in meliorem formam redactus fuerit, articulus tamen de matrimonio civili perseveravit et adhuc perseverat. Verum de hac lege postea.

Non multo post sansimonianismus, communismus et socialismus e latebris undique eruperunt, ac inter varias societatis classes penetrarunt, ac ita factum est, ut catholicos ipsos incesserit coniugium civile, cui legulei potissimum ac pseudo-politici mirifice favent.

Horret animus meminisse quo incredulorum sectae devenerint circa illam quam vocant emancipationem carnis, neque huius loci est sansimonianorum, fourieristarum, icarianorum, caeterorumque communistarum theorias persequi, de quibus opportunior se se occasio offeret disserendi. Licet vero isti adhuc pervenire minime valuerint ad suas impietates, seu potius foeditates persuadendas, cum nimis pudorem ac rectum hominum sensum per-

cellant, attamen perniciosum influxum non modicum exercuerunt, sanctitatemque matrimonii profanarunt. Quemadmodum enim circa rem politicam, circaque proprietatem, ita etiam circa coniugium non parum illorum sophismata ad ideas evertendas contulerunt, exitialibusque innovationibus aditum amplissimum vel inter ipsos catholicos aperuerunt. In politica re quidem; nam in populorum animos diffundere curarunt funestam quamdam dispositionem ad concutienda ordinis socialis fundamenta, ad excitanda dubia circa eius legitimitatem, et ad eiusdem destructionem provocandam. Item concusserunt germanae ethices principia, notionem corruperunt obligationis, sensum extinxerunt obsequii, quod debetur auctoritati, dependentiae, subiectionis et obedientiae. Arma suppeditarunt, speciososque praetextus cohonestandis omnibus infirmitatis, seu potius corruptionis humanae propensionibus, vitiisque omnibus atque delictis. Illorum doctrinae fuerunt in societate ad instar morbi cuiusdam dissolventis, ut vocant, eo perniciosioris, quo eius actio lenta erat, nec satis sensibus obvia. Populi eo spiritu infecti ita sunt comparati, ut commoda atque opportuna sibi oblata occasione ad primum adspirantem halitum erumpant in perduellionis motus, ac vastitatem supremamque perniciem afferant societati. Actualis experientia, seu praesentis societatis conditio, perpetua fluctuatio, in qua versamur, argumento sunt certissimo quos quantosque effectus communistarum ac socialistarum theoriae in re politica producant.

Quod ad proprietatem vero attinet idem cernimus. Ex quo enim proprietas *furtum* nebulones proclamarunt et declararunt (34), coepit hoc mortiferum principium quasi tinea

(34) Notum est Proudhon an. 1840. in quodam scripto, quod vulgavit sub titulo: *Qu'est-ce que la propriété?* resolvit quaestionem his verbis: *La propriété, c'est le vol.* Quumque post sexennium revocasset in memoriam eiusmodi proprietatis definitionem, quae iam celebris effecta erat, sibi complacens exclamavit. «La

invadere et corrodere infimae plebis viscera, eumque sensum soffocare, quo prius cohibebatur a re aliena sibi usurpanda; imo plebem excitavit, quoties impune id possit, ad usurpanda divitum bona, quin conscientiae stimulis angatur. Pessima vero haec animi dispositio in dies crescit, quo nempe magis serpit ac dilatatur inter popellum hoc communistarum principium. Per has siquidem theorias communistae exacuerunt desideria, quae plebs olim ignorabat; non amplius sua sorte contenta novitates molitur, ac semper praesto est ad sese coniungendam cum facinorosis freta spe sibi aliena bona acquirendi. Pseudopolitici sua agendi ratione ansam facilem praebent huic principio, seu hisce theoriis propagandis atque amplificandis. Nam licet ipsi nondum eo pervenerint, ut di-

définition de la propriété est mienne, et toute mon ambition est de prouver que j'en ai compris le sens et l'étendue. *La propriété, c'est le vol!* Il ne se dit pas en mille ans deux mots comme celui-là. Je n'ai d'autre bien sur la terre que cette définition de la propriété; mais je la tiens plus précieuse que les millions des Rotschild, et j'ose dire qu'elle sera l'evénement le plus considérable du règne de Louis-Philippe.» Ast Proudhon perperam sibi gloriatur de hoc invento, siquidem ante ipsum eamdem proprietatis definitionem dederat an. 1780. quidem Brissot, qui in suis *Recherches philosophiques sur le droit de propriété et le vol*, iam dixerat: « *La propriété est un vol dans la nature, le proprietaire est un voleur*. Sed neque Brissot sibi adscribere potuit eiusmodi inventum; nam quatuor seculis ante christianam aeram, idem principium proclamatum fuerat in theatro atheniensi, postea vero adoptatum a nonnullis haeresiarchis christianis. Cf. Thonissen *Le socialisme* tom. II. pag. 155.

Quisquis vero fuerit huius doctrinae adinventor, facilis fuit eius applicatio. Hinc Weitling Magdeburgensis in op. *Garanties d'armonie et de liberté*, iam excitabat cupiditates infimae plebis in Germania, in Helvetia et alibi, ubi inter cetera scribebat: «On prêchera une morale, qui nous amenera des legions de combattants, dont nous détesterions maintenant la coopération; une morale qui ne laisse à nos adversaires d'autre planche de salut, que celle de notre principe, et qui entrainera après elle la dissolution du règne des intérêts personnels. Cette morale ne peut être préchée avec effet *que à ces grandes masses, qui fourmillent dans les villes excédées de misère et de désespoir*. Une foi qu'on aura prononcé le mot, il sera le signal d'une tactique nouvelle contre laquelle nos ennemis ne seront jamais aussi forts. Lorsqu'on tend le ressort à l'extrême, il est de notre devoir de le faire sauter, quand même il devrait en résulter un désordre de vingt ans» pag. 240. Trad. de M. Hennequin. Apud Thonissen op. cit. pag. 263 seq. Quid foret de societate si haec principia invalescerent?

vites suis facultatibus expolient, tamen coeperunt invadere impune ecclesiasticas proprietates. Quo quidem proprietatis cuiuscumque fundamenta quatiunt labefectanque. Etenim non minus leges tutantur et sacras habent proprietates virorum ecclesiasticorum, ac proprietates reliquorum civium. Pari iure sua possident bona viri ecclesiastici, ac cives alii quicumque: quandoque etiam illorum tituli possessionis iustiores sunt ac magis firmi (35). Nihilominus pseudopolitici ad normam subversivae cummunistarum theoriae sub ficto aliquo colore, ex. gr. oeconomiae publicae, ac deterioris publici aerarii conditionis, quod ipsimet interdum imprudentia sua perdiderunt, aut etiam sine ullo emendicato titulo, bona ecclesiastica subito adoriuntur, legitimosque dominos a possessione deiiciunt. Id agere praesertim consueverunt cum religiosis familiis ac sanctimonialium coetibus, quorum bona passim invadunt, incolasque e propriis domiciliis turpiter et crudeliter expellunt: neque vero ulla ratione utuntur, quod plurium huiusmodi bonorum origo non e legati, aut haereditatis titulo repetenda sit, sed ex titulo emptionis aere proprio, aut ex titulo donationis alicuius, qui religioni nomen dedit, antequam vota sua nuncuparet, ac omni proprietate sese abdicaret. Ergo eiusmodi expoliationes iniustae sunt, iniquae, ac vera latrocinia publica ac legalia; sunt nempe communismus in praxim deductus. Porro cives ac infima plebs, quibus haec comperta sunt, nec logica destituti, ea opportuno tempore in ipsos pseudopoliticos vertent, atque cum ipsis physica vis suppetat, agi-

(35) Reipsa auctor certe non suspectus D. Tiers in op. *De la propriété* liv. I. ch. V. VII. VIII. agnoscit laborem, donationes et testamenta tamquam titulos magis naturales ac indubios proprietatis. Cl. vero Hurter cum adhuc esset protestans in suo *Tableau des institutions du moyen âge* tom. II. ch. VII. quod inscribitur *Les couvents* fuse ostendit innumeris prope documentis iustitiam eiusmodi diversorum titulorum proprietatis familiarum religiosarum, nec non officia praestita per has institutiones agriculturae, industriae, educationi, litteris, bonis artibus, ac solamini miseriarum quibus affligitur humanitas socialis

tatique ac inflammati a communismi ducibus fuerint, vicem eis reddent, et in ipsorum capita professionemque relabi facient, quae iidem in Dei servos moliti sunt (36).

Sed ut in viam regrediamur: quemadmodum politices proprietatisque principia, ita etiam sanctae matrimonii leges a communismo concussae sunt. Nam quamvis communistae ac socialistae nondum potuerint impura sua dogmata populis propinare, ita ut aboleretur coniugium ipsum, eique sufficeretur libera ac temporanea coniunctio, seu vaga venus: neque eo pervenerint, ut effraenem polygamiam ac polyandriam introduxerint; grave tamen vulnus nuptiis christianis inflixerunt. Etenim illorum ideae irrepserunt in mentes pseudo-politicorum, effeceruntque, ut saltem protestantium doctrina de matrimonio ceu mere civili contractu neque absurda neque irreligiosa etiam inter catholicos videretur. Obtinuerunt praeterea, ut excogitare-

(36) Sane postquam Thiers in op. cui tit. *Hist. de la révol.* tom. I. pag. 187. 11. edit. et alibi passim in eadem historia apologiam texuit spoliationis ac depraedationis bonorum ecclesiasticorum quae facta est an. 1789 et seqq. ac ipsemet laetitia gestiens an. 1830. interfuerit episcopii, ut vocant, seu palatii archiepiscopi parisiensis vastationi, ut testatur Aloysius Blanc in sua *Histoire de dix ans* tom. II. pag. 290 et 292. scribens de D. Arago, qui eiusmodi demolitioni obsistere volebat: « On lui cite particulièrement M. Thiers, sous-sécrétaire d'état au ministère des finances. Il l'aperçut en effet, se promenant dans les ruines, *avec un visage satisfait et le sourire sur les lévres;*» postea hic ipsemet Thiers cernens doctrinam *communismi ac socialismi* longe lateque diffundi ac propagari, scripsit opus suum *De la propriété*, ut se illi opponeret doctrinae. Ast sic eum eiusque symmistas merito compellat Proudhon « Jaloux défenseurs de la propriété, pourquoi donc trouvez-vous bon que vos pères l'aient violée, il y a cinquante ans? N'étaient-ils pas propriétaires, au titre le plus légitime, ces nobles, qu'ils ont dépouillés, ces prêtres dont ils ont acquis les biens à vil prix? N'équivoquez pas; répondez: Ces propriétés, dites-vous, étaient le fruit de la conquête et de la captation. Mais les heritiers des premiers conquérants, n'étaient-ils pas couverts par la bonne foi d'une longue possession, par la prescription et toutes les lois? Mais ces moines, n'étaient-ils pas censés, conformément à leur institution, user de leurs revenus pour le soulagement ou l'entretien des pauvres? - Ils s'acquittaient mal de ce devoir: d'accord (qui haec scribit est atheus); mais si *ce fut un motif pour les déposseder*, convenez qu'invoquer une pareille raison, pourrait nous mener loin aujourd'hui.» Apud auctorem op. *Le communisme et ses causes*. Seconde partie. Avignon 1849. pag. 255.

tur, passimque reciperetur fatalis distinctio in ipsis catholicorum nuptiis inter contractum civilem et sacramentum, ut sub huius distinctionis, immo vero separationis larva, posset politica potestas matrimoniis christianis dominari.

Hoc enim semel ac obtinuerint, reliqua iam sponte sequuntur. Si enim ita divelli ab invicem ac dissociari possunt contractus civilis et sacramentum in catholicorum coniugio, ut vi illius contractus legitime coram lege contrahentes tuta conscientia conversari queant; si in humani legislatoris arbitrio ac potestate est, ut decernere de eo valeat quae ipsi libuerint, ecquis non videat plane actum esse de iis omnibus, quae maxime eiusdem connubii honestatem sanctitatemque afficiunt?

Cum in lubrico pedem quis semel posuerit, vix illi possibile est eum aut continere, aut retrahere ne in praeceps ruat. Aliquanto praeterito temporis intervallo post primum gradum, ad secundum conscenditur, ad tertium et ita porro, ac eo pervenitur, quo amissa ac perdita fuerit omnis notio coniugii vere christiani. Quod si ad plenam communismi licentiam ac turpitudinem gradus nondum fit, celeriter proxime ad eam acceditur. Extincto enim sublatoque religionis obsequio, ecquid non timendum ab indomitis cupiditatibus? Exemplum, quod ex anabaptismo et mormonismo, licet religiosis sectis, datum est, ut suo loco expendemus, satis aperte patefacit, quo ruat effraenis cupiditas, quae furore quodam abripitur. Matrimonium quavis aetate depravatum, oppugnatumque ab impiis fuit, qui intra aequi et honesti regulam contineri non patiuntur.

Nunc vero communistae ac socialistae societatem penetrant, invadunt permeantque: scriptis, dictis factisque in omnes eiusdem classes sua perversa placita insinuant. Secretae sectae iisdem principiis imbutae rebus politicis sese immittunt, eodemque modo corrumpuntur et urbes et pagi,

ita et pseudopolitici veluti agmine facto contra verae religionis intemeratas leges conspirant. Ex hoc venenato infectoque fonte agnosci debet facilitas illa, quae in publicis comitiis iam ab aliquot annis cernitur probandi adoptandique leges, quae aperta fronte religioni ac iustitiae adversantur, magno cum honestorum civium detrimento ac moerore. Nam haud pauci ex iis ipsis, qui comitia haec publica constituunt, aut clanculum aut aperte protestantibus, communistis ac socialistis favent; immo nec desunt ex iis, qui ad illorum sectam pertineant. Quid proinde mirum, si eiusmodi sectariorum doctrinas approbent, foveantque quacumque ratione possunt? Si qui viri vere fortes in eiusmodi comitiis ac generosi reperiuntur, qui propositae legi obsistant, tueanturque religionis iura, deridentur, exsibilantur, atque a multitudine obruuntur, quae saepe ad hunc finem mercede conducta est, quaeque opportune pede plaudit, cachinnis perturbat, et inconditis vocibus oratores ad silentium redigit; eorumque interdum solidissima rationum momenta tamquam anteacti seculi et retrogada, ut aiunt, hominum deliramenta excipiuntur.

Interea societatis compago laxatur, debilitatur religio, sana ethica maiora in dies detrimenta patitur, corrumpuntur mores, et quod consequens est, matrimonii sanctitas laeditur ac labefactatur. Talis est ratio, ob quam connubiorum mere civilium proposita lex tot adstipulatores ac vindices in nonnullis regionibus sit adepta, et quare tam ardens adhuc in plerisque ferveat erga legem illam studium.

Atque ut vela iam contrahamus, ex dictis evidenter constat, civilia coniugia, quorum prima in protestantismo deprehenditur origo, in regiones catholicorum ex irreligioso communismi ac socialismi spiritu propagari, ac vicissim civilia coniugia propagando fovendoque communismo ac socialismo non parum conferre.

CAPUT III.

DE MATRIMONII CIVILIS LEGE.

ARTICULUS I.

Lex Matrimonii civilis inter catholicos a christianis pseudo-politicis proposita antiphilosophica est et iniqua.

Hactenus matrimonium civile in eius origine et progressu, in pravis effectibus, atque in intima eius natura spectavimus sub multiplici aspectu, philosophico nimirum, theologico, canonico, historico, sociali etiam atque politico: nunc propius agendum est de ipsa *lege*, quae matrimonium civile sancit in regionibus etiam catholicorum, ubi tridentinum publicatum est.

Optandum sane esset, ut huiusmodi lex nullum catholicorum codicum inficeret ac deturparet, quemadmodum revera aliquot inficit ac deturpat. In Galliis, ut diximus, postquam sanctitas matrimonii sub libertatis arbore foede fuit profanata, matrimonium civile tamquam minus malum, at certe gravissimum invaluit, ac lege lata cautum est, ut quod attinet ad civiles effectus nulla ratio habeatur illarum nuptiarum, quae ad formam tridentini concilii in facie ecclesiae *tantum* initae fuerint, at iniri omnino debeant coram civili magistratu. Quod quidem si fiat, lex minime contrahentes cogit ut matrimonium in facie ecclesiae celebrent; ast civile coniugium necessarium est et sufficiens. Hinc non pauci perditae conscientiae viri ac mulieres contenti consensus sibi invicem praestiti coram civili magistratu, lege suffulti, perinde ac si verum matrimonium contraxissent, simul cohabitant, obliti animae ac salutis. Ex Gallis in Belgium etiam tam perniciosa pestis est propagata.

Alicubi spiritus rebellionis et independentiae ab ecclesia similes leges induxit; novissime in republica Neo-grana-

tensi comitiis probanda eadem lex proposita fuit, ast sive exitum nullum habuit, sive abrogata fuit (1). Iamdiu in regno Bavariae constituta est lex de civili coniugio. Alibi saltem ad tempus vetitum fuit sub gravibus poenis, ne sacerdotes matrimonio iungerent fideles, antequam scripto constaret eos coram civili magistratu contraxisse (2); quae dispositio alicubi adhuc perdurat (3).

De Anglia nil dicam, quae profani matrimonii veluti legislatrix magistra est, quamquam illud per se ratum sit, quum publicatum ibi non fuerit tridentinum concilium.

Hactenus in Italia matrimonium mere civile ignorabatur: at vero nuper in subalpinis de huiusmodi lege ferenda actum est.

Iam vero quid de lege, quae matrimonium mere civile sancit, dicendum sit, post ea, quae de matrimonio ipso civili diximus, satis patet. Nunc tamen legem ipsam directe antiphilosophicam, et antipoliticam, imo etiam tyrannicam esse singillatim demonstrare aggredimur.

Sane ut a primis hoc in articulo exordiamur: Philosopho absurdum videri debet, ac rectae repugnans rationi ordinem idealem seu potius fictitium cum reali permiscere, idque ut concretum spectare, quod in sola eaque fallaci mentis abstractione consistit. Porro hodierni pseudo-politici in promovendis sanciendisque penes christianos nuptiis pure civilibus in uno eodemque subiecto duas qualitates

(1) De qua lege ita ab. Mosquera frater venerandi archiepiscopi bogotensis scripsit in ep. ad Redactores *Univers* die 11. Augusti 1856.» Pour ce qui regarde la monstrueuse loi *du mariage civil*, donnée en 1853. il y a déjà amélioration; elle a été abrogée, et quoique la nouvelle loi laisse encore à désirer, aujourd'hui comme par le passé le mariage des catholiques produit tous les effets de l'habilité civile.» Ibid. 15. Août.

(2) Ita in ducatu mutinensi cautum fuerat; verum mense Novembr. 1855. decretum est, ut deinceps declaratio praecedens matrimonii per actum status civilis non amplius necessaria sit ante matrimonium religiosum. Vid *Il messagero di Modena.*

(3) Ut in regno neapolitano.

distinguunt, *civis* nempe atque *christiani*, perinde ac si altera ab altera seiungi ac divelli posset. Ipsi profitentur se in subditis unicam spectare civis conditionem, ac omnino a religione, quam profitentur, praescindere. At quis non videt eiusmodi mentis abstractionem ad nihil valere, cum in ordine reali seu concreto ambae hae conditiones in uno eodemque subiecto coniunctae permaneant, et quodammodo identificentur? Idem enim est civis, qui christianus, et idem christianus, qui civis. Quapropter dum leges praescribuntur civibus, civibus christianis praescribuntur. Absurdum proinde est unam eamdemque personam in duas veluti scindere, adeo ut liceat uni imperare, quod alteri repugnat.

Porro hoc vere illud est, quod fieret ac reipsa fit per legem coniugiorum mere civilium. Etenim per eam facultas tribueretur civi christiano seu catholico contrahendi legitime coram solo magistratu nuptias, etiamsi ipse recuset se sistere coram parocho, seu coram ecclesia ut suum renovet consensum. Vi istiusmodi legis civilis contractus coniugalis licitus ac ad legis normam validus haberetur Non ignorat tamen legifera potestas id nec licite nec valide a civibus christianis praestari posse, adeoque hac lege sub obtentu distinctionis cuiusdam fictitiae, seu potius vanae mentis abstractionis, ad ponendum actum vere illicitum ac invalidum facultas praeberetur.

Quid si ecclesia eadem distinctione utens, spectando filios suos sub respectu tantum religioso, et abstrahens a conditione civium, aliquid eis lata lege praeciperet, aut saltem indulgeret, quod a politica potestate iure reprobaretur, ac vetaretur tamquam illegitimum, noxium, nulliusque valoris? Procul dubio politica auctoritas protestaretur tum adversus actum illum, tum adversus legem mera fictione innixam, eaque absurda, cum a conditione christiani dispesci nequeat conditio seu qualitas civis.

qui obstringitur iis omnibus officiis, quae ad recte institutam societatem pertinent; quare ergo politicum regimen hac eadem fictione utitur, immo vero et eidem innititur tamquam fundamento ad sancienda foedera nuptialia civilia, quae a cive iniri eo ipso nequeunt, quod simul christianus sit?

Haud tamen inter se permiscere intendimus officia, et obligationes, quibus unum idemque subiectum sub diverso respectu devincitur. Neque enim ignoramus, alia esse officia ac munia, quae idem homo praestare debet prout civis est, et alia officia ac munia, ad quae tenetur ut christianus. Ubi spectetur ut talis, non abnuimus distinctionem inter civem et christianum admittere. Verum aliud est ferendum iudicium, quando agitur de actionibus inter se ac natura sua diversis, quaeque impleri possunt, aut debent diverso tempore, diversoque fine, quaeque a diverso obligationis fonte dimanant, atque a diversa potestate proprium ius habente praecipiuntur, quae in uno eodemque subiecto optime consistunt. Nam diversa obligatio in diversa caderet obiecta. Aliud vero est, cum de eo agitur, quod in una eademque persona consistere nullatenus potest. In prima hypothesi diversas illas leges, diversaque officia componi posse ac harmonice inter se coordinari, atque consistere, saeculorum omnium experientia evidenter demonstrat. Plurimi semper floruerunt ac florent, qui non minus optimi cives, quam optimi christiani merito audiunt; optimi ac strenui duces, integerrimi magistratus fuerunt et sunt, iidemque christiano simul nomine insignes. Immo et illud, si lubet, adiiciam, meliorem neminem civem haberi eo posse, qui religione ac pietate excellit, neminem fideliorem (4). In altera vero hypothesi

(4) Nulla aetate defuerunt viri dignitate principe inter suos, qui rei publicae administrationem ad religionis leges exegerunt, hos inter, quos referre longum foret, unum memorabo, qui civilis simul ac christianae virtutis specimen singulare dedit,

nullo modo distinctio illa, seu mentis abstractio locum habere potest; ita ut uno eodemque tempore valeat quispiam esse civis et non christianus, quum christiana tamen professione censeatur. Fieri omnino nequit, ut quis porro christianus sit simulque ea praestet, aut peragat et quidem *legitime*, quae illi nomini ac professioni adversantur. Christus et Belial se se invicem excludunt hoc in casu in uno eodemque opere ac subiecto.

Atque ut haec obviis illustremus exemplis: Fac imperatorem romanum, cum adhuc dominaretur idololatria, novisse plurimos ex suis subditis christianam religionem profiteri: ac sub obtentu praefatae distinctionis inter civem et christianum praecepisse, ut tamquam cives publicis interessent sacrificiis, deque iis more patrio celebratis participarent, sinens caeteroquin ut tamquam christiani proprium sectarentur religionis christianae institutum. Nonne eiusmodi imperator censendus esset ludicra uti distinctione? Idem dic de Islamitarum principe, qui in ditione sua huic ipsi distinctioni innixus contenderet christianos subditos suos, utpote cives, debere so-

dum cuidam matrimoniali legi se opposuit. Is est vir nobilis Ioannes de Andrea pater V. E. Hieronymi Cardinalis, qui tot antea muneribus publicis optime functus, nunc tanta sedulitate et sapientia sacrae praeest congregationi *ab Indice* nuncupatae. Ioannes itaque non minus scientia quam religione conspicuus magnum iam sibi Neapoli nomen comparaverat; cum in tristissimam temporum conversionem sub saeculi huius exordia incidisset, cumque lata lex esset de nuncio uxoribus remittendo, maluit exui dignitate, senatu carere, privatus vitam exigere, quam religionis iura resolvere, nefarioque se se sacramento devincire. Composita pace, ad amplissimos honorum gradus evectus, summus regni tabellariis praepositus; deinde vero aerario, regni sumptibus, negotiisque ecclesiasticis praefectus, utroque munere ita perfunctus est, ut et regni opes auxerit et de ecclesiasticis optime sit promeritus, episcopis, sacrisque coetibus et familiis nulla re defuerit, eorumque obsequi studiis, dignitatem tueri, libertati consulere muneris sui duxerit, romanosque pontifices singulari pietate coluerit. Ita vir iugiter religiosus extitit, parens optimus, magistratus integerrimus, civis eximius. Cf. huius cl. viri *Elogium* a P. A. Angelini an. 1856. Romae vulgatum; nec non Franc. Guadagni *In obitu Aloysii et Henrici filiorum March. Ioannis de Andrea consolatoriae allocutiones*. Romae 1837.

*

lemnibus gentis islamiticae Machometo prophetae oblatis interesse precibus, simulque posse tamquam christianos Christum colere eiusque legem profiteri. Idem esto iudicium de principe haeretico, qui catholicos quatenus cives sunt ad ea adigeret, quae cum catholica professione componi non possunt.

Eiusdem generis est casus, quem prae manibus habemus. Pseudo-politici lege a se lata, aut ferenda contendunt nuptias coram solo magistratu civili inscia ecclesiae initas, uti licitas, legales ratasque habendas esse a subditis, prout cives sunt, sobolem inde ortam pariter uti legitimam, quae politicis omnibus civium propriis privilegiis seu iuribus potiatur. Ac si praeterea legislatori ulterius progredi lubeat, permittat perfectum ab hisce nuptiis divortium, atque idcirco etiam polygamiam, materialem saltem per transitum ad nova vota: impedimenta matrimonialia immutet, tollat, constituat. Norunt hi pseudo-politici, quibuscum agimus, haec omnia aliena prorsus esse a religione catholica, et cum iis, qui eam profitentur, aperte pugnare, adeoque ab eadem repudiari, damnari atque execrationi haberi. Verumtamen, quin perterrefiant, audacter se sapientiae apicem attigisse arbitrantur per celebrem suam distinctionem, quod nempe in his omnibus ipsi non spectent matrimonium, nisi quatenus contractus civilis est atque a civibus ineundus, quin curae ipsis sit de conscientia, aut de pietatis integritate, a qua omnino praescindunt abstrahuntque.

Quid porro absurdius hac agendi ratione excogitari, aut fingi potest? Nonne in ordine reali, seu, ut aiunt, in concreto iidem simul cives sunt et christiani? Quomodo ut cives id ratum habere possunt, quod a christiano seu catholico nomine abhorret? Quaenam est eiusmodi lex, quae christianorum civium matrimonia sancit, ac si meri essent civium contractus?

Nec est quod regerant, se non praecipere ut talia cives contrahant connubia, sed facultatem tantum praebere, ut si velint civili se solum vinculo iungant; neque propterea ad rem esse exempla, quae in medium allata sunt de imperatore, aut ethnico, aut islamita, aut haeretico, qui *positive* aliquid praecipiant, quod a christiana vel catholica abhorreat religione, cum in casu, in quo versamur, de sola agatur *permissione*, quin renovatio contractus in facie ecclesiae excludatur.

At quae adducta sunt exempla in eum finem fuerunt prolata, ut illustraremus quam futili niteretur distinctioni ea lex, quae dum christianam religionem intactam incolumemque servare profitetur, tamen de christianis civibus, prout *cives* sunt, ea statueret, quae a christiana religione dissentiunt; quocumque tandem modo res statuatur sive praecipiendo sive permittendo. Deinde vero sive agatur de re per legem praecepta, sive de re per legem permissa in idem recidit. Siquidem actus connubii civilis ad ecclesiae exclusionem, de quo est sermo, est actus, qui a christiano viro nulla ratione poni potest, quique per se nullius est roboris nulliusque plane valoris, quidquid demum lex contra ecclesiam constituat; seu est actus, qui cum professione christiana consistere nequit, neque componi, adeoque ubi agnoscitur christiana seu catholica religio, nec praecipi nec permitti potest a lege ideo tantum, quod civis a christiano distinguatur. Denique cum eiusmodi nuptiae coram magistratu civili celebratae semel fuerint, pseudo-politici sua lege illas omnino *positive* tuentur atque defendunt, ita ut ab illis resilire non liceat, ac si alter coniugum ab illis se retrahat, hunc cogunt ut permaneat. Lex idcirco quoad actum futurum *permissiva* quidem est, ac solum facultatem praebet; quoad actum vero consummatum maxime *positiva* est, cogitque sub interminatione poenarum, ut actus integer sartusque habeatur, ac proinde iterum apprime quadrant adducta exempla.

Huiusce legis fautores fatentur, se se omnino esse catholicos, catholicos esse cives, pro quibus lex illa proponitur: religionem se vel minimum laedere negant; et simul profundi philosophi, distinctione civis christianique suffulti ea civibus permittunt et sanciunt matrimonia, quae et contrahentes et legis ipsius latores, utpote catholici, credere debent nulla omnino ac irrita esse. At vero huiusmodi pseudo-politici si nolint simul sese pseudo-philosophos ostendere, logice sibi cohaereant necesse est; adeoque si christianam seu catholicam religionem profitentur, hanc desinant legem proponere, vel si eam proponunt, fateantur se non solum civem a christiano seu catholico philosophice distinguere, sed impie antichristianam legem catholicis imponere. Princeps aut desinit esse christianus, suumque populum totum ut christianum considerare, aut irrationabiliter agit, dum christianus christianis tales leges proponit. Incohaerentiam hanc quidam politici sentiunt atque alia facta distinctione profitentur se, prout magistratus sunt, esse veluti atheos, atheamque revera esse legislationem, scilicet dum ut personae quod aiunt privatae, religionem colunt, ut personae publicae a religione praescindunt.

At revera quidquid pseudo-politici verbo tenus profiteantur, satis aperte ostendunt se hac lege non solum per inanem abstractionem a religione praescindere, sed impie eam negligere, contemnere ac repudiare, quod quidem multiplici ex capite facile ostenditur.

Ac primo ea lex prodit tacitum christianae religionis contemptum. Etenim quod quispiam ex infirmitate, aut etiam ex malitia legem aliquam ecclesiae infringat, probe intelligitur id sine religionis contemptu fieri posse; verum quod quis ut honestam proponat ac vindicet legem, quae religioni directe adversetur, id certe sine contemptu saltem tacito facere non potest.

Secundo: immo vero ea lex contemptum prodit ecclesiae non tacitum modo, sed apertum etiam atque formalem. Assumit enim posse quempiam impune id facere, quod sub gravium spiritualium poenarum interminatione ecclesia ne fiat interdicit. Ecclesiae leges ac si nuspiam existerent ignorantur, vel potius scienter volenterque spernuntur; auctoritas ipsa pro nihilo habetur. Est ne hoc a religione catholica praescindere abstrahereque, an non potius eam aperte contemnere? Est ne haec innocens quaedam lex pure civilis, an potius lex anticatholica ac impia?

Tertio: latentem prodit incredulitatem, atque secretam a vera religione apostasiam. Sane, coniici vix potest quempiam serio credere religionem catholicam unice veram esse, seu verum unicumque christianismum divinitus datum, qui tamen firmiter apud se constituat in talem peccati habitualis statum se coniicere ex quo, nisi doleat aliquando et resipiscat, certo novit se aeternum damnatum iri iuxta eiusdem ecclesiae doctrinam ac firmissimum dogma. Iam vero talis est eorum status, qui nuptiali foederi civili tantum contenti nihil ulterius satagunt, nec se sistere coram ecclesia pertinaciter volunt, eo quod a lege civili non compellantur. Hi enim, ut paulo ante ostendimus, in aperto ac nefario concubinatu degunt, ac proinde in lethiferi gravissimique peccati statu. Hi profecto nemini prudenti persuadebunt, se ecclesiam credere eiusque doctrinam, quamvis exterius catholicam religionem profiteantur, sed increduli plerumque sunt, sin minus theoretice, practice saltem. Quid porro erit sentiendum, aut dicendum de iis pseudo-politicis, qui legem immani furore urgent promoventque totis viribus, qua fornicaria illa vivendi ratio cohonestetur coram societate christiana et catholica? Numquid istos sinceros fideles dixeris et habebis, et non potius catholicos personatos, qui exterius

nomen et professionem catholicorum assumunt in eum solum finem, ut ecclesiae magis noceant?

Quarto: eadem lex politicum prodit atheismum, seu principium separationis plenae status civilis ab ecclesia, qua declaratur status a religione, seu, quod idem est, a Deo emancipatus ac pene solutus; aut etiam, uti nunc temporis loquendi mos est, lex athea constituitur. Nisi haec separatio omnibus retro saeculis inaudita, ac athea emancipatio supponatur, numquam pseudo-politici ausi fuissent, aut auderent legem proponere, qua christiani cives tantummodo uti cives spectarentur. Quasi nempe societas ultimus esset hominum finis, ad quem assequendum cetera omnia dirigi deberent; religio vero tamquam extraneum quid esset, et accessorium idque indifferens elementum. Hoc est principium, quod in praesentiarum longe lateque diffunditur, dominaturque, atque causa praecipua est tot aberrationum practicarum, ob quas ubique fere locorum societas politica periclitatur, ac dissolutioni proxima est. Haec demum illa libertas est, quam veluti supremam votorum metam increduli omnes ac pseudo-politici universi sibi a diuturno tempore proposuerunt ac machinati sunt, quamque olim ominabantur atque salutabant a longe, nunc vero vix non adepti sunt, atque plene adipisci sibi brevi pollicentur etiam in regionibus catholicis (5).

(5) Doctrinam hanc de secretione status ab ecclesia mutuati pariter sunt pseudo-politici ab impuro protestantismi fonte una cum consectariis, quae eximde profluunt. In quam rem praeclare scripsit Philippus Carillo. « Nel protestantismo s' insegnò la fatale dottrina di doversi la chiesa separar dall' impero, e per questo lagrimevole e stolto divorzio dell' atto civile dall' atto religioso, della chiesa dallo stato, dell' impero dalla religione, si gettarono le fondamenta di una sistematica ribellione dalla chiesa e da Dio. - Guidati da questo abbominevole principio, e l' universale famiglia pretendendosi divisa dal suo supremo Fattore, si potè facilmente pur sottrarre dalla sua dipendenza il particolare connubbio della donna coll' uomo. - In altri termini, la infesta novella teorica principalmente radicata nell' odio de' protestanti contro la chiesa cattolica, riuscì ad umanizzare e confinare

Primus gradus, in quo sese ipsi collocarunt ut id obtinerent, fuit illa, quam tolerantiam universalem ac conscientiae libertatem vocant, quatenus supremus legislator adstringitur omnes ex aequo, ac indiscriminatim confessiones sub patrocinio suo recipere atque tutari, adeo ut pari modo spectet anabaptistas, protestantes, catholicos, iudaeos etc. dummodo civium munia rite obeant. Ubi hunc primum gradum ascenderunt facile eis fuit ad alterum transgredi, quod scilicet legislatio sapiens ac prudens debeat omnino in subditis abstrahere ab elemento religioso. Cum vero religio relationem habeat ad Deum, exinde ad tertium gradum ventum est, ut scilicet praescindatur in lege a Deo ipso, ex qua periodo nec Dei nomen amplius insertum in codice est, neque ex Dei nomine et auctoritate leges statutae.

Huc humana ac terrena sapientia quum venerit, omnes curas ac studia convertit ad industriam, commercium ac temporalia commoda unice provehenda, quin vel hilum faciat spirituale civium bonum, vel de eo sit sollicita, quod vel praecipit vel vetat christiana religio. Quin potius eam non semel tamquam obstaculum spectat supremi boni in his terris assecutionem impediens, eidem bellum sive occultum sive apertum indixit ad illud removendum ac penitus eliminandum. Cum autem catholici, prout ab ecclesia edocti sunt, supremum bonum suum non in terris, sed in coelis repositum esse credant; illudque non in vita fugacis temporis huius, sed in altera eaque aeterna assequi contendant, secus ac illi, qui spem non habent, quique toti effunduntur in terrestribus bonis unice prosequendis quocumque demum praesidio id possint; hinc necessario fit, ut pseudo-politici catholicos, quantum in

il matrimonio nell'assoluto arbitrio del potere civile, lasciando la chiesa nel fondo del santuario il contemplarlo e benedirlo, se ne fosse richiesta. « *Istituzioni delle leggi civili nel regno di Napoli.* Napoli 1853. vol. I. pag. 294 seq.

ipsis est, deprimant, faveantque totis viribus protestantibus, utpote magis idoneis ad commercium, industriam, mundanamque felicitatem promovendam. Hinc irreligiosae leges, quae catholicos feriunt, praesertim vero praesules, sacerdotes ac religiosos viros, quos tamquam peripsema habent pedibus proterendum, ac per contemptum *clericalem factionem* nuncupant. Cum de his agitur, tunc legalis illa fictio abstractionis a religione cessat, religionis catholicae pseudo-politici recordantur, atque in eis non *civis*, sed *catholici* ministri qualitatem insectantur.

Haec, quae vix delibavimus, si quis animo suo reputet serioque perpendat, animadvertet non esse a nobis veluti imagine conficta, sed factis comprobata. Satis est oculos circum ferre per varias catholici orbis partes, ut illico quisque veritatem videat eorum, quae affirmavimus.

Porro ex hoc legalis atheismi principio peti debent inaudita hactenus in regionibus catholicis matrimonia pure civilia, et lex ad ea cohonestanda ac promovenda cum tanta animarum atque ipsius publicae honestatis pernicie et iactura.

Ecquis vero est, qui non videat, eiusmodi exitiale principium germen esse impietatis maximae? Quid enim est aliud separare rem civilem a religiosa, quam fulcrum praecipuum ipsius societatis politicae removere, ac civibus incitamentum praecipuum ad legis observantiam subtrahere, vim physicam vi morali ac religiosae substituere? Quid aliud est, quam calcem ac caementum a lapidibus in aedificii mole subtrahere, unicum efficax frenum, quod remanet, proiicere ad cives coërcendos, ne diffluant in omne scelus; habenas laxare omni iniquitati, iura omnia pessumdare et quatere, quae columen munimenque suum a religione unice mutuantur? Et tamen hoc ab iis fit, qui honestati publicae invigilare ex officio tenentur, eamque omni qua possunt ope promovere: immo addo quandoque

ita se inique gerere eos, qui illis moderantur regnis, in quibus religio catholica, religio unica et *dominans* ex lege constituta ac declarata est.

Certe nuspiam antea societatem vidimus adeo nutantem, ut aetate hac nostra, ex quo nimirum perniciosum eiusmodi principium irrepsit, impiorumque ac perversorum politicorum mentes occupavit. Numquam adeo frequentes civiles motus ac perduelliones experti sumus. Verum et his sepositis, reputent apud se pseudo-politici, quod Deus aliquando iudicaturus sit civem ac religiosum, principes ac subditos, populos ac legumlatores, qui quamprimum rationem reddent ei, qui iudicaturus est orbem terrae in aequitate. Dicam et istis, quod quamvis nunc *dii* inter homines dicantur ob supereminentiam ac dignitatem qua pollent, et magistratus quos exercent: « Verumtamen vos omnes sicut homines moriemini, et quasi unus de principibus cadetis (6).»

ARTICULUS II.

Quotquot deliberate ac positive ad legem de Matrimonio civili ferendam concurrunt, reos coram Deo se gravissimi criminis constituunt.

Complexi his verbis sumus eos omnes, qui prudentes scientesque operam ponunt ad efficiendum, ut lex, de qua loquimur, proponatur, foveatur, sanciatur, potissimum ubi tridentinum decretum publicatum est. Potissimum inquam; nam in aliis etiam regionibus, licet matrimonia mere civilia sint valida, lex tamen civilis ad ea alliciens semper esset contraria legibus ecclesiae, hoc est antiquo iuri, quod talia matrimonia etsi non irritat, tamen gravissime prohibet. Potest autem quispiam particeps esse voluntarie consilio et adhortatione, in publicis praesertim comitiis seu conventibus, multo vero magis solemni lega-

(6) Ps. 81., 7.

lique approbatione seu voto ac suffragio. Hos itaque omnes gravissimi coram Deo peccati reos fieri dicimus, prout voluntarie deliberateque quisque partem suam confert.

Plures forsitan ex pseudo-politicis ad eiusmodi enunciationem subridebunt, aut etiam cachinnis eam excipient. Esto; verumtamen hoc nos absterrere non debet ab adstruenda veritate cuiusmodi in se est; nec enim impiorum risus avertere nos debet, imo nec minimum dimovere ab officio. Huic risui nos assuevimus etiam quoad res maioris momenti. Insuper istiusmodi irrisio, aut subsannatio eo melius comprobaret confirmaretque quod in superiori articulo diximus, nimirum huiusmodi homines ex illis esse, qui in profundum impietatis delapsi practicum profitentur atheismum, nullam Dei, propriae conscientiae, aut futurae vitae rationem habentes. Siquidem exploratum est, non paucos ex his pseudo-politicis ad secretas pertinere sectas, aut quandoque etiam communismum, aut socialismum complexos esse.

Quidquid porro de hoc sit, ita nos propositam veritatem adstruimus: qui violant ecclesiae legem; qui auctores aliis sunt, ut eam transgrediantur; qui alios alliciunt ad statum habitualis peccati; qui alios obiiciunt evidenti periculo aeternum exitium incurrendi; hi profecto reos manifeste se constituunt coram Deo gravissimi sceleris. Iam vero tales esse eos omnes, quos nuper recensuimus, ita iam singulatim ostendimus.

Ac 1. Graviter peccare eos, qui ecclesiae legem violant, eamque maximi momenti, videlicet in re, ex qua pendet vel legitimum honestumque coniugium, aut turpis fornicatio, nemo, ut arbitror, qui professionem christianam fateatur poterit negare, aut etiam in dubium revocare. Iam vero talis est tridentina sanctio, iuxta quam redduntur inhabiles ad contractum ineundum atque ad faciendum coniugium, qui coram parocho ac duobus, aut

tribus testibus non elicuerint suum consensum, seu suum celebraverint coniugium. Quapropter qui extra hanc definitam formam attentarent connubium, non solum nihil efficerent, ut alias ostendimus, in ratione sacramenti, sed neque in ratione contractus sive naturalis sive civilis; ita ut in conscientiae foro legitime, aut licite uti iure coniugali non possint, et coniugales qui dicuntur actus sint totidem actus illiciti ac fornicarii, adeoque totidem peccata. Cum igitur lex, qua de agimus, directe violet hanc ecclesiasticam sanctionem, plane consequitur eos, qui voluntarie cooperantur huic legi statuendae, qui eam proponunt, promoventque, qui suffragio suo concurrunt, ut illa admittatur, effici reos coram Deo gravissimi criminis.

2. Insuper graviter etiam illos peccare, qui alios ad violandam seu transgrediendam ecclesiae legem inducunt in re gravi maximique momenti, qui compos rationis sit, et in Christum credat, facile debet admittere; neque opus est sublimi ingenio implexaque ratiocinatione ut id evincatur. Nam si reum se constituit, qui actionem pravam ac iniustam ponit, innocens profecto non poterit censeri, qui alteri auctor est, ut eam ponat, qui alterum nempe ad eam ponendam inducit; quinimo in communi aestimatione maioris culpae fit reus, qui alium permovet ad delinquendum, quam qui permotus ac seductus legem transgreditur. In quovis iudicio gravius plectuntur qui alios ad grave facinus patrandum inducunt, quam qui immediate delinquunt. Ratio ipsa hoc nos docet. Ita aestimatur, qui alium impellit ad furta, homicidia, seditiones, aliaque eiusmodi. Idque confirmant testimonia biblica nimis frequenter: atque ut sistamus in argumento, quod prae manibus habemus, de iis scilicet, qui in potestate constituti auctores sunt populo, ut in peccatum labatur, unum alterumve promam in gratiam eorum, qui vestigiis protestantium insistentes fingunt se unice Scriptu-

rarum auctoritate permoveri. Passim arguitur Ieroboam non solum quia *peccavit*, sed etiam quia *peccare fecit Israel* (7); idipsum legimus de Amri, Achab, aliisque regibus Israel, et hac de causa Deus eos saepe afflixit, donec et principes et populum universum disperserit; sic enim legitur: « donec proiiceret eos a facie sua ex eo tempore, quo scissus est Israel a domo David, et constituerunt sibi Ieroboam filium Nabath; separavit Ieroboam Israel a Domino, *et peccare eos fecit peccatum magnum* (8).» Idipsum legitur de regibus Iuda, qui non modo praevaricatores ipsi, sed et populo universo auctores fuerunt, ut Dei legem praevaricaretur.

Quod si isti, qui sola quandoque exempli gravitate alios seduxerunt ad peccandum, traducuntur in Bibliis tamquam gravissimi rei criminis, quid censendum putabimus de iis, qui apposite, lege lata, populo fideli auctores sunt, ut gravi se piaculo commaculet per transgressionem sanctionis in re gravis adeo momenti ab ecclesia constitutae? Etenim semel lata lege, qua omnibus indiscriminatim subditis fit potestas, ut solis se coniungant civilibus nuptiis, quin ad ecclesiam se conferant, coramque sacerdote se sistant, plures semper paucioresve reperientur, qui, conscientia posthabita, haud verentur ecclesiae praescriptum negligere, aut etiam spernere civilis statuti praesidio suffulti. Itaque eorum agendi ratio in legem ipsam civilem eiusque latores tamquam in causam recidit. Lege siquidem non existente, numquam ita se gererent. Quocirca quotquot positive concurrunt ad eamdem legem sanciendam, quacumque demum ratione ad hunc scopum assequendum partem habeant, in causa sunt, ut plures sanctissimam gravissimamque ecclesiae praescriptionem transgrediantur.

(7) III. Reg. XIV. 16. XVI. 26.
(8) IV. Reg. XVII. 20. 21.

3. Ast non solum in solidum reos se reddunt omnes eius legis aperti promotores fautoresque ob huiusmodi gravissimam transgressionem, verum etiam ob omnia illa crimina, quae in statu habitualis concubinatus a fictis coniugibus perpetrantur, quotiescumque civili lege freti matrimonio utuntur. Nam peccata haec omnia exitiali huic legi, ac proinde auctoribus et fautoribus legis eiusdem adscribi etiam debent. Ecquis autem haec dinumerare valeat? Neque id his hominibus ignorare fas est; siquidem qui optime norunt coniugalem contractum mere civilem in conscientiae foro nullius penitus esse valoris, adeoque scientes volentesque his omnibus peccatis sese onerant coram Deo, qui eos in iudicium vocabit.

4. Denique reos esse quotquot alios evidenti obiiciunt periculo incurrendi aeternum exitium, vix probatione indiget. Satis est enim fidem omnem non eiurasse atque abiecisse, ut per se quisque intelligat, cum, qui proximum suum evidenti periculo sciens volensque exponit aeternae damnationis, gravissimo scelere sese polluere.

Hoc vero periculum *evidens* diximus, idque multiplici ex capite. Nam in tanta civium multitudine plures semper sunt in omne malum proclives, omnisque prorsus pudoris expertes, qui religionis proculcant praecepta, uti quovis tempore et ubique locorum tristis experientia nos edocet. Horum numerus mirum in modum crescit, quum publica praevalet, dominaturque opinio de indifferentismo atque incredulitate in religionis negotio tamquam de saeculi civilisque cultus progressu; quum ii, qui publicae rei clavum tractant facto ipso eam opinionem confirmant solidantque, seque hostiles religioni modis omnibus praebent; quum emissarii, quos vocant, sectarum nervos omnes christianae fidei in populis praecidere connituntur iniicientes serentesque principia, quae sensum religiosum exterminant, aut extinguunt, prout aetate hac nostra fieri lu-

gemus. In tali igitur rerum conditione, quid mirum, si plures inveniantur, qui, cum agitur de ecclesiae legibus, eas impune praevaricentur, pessumdent atque contemnant? Gloriae potius sibi ducunt ita se gerere, eosque irrident, qui vellent eos ab hac sentiendi agendique ratione deducere.

Semel ac autem nexibus civilibus nuptialibus eiusmodi homines se irretierint, difficile omnino est ut ab iis sese extricent, praecipue si ad tempus aliquod absque conscientiae iam sopitae, diuque contemptae angore coniugum more convixerint. Hinc rari admodum sunt, qui de suo statu tandem exeant ac resipiscant ad bonam frugem, atque matrimonium suum coram ecclesia ratum faciant, seu potius vere ineant. Plerique enim, aut culpabili negligentia, aut religiosi sensus defectu, aut etiam ecclesiae contemptu, aut timore quandoque mundano ducti, ne ab eiusdem frugis hominibus parvi aestimentur, a christiani muneris officio adimplendo abstinent, civili coniugio contenti.

Verum, quod adhuc deterius est, cum puellae delicatioris conscientiae esse soleant, non semel a perditis eiusmodi hominibus decipiuntur. Nam ut eas primum ad civiles nuptias inducant, pollicentur se post civilem actum inituros esse coniugium coram ecclesia; postquam vero coram magistratu constiterunt, non modo datam fidem non liberant, sed pugnaciter renuunt ad ecclesiam se conferre, rati legitimum plenumque esse coniugium, quod coram magistratu contraxerunt. Exinde fit, ut infelix ac nimis credula puella nec possit per repudium se ab illo solvere nexu, et vidua priusquam uxor debeat permanere, eo quod lex eam cogat convivere et cohabitare cum viro civiliter ducto, neque possit, renuente conscientia, sui copiam praebere. Hinc undique angustiis et anxietatibus maximis praemitur; inter legem et conscientiam posita

colluctatur seducta columba, quae accipitris ungulis rostroque correpta evadere nescit (9). Quod si vi devicta, aut blanditiis viri voluntati cedat, conscientiam tamdiu vulnerat atque cruentat, quamdiu hoc in statu perseverat, seseque innumeris prope peccatis onerat, quae in legem, ac propterea in legis fautores et conditores redundant.

Interim si contingat virum, aut mulierem hoc in statu habitualis peccati subita morte corripi, quin prius eos poeniteat admissi sceleris, citra dubium in aeternum peribunt. Quod si morbo prius tentati pedetentim ad extrema devenerint, nisi ipsi resipiscant, poenitentiaeque signa praebeant, ac matrimonium coram parocho in privatis aedibus celebrent, aut separatio fiat a falso marito, vel a falsa uxore, certum est illis non posse sacramenta ecclesiae administrari. Hinc novae angustiae, novae difficultates, novumque evidens periculum aeternae damnationis.

Quapropter si eveniat ut vel unus civilis matrimonii causa aeternum exitium incurrat, ecquis non videt eos omnes, qui positive, ut saepius diximus, ad funestam eiusmodi causam ponendam concurrere voluerunt, reos fieri huius damnationis? Ex multiplici igitur capite constat quod a nobis positum est, fieri videlicet reos gravissimi coram Deo criminis quotquot deliberato animo ad legem illam proponendam, fovendam condendamque concurrunt.

(9) Equidem novi in Galliis passim, ubi eiusmodi casus acciderit quod vir renuat se sistere coram parocho ad renovandum consensum post celebratum contractum coram civili magistratu, ab aequis iudicibus declarari nullum praebitum antea consensum, ac sic discindi matrimonium pure civile. Ast praeterquam quod non semper ita fit, quot antea superandae sunt difficultates, ut haec obtineatur sententia?

ARTICULUS III.

Lex de Matrimonio civili est antipolitica.

Iam animadvertimus, plerosque pseudo-politicos, qui promovent legem de connubiis mere civilibus, parum aut nihil permoveri causa religionis, neque ea deterreri, quo minus caeco quodam furore connitantur omni qua possunt ope legem illam constituere. Quocirca aliae praeterea illis causae adiiciendae sunt, quibus eorum animus magis deterreatur. Ipsi profitentur, se societatis bonum persequi, id unum prae oculis habere, hoc consectari se velle tum in hac tum in aliis huiusmodi legibus proponendis. Utpote a populo delecti in bonum reipublicae, atque ad patriae negotia discutienda, nec non ad ipsius utilitatem et commoda sectanda deputati, nonnisi a communi universalique bono permoveri possunt. Ita quidem ipsi loquuntur ac protestantur.

Si igitur ostenderimus eos, qui intenti sunt ad legem urgendam, de qua est sermo, non modo non prospicere et consulere publico communique bono, immo vero eidem penitus adversari; si in medium gravia afferamus ac solida rationum momenta, quibus constet eam legem nullo modo, si ad sanam politicam exigatur, posse probari, factum iri confidimus, ut publici isti nationis delegati, aut etiam ut vocant *repraesentantes*, sin minus ut religiosi viri, saltem ut politici ab incoeptis desinant, nec pertinaciter insistant legi illi promovendae, quae antipolitica demonstratur. Hoc autem est, quod ostendere assumimus innixi nec levibus nec paucis argumentorum rationibus.

Igitur lex illa censenda dicendaque est antipolitica, quae est contra naturam et finem, quem in legibus condendis sibi praestituere debet omnis sapiens ac prudens

legislator; quae perpetuo pugnat cum religione illa, quae in republica cui proponitur dominatur; quae statuitur contra communem sententiam; quae ubi servaretur induceret in morum corruptionem; quae natura sua tendit ad dissolutionem familiae, ac societatis bono adversatur; quae denique citius seriusve revocari debet, aut saltem ita extenuari ac temperari, ut nullum sortiatur effectum. Talis porro est lex, quae sancit matrimonium simpliciter civile; igitur ea censeri ac dici debet prorsus antipolitica.

Quamvis non pauca iam de nonnullis ex recensitis argumentis disseruerimus in superioribus capitibus, placuit nihilominus ea omnia simul congerere, ut unico veluti obtutu quisque possit complecti, quae legem, de qua agimus, antipoliticam ostendunt. Nonnulla praeterea adiiciemus ad pleniorem dictorum confirmationem. His ad notam praecavendam repetitionis, quae nobis impingi posset, praemissis, iam accedimus ad enumeratos articulos singillatim expendendos.

Ac primo quidem nemo sanae mentis negaverit antipoliticam legem illam esse habendam, quae sit contra legum naturam, et contra finem, quem sapiens quisque legislator in legibus suis condendis prae oculis habere debet. Porro talem legem esse de coniugiis civilibus liquet ex eo, quod lex natura sua habere necessario debet bonum ac honestum tamquam finem sibi propositum, cum ea non sit nisi, ut ita dicam, imago ipsius rationalis naturae ac moralis, seu potius auctoris ipsius moralis ordinis ac rationalis naturae, quae ex sese tendit ad bonum rationale et morale. Ecquis sane hoc ineluctabile principium in dubium revocaverit, cum fundamentum sit totius legislationis? Non alium profecto finem sibi praefigere poterit optimus quisque legifer in codice legum suarum condendo. Bonum vero praecipuum morale legis est iustitia et aequitas; ubi haec defuerit, lex utpote inutilis

aut nóxia vim nullam habet (10); quod si iustitiae adversetur, non solum iniusta evadet lex, neque obligationem inducet, sed nullatenus eam servare fas erit, cum lex nequeat esse vinculum iniquitatis; atque ideo naturam induit antipoliticam.

Eiusmodi autem esse legem de coniugiis mere civilibus facile quisque sibi persuadebit, si animadvertat, eam legem eo dirigi, ut coniugium, quod sacramentum est, ad conditionem puri contractus revocetur, sit minus firmum, et revocabile ad sententiam magistratuum sive ad mortem, quam vocant, civilem, quaeque per legalem fictionem aequiparatur morti naturali, sive per divortium perfectum, quod in pluribus rerum adiunctis necessario pronunciari deberet. Insuper, ut ostendimus, facultatem praeberet contrahentibus tum novas ineundi nuptias, vivente adhuc priori coniuge, quod esset inducere polygamiam saltem civilem, tum sese obstringendi ad peccata patranda apud eos, qui

(10) Non hic proferam ad propositum principium probandum auctoritatem theologorum omnium, qui unanimes circa illud sunt; neque institutores urgebo iurisprudentiae civilis sive catholicos sive protestantes, imo nec ethnicos ipsos, qui solo naturali lumine ducti ad ipsum constituendum conspirant; hos, inquam, omnes dimittam. Satis mihi erit adversus legis, de qua agimus, patronos adducere auctoritatem, quae plurimum penes ipsos valet, nempe Melancthonis qui cum sibi proposuisset hoc argumentum: « Reges possunt de rebus politicis suo iudicio decreta facere: *matrimonium est res politica*. Ergo regibus licet de eo decreta facere suo iudicio. » Ita solvit: « Brevis responsio est; maior neganda est; reges enim nec de politicis rebus decreta suo iudicio qualiacumque condere possunt, *sed debent iustas leges condere*, et sequi iudicium Dei, videlicet, ne condant leges pugnantes cum mandatis Dei. Politica res est forense iudicium. *Sed regibus non licet leges condere, ut iudex puniat innocentem, sine legitima cognitione. Habet suas metas regum potentia*, nec sumat sibi licentiam contra mandata Dei aliquid constituendi. Pertinent ad ipsos quoque minae caelestes: *Vae vobis qui conditis leges iniquas.*» Haec quidem Melanchton, quae mirifice quadrant in legiferos nostros. *Operum reverendi Philippi Melanchtonis* pars secunda. Vittembergae 1562. in opusc. *Defensio coniugii sacerdotum missa ad regem Angliae* pag. 179. *Quarta obiectio.*

Atque hic obiter adnoto Melanchtonem pro certo admittere matrimonium ad res politicas pertinere cum pluribus aliis aetatis illius protestantibus, etsi alii repugnent, ut videbimus, et rebus sacris adnumerent. Nimirum semper ancipites fuerunt hac in re protestantes.

civile solum coniugium facerent, ac saepe etiam reluctantem cogendi ad perseverandum in statu habitualis peccati, uti pariter vidimus. Quae quidem omnia sunt contra politicum bonum, contra honestatem et sanam ethicen, immo et contra iustitiam.

Cum itaque lex debeat sibi proponere bonum et honestum, prout eius natura exposcit et exigit, cumque non alium finem sibi obiicere possit legislator, quam societatis felicitatem, utrique autem opponatur lex de connubiis civilibus, consequens est, eam, uptote contra legislationis naturam ac legislatoris finem, dicendam esse ex hoc primo capite omnino antipoliticam.

Secundo. Sed est praeterea haec ipsa lex antipolitica ex altero capite, quod perpetuo pugnet cum religione, quae in republica vel regno dominatur. Quidquid sentiant ac effutiant furiosi pseudo-politici et increduli homines, vel ipse communis sensus suadet ac docet, numquam posse conducere ad bonum societatis legem, quae aperta veluti fronte cum religione cohaerere non possit, quam regnum vel respublica profitetur (11). Nam etsi quaelibet societas alat iugiter in sinu homines exleges, libertinos atque perversos, quos vere evomere dixeris infernum ad societatis ipsius ruinam, ad malorum exitium et scandalum, bonorumque exercitationem, verumtamen populus ubi in universum spectetur, numquam ex perditis

(11) Sane si sermo sit de statu Subalpino, in *Statuto costitutionali* illius regni primus hic articulus legitur: « 1. La Religione cattolica, apostolica, romana *è la sola religione dello stato*.»

2. Il Re si gloria di essere protettore della chiesa. *Di promuovere l'osservanza delle leggi* di essa nelle materie, che alla potestà della medesima appartengono.

I magistrati supremi veglieranno a che si mantenga il migliore accordo tra la chiesa e lo stato, ed a tal fine continueranno ad esercitare la loro autorità e giurisdizione in ciò che concerne gli affari ecclesiastici secondo che l'uso e la ragione richiedono.»

Quis post haec suspicatus esset, tot potuisse a comitiis subalpinis leges proponi ac sanciri, quae evertunt plane hos ipsos fundamentales Statuti articulos!

eiusmodi ac facinorosis hominibus coalescit atque constituitur. Poterit quidem multitudo esse magis minusve religiosa, plus minusve ab officio desciscere, attamen religiosus sensus in ea prorsus non exstinguitur, immo iugiter virescit in animis observantia et obsequium erga illam religionem, in qua a teneris unguiculis instituta et alta est. Si propterea proponatur, aut condatur lex, quae sit religioni contraria, fieri non potest quin excitetur publica indignatio, atque etiam animi aversio tum contra legem ipsam, tum contra eos, qui legem illam proponunt eique patrocinantur, multo vero magis in eos, qui eam sanciunt.

Quod si hoc verum est, ac de qualibet religione dici potest, multo magis affirmari id debet de religione sanctissima, quaeque amorem populorum sibi vindicat, cuiusmodi est religio catholica, ex qua tot bona in populum universim atque in homines singulos proveniunt. In religione, inquam, catholica, quae unice vera est, quaeque evidentia pro se tot habet credibilitatis argumenta, quae non iam in opinione tantum subiectiva quemadmodum protestantismus, aut alia quaelibet secta ab humana superbia ac perduellione parta, sed tota divinae fidei innititur, quaeque radices altissimas in corde fixit; in religione, inquam, catholica, quae licet interdum aestu cupiditatum iacere, et quasi languescere videatur, tamen hisce defervescentibus, facile resumit imperium suum, reviviscit ac germinat; quae denique talis est, ut eius pulchritudine et sanctitate capiantur non pauci ex ipsis protestantibus, qui tales non sunt ex destinata malitia, atque ad amantissimae matris gremium revertuntur, ut suavissima interiori pace fruantur. Cum itaque populus catholicus cernat legem proponi, quae suae religioni adversatur, eam intime laedit, gravissimaque afficit iniuria, non potest non vehementer permoveri et concuti, immo perturbari ac irasci adversus legem, et adversus legislatores, qui improvide

hostiles se religioni exhibent, populique religioso sensui se obiiciunt (12).

Legem autem de coniugiis mere civilibus perpetuo pugnare ac contradicere doctrinae et praxi ecclesiae catholicae probatione non indiget, atque ex hactenus disputatis abunde liquet, quod nec pseudo-politici diffitentur. Ergo hoc ipso se antipolitice gerere patefaciunt.

Tertio. Nec minus antipolitica eadem lex deprehenditur, si ratio habeatur eius, quam vocant, opinionis publicae ac praevalentis, etiamsi a religioso sensu praescindamus. Norunt omnes rem semper alcae periculive plenam esse opinioni firmiter solideque constitutae ac universali contraire. Ex sententia etiam omnium politicorum, quibus mens falsis theoriis obnubilata non sit, prudentis legislatoris non est opinioni, seu communi sentiendi rationi dominanti contradicere. Quod quidem principium si quovis tempore viguit, hac potissimum aetate nostra viget quam maxime, in qua proclamatur undique ac effertur vis publicae opinionis, cui refragari sit nefas; quaeque mire evehitur et extollitur perinde ac si ipsa esset rectrix ac regina mundi, ad cuius normam omnia redigi, et cui omnia cedere debeant. Novimus quidem non paucos hoc abuti principio, qui praesertim novitatibus student, effutientes publicam

(12) Quod eiusmodi nationis repraesentantes, ut vocant, sint potius eiusdem populi proditores, et agant in nonnullis legibus proponendis, aut favendis contra populi voluntatem, ac votum, immo et mandatum violent, quod acceperunt, luculentum habemus exemplum in protestatione publica, quam nuper fecit collegium electorale Niceae ad Varum. Revocavit siquidem prout potuit a suo repraesentante De Foresta mandatum, quod ei dederat, eo quod suffragio suo pro dissolutione religiosorum, et alienatione bonorum ecclesiasticorum in comitiis subalpinis *causam religionis atque statuti* prodiderit. Vid. *Univers* 19. Août 1855. Hic ipse patrocinatus est legi de matrimonio civili in iisdem comitiis.

Verum quod magis, clariusque adhuc evincit non semel eiusmodi populi delegatos proditores populi esse, ac religiosum nationis sensum dire plectere, ostendit articulus periodici *Civiltà cattolica* 3. Sab. Iunii 1855. inscriptus *La charte vérité*, in quo exhibetur tabula numerica petitionum populi adversus legem de bonis ecclesiasticis, ex quibus patet quam contraria populi votis fuerit lex illa, quae tamen necessaria obtinuit suffragia.

eam opinionem esse. quae propria non est nisi conspirantis coetus, qui se tamen populum universum appellat, nec est nisi opinionis commentum, quod delet dies. Isti peccant quoad applicationem, ast principium verissimum est, ubi publica opinio solido innitatur honestatis ac veritatis fundamento, prout in casu nostro contingit.

Iam vero publicae eiusmodi opinioni adversari legem de matrimonio civili compertum fit multiplici ratione. Compertum fit ex eo, quod si paucos illos leguleios, ac pseudopoliticos irreligiosos et incredulos excipias, qui eam in publicis comitiis promovent, nullos alios, aut raros admodum habeat adstipulatores; compertum fit ex eo, quod omnes honesti cives ab eiusmodi coniugiis mere civilibus summopere abhorreant, eaque detestentur; compertum fit ex infamiae nota, quam nomini suo inurunt perpetuo, qui eiusmodi nuptias contrahunt (13); compertum fit ex conatibus illis omnigenis, quibus utuntur, quotquot vellent persuadere legem, de qua disserimus, bonam esse atque utilem convenientemque societatis progressui ac libertatis, nec tamen quidpiam proficiunt; omnes enim detegunt ipsorum sophismata, nec nisi volentes decipiuntur atque irretiuntur; compertum denique fit ex iis ipsis, qui in quibusdam regionibus, in quibus lex ista obtinet, eiusmodi nuptias inierunt, sive nota publicae infamiae perculsi, sive interioribus conscientiae latratibus agitati, sive assiduis molestiis ut plurimum existimatae coniugis sollicitationibus permoti, tandem aliquando resipiscunt, et coram ecclesia matrimonium suum contrahunt.

(13) Apposite D. Sanzet op. cit. pag. 19. scribit. L'epouse de la loi marche presque toujours aux autels de la réligion, et celle qui ne s'est point présentée devant Dieu, n'ose pas lever la front devant les hommes. En vain le magistrat consacre de telles alliances; l'opinion plus puissante que lui, les méconnait sans pitié, et la pudeur publique exécute son arrêt. Les mœurs, auprès du peuple, ont remplacé les lois.»

Si propterea publica ac universalis opinio adeo manifeste se prodit ac patefit contra eiusmodi civilia coniugia, nonne summae est imprudentiae, addam et impudentiae perfrictaeque frontis velle ipsam adoriri ac provocare? Nonne haec agendi ratio quadantenus insaniam ac furorem sapit, et prorsus antipolitica est? *Nec coneris,* inquit Scriptura, *contra ictum fluvii* (14). Siquidem fieri omnino nequit, ut ea praevaleat, ac sibi non accersat ruinam.

Moliantur tamdem ac faciant quidquid lubet pseudopolitici, numquam eo pervenient, ut hanc constantem, tenacem firmamque opinionem convellant, vincant, aut superent. Haec inuret semper ac iugiter reprobationis notam istiusmodi legi, atque idcirco imprudentibus eiusdem fautoribus ac promotoribus in seram usque posteritatem. Certi hi esse possunt de proprio nomine in infamiae albo inscripto.

Quarto. Praeterea eiusmodi lex ex eo etiam capite antipolitica detegitur, quod via sit ad infandam morum corruptionem, non personalem modo, verum etiam universalem. Id enim necessario continget sub diverso respectu tum indirecte, tum directe.

Indirecte lex ista moribus publicis nocumento est, eosque emollit et enervat, quatenus seiungit coniugium a religione, quae sola vera tutrix est, efficaxque custos fidelitatis coniugalis ac honestatis. Si Deus coniugio non praesidet, si immo ab hac coniunctione excluditur, prout fit in matrimonio mere civili, profecto praesumpti coniuges in periculis ac tentationibus constituti non se coërcebunt a transgressionibus, quae illud foedant. Idque argumento quod dicitur a minori ad maius confirmatur; nam si ii ipsi, qui mutuo apud altare promiserunt ac iurarunt inviolabilem fidelitatem, tamen heu saepe nimis illam infringunt, turpissimeque eam foedant, quidnam erit de iis, qui

(14) Eccl. IV, 32.

foedus suum iugale spectant ut solum civilem contractum omni religionis praesidio destitutum? Quid ab iis expectes, qui numquam ad salutaria sacramenta accedunt, quae tamen validissimum fraenum suppeditant, ne quis fragilitati natura sibi insitae cedat, atque in praeceps dilabatur ac ruat, cum ab iis frequentandis in tali statu ab ecclesia arceantur? Honor ac propriae existimationis, seu *dignitatis humanae* sensus, numquam defectum religionis reparabit ac praesidiorum, quibus ipsa utitur ad homines compescendos a vitiis, atque ad virtutem promovendos (15). Quotidiana experientia ineluctabiliter practicam hanc veritatem ostendit. Deinde frustra honoris ac propriae dignitatis stimulos requires in iis, qui, opinione publica posthabita, profanis his nuptiis contenti de religione solliciti non sunt, eamque potius contemnunt ac nihili faciunt.

Indirecte item vim habet eadem lex in morum corruptionem ratione habita institutionis liberorum, quae, ut alias animadvertimus, christiana ac religiosa esse non potest ex parte eorum, qui officia religionis non implent cuiusmodi esse eos vidimus, qui civiliter tantum copulantur. Primum enim christianae ac religiosae institutionis documentum est exemplum institutorum iuxta illud generale effatum poëtae: *Si vis me flere, dolendum est primum ipsi tibi;* alioquin exhortationes ac monita vim omnem suam amittunt, et cancri proles, ut fabula docet, semper retrorsum incedet. Quid porro futurum sit de filiis, qui inter domestica haec scandala adolescunt, quilibet ex sese, quin plura adiiciamus, coniicere, seu verius pro

(15) Ex his patet, per quam ridiculum esse oraculum, quod irreligiosus scriptor Michael Amari velut ex tripode pronuncial in op. *Storia de' musulmani in Sicilia.* Firenze 1854. tom. I. cap. IX. pag. 224. «Il sentimento della dignità umana, che *solo* può mantenere i buoni costumi, era soffocato necessariamente in un popolo, il cui intelletto gemea tra i ceppi dei frati e dello imperatore.»

certo noscere poterit. Nimirum adolescunt in scandalum et perniciem societatis (16).

Directe autem eadem lex inducit in morum corruptionem ac foeditatem, quatenus contrahentes constituit in statu permanenti publici concubinatus. Obductio vero legalis vestis, seu exterioris, ut ita dicam, indumenti ac pallii, talis non est, ut illorum tegat ignominiam ac turpitudinem. Velint nolint pseudo-politici, tales habentur ab opinione publica, ac tamdiu habebuntur, quamdiu sensus moralis viguerit, ac religiosum elementum perstiterit. Probrum in eorum frontibus indelebile iugiter manebit. Nisi contendant adversarii concubinatum seu fornicariam coniunctionem innocentem ac innocuam esse habendam, atque a vitiorum censu delendam, fateantur necesse est vel inviti, legem illam, quae christianos cives in fornicationem publicam inducit, hoc ipso inducere inter cives moralem corruptionem. Quo vero magis augeretur numerus eorum, qui alieno scandalo, aut exemplo illecti eiusmodi nuptias inirent, eo maior erit delinquentium multitudo, ac proinde morum publicorum depravatio, quae ab ea lege originem traheret.

Porro legis ac legislatoris munus seu officium est bonos mores promovere, fovere, ac in melius iugiter diri-

(16) De eiuscemodi nuptiis, liberisque inde progenitis vere cecinit Horatius lib. III. od. VI.

« Foecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinavere, et genus, et domos:
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.....
Non his iuventus orta parentibus
Infecit aequor sanguine Punico,
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalemque dirum....
Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosorem.»

gere, minime vero illos quoquo modo labefactare, emollire, atque corrumpere. Lex, quae substat moribus, seu iis inferior est, deserit aeternum officium legislatoris, qui applicare animum debet, ut cives meliores fiant, nullatenus deteriores. Lex enim ad instar lucidissimae facis esse debet, quae praeeat nationibus eisque viam collustret ac commonstret, ut tuto incedant, et progrediantur. At lex ista retropellit causam civilis cultus, atque honestatis. Etiamsi mores ad tempus resisterent pessimae legis oblectamento, pedetentim tamen populus cedit propriae infirmitati ac propensioni, adeoque lex semper foret improvida atque funesta.

Sane fatalis eiusmodi depravatio ac degeneratio cresceret in dies. Data opportunitate, licentiae torrens exundans ac tumens repagulum omne superaret ac plane everteret, atque sese quodammodo effunderet rueretque per exitum, quem ei legislator imprudens aperuisset, inundaretque suis alluvionibus societatem ob stupidam incredibilemque eorum imprudentiam, qui tamen defensores societatis audiunt (17). Antipolitica igitur censeri debet lex ista, quae nocet adeo morum integritati, eorumque corruptionem potenter adeo obsecundat.

Quinto. Non est quod pluribus persequamur, quae ad evincendum assumptum de lege antipolitica civilis coniugii quinto loco posuimus de destructione nempe familiae ac societatis, quae ex ea sponte veluti sua oriretur, post ea, quae superius hoc de argumento diximus. Paucis tamen perstringam, quae huc referuntur. In familiae destructionem vim suam exercet maior facilitas dissolutionis, quae in connubio mere civili habetur; vim exercet minor dilectio, quae in tali coniunctione post elapsum aliquod tempus vigere consuevit; vim exercet animorum dissensus etiam

(17) Cf. Sanzet op. cit. *Reflexions* etc. pag. 22 seqq.

ex parte cognatorum et affinium, qui excitari solet ob eiusmodi coniugia; vim exercet detectio defectuum, qui prius latebant, atque ad separationem paulatim impellunt; vim exercet ipsa legis impotentia ad sarta tecta eiusmodi civilia connubia conservanda. Si quis enim quacumque demum ex causa optet fictitias suas nuptias civiles dissolvere, ut iurisdictionem effugiat magistratus, qui civile coniugium prius initum tuetur, ac servari iubet, satis ei est in finitimam regionem se conferre cum animo domicilii, aut quasi domicilii ibi ponendi. Ibi exhibito documento status liberi, quod ei, qui solo civili connubio coniunctus est, episcopus aut parochus loci iuxta ecclesiae leges denegare non potest, nulla facta mentione civilis coniugii, novas contrahit nuptias in facie ecclesiae, sicque actum est de priori civili connubio antea contracto. Quo in casu en familiam dissolutam, licet lex eam tueri pro viribus curet.

De prolis ex eiusmodi coniugiis propagatae conditione in omni hypothesi satis diximus, quin eadem iterum ingerere debeamus; quae omnia in familiae tandem detrimentum cedunt.

Ecquis autem nesciat societatis bonum a bono familiarum, ex quibus illa coalescit, pendere? Si rite familiae fuerint constitutae ac ordinatae, rite pariter erit constituta ac ordinata societas; ubi secus evenire contigerit, societas a radice, ut ita loquar, laeditur atque convellitur. Nam societas non est demum nisi magna familia, quae ex privatis familiis rite dispositis, tamquam corpus membris constituitur. Vices proinde omnes, data proportione, subire debet societas, quibus privatae subsunt familiae, societatisque detrimentum est, quidquid vergit in familiae detrimentum.

Nunc sciscitari lubet, politica ne, an vero antipolitica lex dicenda sit, quae natura sua tot damna ac detrimenta

affert familiae? Ipsos adversarios nostros pseudo-politicos iudices advocamus.

Sexto demum vel ex eo capite antipolitica atque respuenda lex illa dici debet, quae citius seriusve aboleri, vel saltem in desuetudinem abire, vimque omnem amittere debet. Hoc principium tamquam irrepugnabile lemma suppono, quin probatione opus sit. Revera legislator, qui legem abrogandam, aut oblivioni dandam constitueret, eo ipso significaret propriam improvidentiam, mentis angustiam, ac imprudentiam non minimam, aut impotentiam et infirmitatem, dum lex obruitur contraria universim agendi ratione, quae ipsam abrogat legem; aut iniquitatem et iniustitiam, quae ipsi legi inhaeret. quaeque eius abrogationem expostulat.

Hoc igitur principio assumpto, sic pergo: Lex de coniugiis mere civilibus cum orta sit ex principio protestantismi de separatione reipublicae ab re christiana, ut suo loco ostendimus, atque ab hostili veluti impetu facto in ecclesiam, ubi haec impia phraenesis cessaverit, lex ipsa cesset necesse est. Sublata enim causa tollitur effectus. Porro etsi homines quandoque delirent, in eiusmodi tamen deliramentis diu consistere nequeunt; siquidem delirantis conditio non est homini connaturalis; adeoque a morali hoc religiosoque deliramento tandem aliquando cives se recipiunt ac resipiscunt. Cum vero resipuerint, riteque senserint cives, ferre amplius ac tolerare non poterunt legem, quae propriae, quam profitentur, religioni directe adversatur, cum eaque aperte pugnat. Impii etiam pseudo-politici legis auctores fautoresque tandem aliquando ex his terris commigrant. Licet vero successio eiusmodi hominum numquam deficiat, in numero tamen successorum, si nonnullos peculiares ac eventuales casus excipias, non solet idem nocendi studium durare ac persistere, ut aliquid de pristina intensitate non remittat

Tunc autem, variis rerum concurrentibus adiunctis ac vicissitudinibus, facilius sese accommodant opinioni praevalenti, ac cedunt, legemque demum abrogant.

Rursum: violentum, ex veteri adagio, nihil durabile. At vero violentam sub quovis respectu censendam legem esse, quam oppugnamus, ecquis inficiari poterit? Ipsa, ut vidimus, vim infert ecclesiae catholicae doctrinae et praxi, quae contractum coniugalem mere civilem nedum admisit umquam, immo eum irritum habuit, et habet etiam sub ratione contractus, ex quo tridentina sanctio constituta est, et tamquam inhonestum concubinatum reiciit, reprobat, damnat. Vim infert conscientiae publicae, quae generatim nota eam legem inurit teterrima reprobationis, utpote alienam ab antiquis ac severioribus christianorum moribus. Vim infert publicae honestati, quae per illam variis rationibus laeditur ac temeratur. Vim infert familiarum paci ac unitati, quae propterea quatitur, pessumdatur, destruitur. Vim infert ipsi politicae societati, quae aegre fert scandala eaque multiplicia ex ipsa lege promanantia, tum ex parte peditorum hominum illorum, qui inverecunde insultant verae religioni, tum ex parte eorum, qui pravo exemplo seducti ex quadam animi infirmitate abripi patiuntur ad imitationem eorum, qui ita ex destinata malitia se gerunt.

Haec autem omnia confirmantur iugi experientia, quae nos docet tum antiquitus, tum maxime aetate hac nostra omnes eiusmodi leges, quae vel offendunt honestatem publicam, vel laedunt iura ecclesiae, vel quae a publica opinione reprobantur, vel quae indoli populorum ac moribus universim receptis adversantur, nihil obstante quovis legislatoris conatu, atque obsistente politica auctoritate, debuisse aut temperari aut abrogari. Ad tempus quidem perdurarunt etiam diuturnum, eo quod non paucae ex his legibus suffultae essent armorum apparatu, ac mi-

narum poenarumque severitate, attamen cedere tandem debuerunt, atque abrogatae sunt. Immo non paucae ex his legibus, quae pro tempore, quo emanarunt, videbantur inconcussae penitus et aeternae, simul ac repertum est eas quibusdam e recensitis vitiis laborare, aut subito, aut pedetentim immutatae sunt, aut in desuetudinem et oblivionem abierunt, donec e codicibus fuerint erasae. Plura exempla huius rei in promptu essent, quae afferri possent, nisi ageretur de re compertissima, cunctisque nota. Nulla ferme gens est, cuius codex non debuerit his de causis reformari, pluresque leges ab eo expungi (18).

Quod si speciatim agatur de legibus, quae contra immutabilia, atque inalienabilia ecclesiae catholicae iura identidem latae sunt a principibus ecclesiae minus faventibus, aut animo adversus illam prave disposito, aut anticipatis iudiciis abrepto, aut pseudo-politicorum con-

(18) Speciminis gratia unum vel alterum ex prope innumeris, quae praesto essent, afferemus exemplum legum, quas principes abrogarunt, utpote vel iniustas vel noxias. Theodosius M. revocavit quasdam leges a se latas religioni aliquatenus noxias. Vid. *Cod. Theodos.* lib. XVI. tot. *De episc. et cleric.* leg. XXVII. Item Marcianus leges aliquot imperator. Valentiniani et Theodosii eadem de causa revocavit *Novella de testam. cleric.* tom. VI. Cod. Theodos. pag. 320. ed. 1655. Data haec *Novella* fuit an. 455. Anthemio cons. Hinc idem Marcianus in lege XXIV. inserta cod. Iustinian. Cod. lib. I. tit. *De sacros. eccles. et rebus et privil. eorum* leg. XII. *Privil.* §. 2. ita generatim statuit: «Omnes pragmaticas sanctiones, quae contra canones ecclesiasticos interventu gratiae, vel ambitionis elicitae sint, robore suo et firmitate vacuatas esse praecipimus.» Imp. Constans igni tradidit *Hectesim* avunculi sui Heraclii; Constantinus Pogonatus *Typum* destruxit patris sui Constantis, uti constat ex Hist. haeres. monthelitarum.

Atque ut ad tempora nobis viciniora deveniamus, Ioannes II. Lusit. rex instantibus Sixto IV. et Innoc. VII. in Brevi *Olim* die 3. Febr. 1486. retractavit legem quam tulerat *de Placito regio*, uti refert Garzia de Resende in *Chronic.* cap. LXVI.

Ludovicus XI. abolevit pragmaticam sanctionem a parente suo constitutam.

Ludovicus XIV edicto suo die 2. Mart. 1682. annullavit declarationem cleri gallicani. Cf. D'Aguesseau tom. XII.

Leopoldus dux Lotharingiae, cum legum codex ipsius nomine insignitus a Clemente XI. proscriptus esset, illis legibus abrogatis, alias ex mente summi pontificis suffecit; ex Musantio *Tab. Chronol. sept. aetas* tab. II. ad sec. XVII.

Qui plura cupit adeat Mamachium in op. *Del diritto della chiesa* lib. II. tom. II. par. I. §. IV.

siliis decepto, ut saepe contingit, res adhuc luculentior evadit. Nam quamvis nequeat ecclesia vim vi repellere, protestatur tamen adversus iniquas usurpationes potestatis politicae; deinde patienter tolerat ad deterius malum vitandum; coram Deo gemit de illata sibi iniusta vi, ac divinae providentiae universum negotium dimittit. Interim lex quae parturiebat, fructus suos pessimos parit, malum semen, quod satum est, quaquaversus propagatur, atque suos producit effectus in eorum etiam perniciem, qui imprudenter illud severunt. Tunc demum post plures interdum annos, quandoque etiam post secula coguntur posteri iniquam legem e medio tollere, aliamque sufficere, quae cum ecclesiae iuribus harmonice coordinetur. Interdum ecclesia per longam annorum seriem animo tranquillo iniuriam perfert certo confidens, se victoriam aliquando laturam esse de hominum pseudo-politicorum vafritie; nec umquam eiusmodi spes eam fefellit. Ecclesia quippe immutabilis permanet, habetque pro se secula innixa divinis Fundatoris sui promissis ac pollicitationibus; hinc ad tempus quidem tacet, sed vincit tamen (19).

Quod si tot leges utpote ecclesiae iura laedentes ubique locorum evanuerunt, aut abrogatae et abolitae sunt, analogiae ratio nos ducit ad idem affirmandum de lege, quae statueretur in regno catholico ad sancienda matrimonia pure civilia. Ecclesia, hac in hypothesi, contra eam legem protestaretur; postquam vero, ut par est, re-

(19) Horum, quae hic asserimus, luculentissimum exemplum nobis exhibet celeberrima conventio, quae cum apostolica sede facta est a piissimo Austriae imperatore ac rege apostolico Francisco Iosepho an. 1855. vi cuius post au plus minus septuaginta leges sic dictae Iosephinae, quae adeo in materia, de qua agimus, christiani coniugii ab ecclesiae doctrina et praxi difformes erant, tandem abrogatae sunt. Quod quidem exemplum alii principes imitati sunt, et alii in proximo sibi imitari proposuerunt. Silentio praetereo, quae nuper in regnis Hispaniarum hac in parte gloriose gesta sunt, ubi non paucae leges apostolicae sedi infensae pariter an. 1856. abolitae fuerunt; et ita porro in regno Wuertemburgensi, in magno ducatu Badensi, et alibi passim.

clamaverit ob sanctissimas sanctiones suas indigne audacterque ab iis, qui filios suos se nuncupant, proculcatas, Deo committeret causam suam. Interim lex tot capitibus antipolitica, adeo non modo ecclesiae, sed ipsius populi catholici ac societatis iuribus adversa, a publica opinione reprobata certissime temporis tractu non solum in desuetudinem ac oblivionem tradetur, sed a legifera ipsa potestate necessario a codice expungetur, cum dederit fructus suos.

ARTICULUS IV.

Lex, quae Matrimonium civile libertatis nomine cohonestat, in legem desinit, quae favet tyrannidi.

Vix suspicari quispiam posse videretur, eam legem tyrannidi favere atque adeo esse tyrannicam, quae facultatem praebet indiscriminatim omnibus civiles nuptias contrahendi, quaeque potius ad libertatem, immo vero etiam ad licentiam fovendam dirigitur. Atqui eiusmodi lex sub multiplici respectu necesse est tyrannica evadat, seu fons perpetuus multiplicis vexationis violentae atque tyrannicae. Tyrannica evadet erga ecclesiam eiusque ministros; tyrannica erga coniuges; tyrannica erga prolem; tyrannica denique universim erga cives. Porro nemo negaverit eam legem merito tyrannicam nuncupari, quae contra ius statuitur, quae conscientiae iura laedit, quaeque opprimit civium libertatem. Atqui talem evadere legem, quae sanciretur ad cohonestanda civilia connubia, sic per singula recensita capita ostendere aggredimur.

Ac primo ad ecclesiam quod attinet eiusque ministros, in aperto res est. Etenim lex eiusmodi directe pugnat cum ecclesiae catholicae doctrina, quum validas illas statuat nuptias, quas religio tamquam irritas, nullas, ac fornicarias repellit Dum proinde perditae conscientiae

homines, nomine tenus christiani, eas inire non verentur, iure optimo ab ecclesia reprobantur, ac statutis canonicis poenis plectuntur, saltem quoad sacramentorum usum, a quibus arcentur. Interim civilis auctoritas huiusmodi hominibus, qui ad legis normam matrimonium contraxerint, patrocinatur, eosque per vim defendit atque tutatur. Exinde conflictus inter civilem et ecclesiasticam potestatem. Ecclesiae ministri, si nolint ab officio descischere, tenentur ex munere, quod ipsis incumbit, ecclesiae legibus obtemperare, easque urgere; hinc ex parte politicae auctoritatis vexationes omnigenae incipiunt, multae, carceres, exilia, quibus saevire solet in optimos quosque pastores ac sacerdotes, qui Deo obedire malunt quam hominibus. Adnititur per materialem vim eos cogere, ut contra propriam conscientiam agant, ac violatores sacrorum canonum se constituant; quo vero isti fortiores animo sunt, validiusque pro iustitia decertant, eo pugnaciores publici magistratus fiunt, nullique violentiae parcunt, ut eos flectant, transgressoresque reddant.

Constans haec est agendi ratio pseudo-politicorum, qui incipiunt hostiles se praebere erga catholicam ecclesiam, seque adversarios eiusdem constituere; nimirum leges prius iniquas ac iuribus ecclesiae adversantes promulgant, postea vero executioni mandare maiori qua possunt severitate, satagunt: cum autem, pro munere ecclesiastici viri sese illis tamquam murum aeneum opponunt, tunc potentiores magistratus nullum modum servant, furunt, insaniuntque. Eos proscindunt ope ephemeridum pretio conductarum, maledictis, dicteriis, calumniis; eos populis invisos reddere quavis ratione conituntur; adversus intolerantiam, quam vocant clericalem, obstinationem, pervicaciam clamant: sacerdotes suis proventibus expoliant, in carceres detrudunt, ac denique in exilium pellunt Ita se gerunt cum ecclesiae praesulibus.

cum parochis, cum optimis quibusque sacerdotibus: eos tamquam invasores regii iuris traducunt, ad eum modum quo lupus adversus agnum insurrexit, eo quod locum tenens inferiorem ei, qui superius esset positus, turbaverit aquam. Iis, qui in historia hospites plane non sint, patebit, ea, quae dicimus, genuinam referre historiam eorum, quae in eiusmodi sive regnis sive rebuspublicis quovis tempore contigerunt. Verum opus non est ut ad praeteritorum temporum historiam nos convertamus, cum adhuc ob oculos habeamus, quae non ita pridem gesta sunt cum archiepiscopo friburgensi in Bisgovia, seu in magno ducatu Badensi, nec non cum aliis episcopis et sacerdotibus in ducatu nassaviensi, in Helvetia, in republica Neo-granatensi, aliisque ditionibus, ut alia praeteream, quae annis superioribus in regno Borussiae et alibi oculis nostris conspeximus. Et haec quidem nihil obstante publica fide, interposita etiam quandoque iurisiurandi religione de ecclesiae catholicae iuribus sancte servandis.

Hanc ipsam agendi rationem didicerunt haud pauca catholicorum gubernia; nam eadem ecclesiae catholicae iura invadunt, ut ei dominentur, archiepiscopos et episcopos, qui suae obsequuntur conscientiae, nec non parochos, sanctissimosque sacerdotes bonis expoliant, torquent, vexant, exilio multant, eo quod velint reddere Deo quae Dei sunt, nec ea, quae Dei sunt, prodere Caesari.

Dirae istiusmodi luctae interdum per annos ac secula perdurant, donec tandem ecclesia sua ipsa resistentia sive potius patientia iugiter vincens plenum referat triumphum. Attamen vae filiis, qui *moestitia sunt matris suae*, tum in praesenti tum in futuro saeculo. Etenim eiusmodi furiosi ecclesiae hostes bullarum instar super aquas emergentium brevi transeunt atque evanescunt, districtumque iudicium apud ipsius ecclesiae Sponsum aliquando subibunt. Interea nonne tyrannicum est, ecclesiae ministros

adeo insectari, quia canonicis legibus obtemperant, vimque conscientiae inferre, ab officio retinere, imo etiam cogere ad id praestandum, quod iniquum in se est, et ab ecclesia veritatis magistra respuitur ac reprobatur? Itaque lex, quae sub obtentu libertatis civiles sancit nuptias, easque contra ecclesiae iura tuetur ac vindicat, tyrannica dicenda est respectu ecclesiae eiusque ministrorum.

Verum non minus tyrannica est eadem lex erga coniuges civili tantum foedere iunctos; quod nobis facile est ostendere. Siquidem fieri potest, ac saepe etiam fit, ut alteruter eiusmodi coniugum ab insano illo priori amore, quo tenebatur ac movebatur ad civiles nuptias ineundas, se recipiat, seseque a fornicariis illis nexibus, conscientiae latratu commotus, solvere velit. Hoc in casu, si alter nolit, ac recuset etiam coram ecclesia renovare consensum, ut coniugium legitimum fiat, civilis magistratus sententiae huic favet, adeoque pars, quae se retrahere vellet contra conscientiam suam, vi cogeretur, ut contractum civilem servaret, in eoque permaneret. Quapropter, reclamante conscientia, toto vitae tempore ad illos per legem adigeretur actus, quos tamquam totidem habet peccata, prout revera sunt, eaque gravissima. Quid porro magis tyrannicum censeri potest, quam poenis quempiam ad peccatum adigere et compellere, et ita, ut nequeat ab eodem liberari? Atqui talis est lex, quae indulget coniugia mere civilia; postquam enim haec ad legis normam celebrata fuerint, politicum regimen ea tueri debet tamquam vera ac legitima connubia, nec permittere potest alterutrius separationem, si alter coniux renuat, nec divortium facere velit.

Equidem novi, quempiam ex huius legis fautoribus insinuasse articulum, quem vocant addititium, eidem apponi posse, quod hac in hypotesi liceat vinculum suum abrumpere ei, qui vellet ritum religiosum superaddi re

nuente coniuge. Ast is non animadvertit ut plurimum foeminam esse, quae consensum elicere vellet coram ecclesia, quae natura sua debilis ac infirma est, timetque se coram magistratu hunc in finem sistere; insuper quaestiones, quae institui deberent, temporis moram exposcunt atque impensas, antequam ad sententiam separationis deveniatur. Interim ipsa molestias ac vexationes patitur, quid igitur eo temporis intervallo aget, aut quomodo se geret? Deinde eiusmodi clausula nonne foret legis ipsius damnatio, tum quia facto ipso ostenderetur in dubium revocari legitimitatem civilium nuptiarum; tum quia earumdem dissolubilitatem lex ipsa decerneret? Hoc igitur effugium legem hanc a nequitia non solveret, sed solum imprudentiam legislatoris patefaceret.

Praeterea, si qui horum, qui inierint civiles nuptias, scenicam suam coniunctionem, quam optime norunt nullius esse valoris, vellent dissolvere, seque cum altera coniuge legitimo sanctoque vinculo obstringere, ii per legem, quae civilia sancit coniugia, insita libertate ad verum matrimonium ineundum in facie ecclesiae privantur. Nam lex in foro suo uti legitimum habet civile coniugium, ideoque exceptis divortii causis ab eadem lege statutis, violationem connubii coram magistratu initi numquam permittet, aut aliquando permittere poterit, si sibi cohaerere velit; civiles nimirum magistratus sententiam dicent adversus eum, qui sine causa divortii a lege statuta resipiscere contenderet. Hinc apparet, quomodo lex sanciens civilia coniugia vim inferat conscientiae, libertatem tollat legitime nubendi in facie ecclesiae, ac proinde consulendi propriae saluti.

Maius robur idem argumentum acquirit ex eo, quod lex per fictionem legalem abstrahat ac praescindat a religione, scilicet ab ecclesia catholica, in suis articulis. Quo fit, ut nec recognoscat impedimenta ab ecclesia constituta, ac nova, quae ab ecclesia non admittuntur, sub-

stituat. Si proinde aliquis nuptiale foedus civile inierit cum aliquo impedimentorum canonicorum, quae matrimonium dirimunt, quod postea detegat, evidens est, eum non posse in celebrato coniugio permanere, etiam hoc ex capite, irrito ac nullo. Magistratus vero, qui ad normam legis eiusmodi impedimentum minime admittit, iterum eum coget ad initum servandum coniugium contra eiusdem conscientiae dictamen, adeoque tandem tyrannica evadat lex necesse est erga ipsos coniuges.

Demum si quis, non quidem veri matrimonii ineundi causa, sed solius libertatis recuperandae amore contenderet se ab illo iugo subtrahere, sub quo a sola lege civili tenetur, quam scit nullius esse valoris, iste, altera parte obnitente, profecto id efficere nullo modo posset. Insolens autem non est homines reperire, qui cum cupiditatis aestu abrepti inconsiderate imprudenterque se coniugio copulaverint, post aliquod tempus inique ferant vincula, in quae se iniecerunt, aut quia in coniuge, ut paulo ante animadvertimus, detegunt defectus ac vitia, quae ipsos prius latebant; aut quia angustias rei familiaris experiuntur prius incompertas; aut alia quavis de causa. At vero quamtumvis maxime velint a ficto vinculo sese dissolvere ac in libertatem asserere, coguntur tamen inviti sub iugo, quod detestantur, degere ac vitam infelicem ducere. Quo nihil iniquius, magisque libertati contrarium fingi potest, ratione habita iudicii illius consensus, quem vi solius legis civilis praestiterunt.

Nec obest idem accidere posse post legitimum nuptiale foedus, quod coram ecclesia initum fuerit. Nam multiplex disparitas interponitur; *primo* siquidem contrahentes norunt se recipere sacramentum, quod indissolubile est iuxta ecclesiae doctrinam ex divina institutione; nil vero tale in coniugio mere civili reperitur, imo probe norunt huiusmodi contractum ex eiusdem ecclesiae doctrina nul-

lum prorsus ac irritum fuisse et esse. *Secundo*, sacramento gratia coniuncta est, qua adiuti fideles plures possunt difficultates superare, quae matrimonium comitantur eique sunt insitae, cui si obsequantur, levius eas ferunt, seu patienter tolerant, nec sine meritorum foenore; at in contractu pure civili, cui religio est omnino extranea, imo quem damnat ac detestatur, non est quod gratiam quaeramus; quin potius qui sic contrahunt, divinae indignationi subiiciuntur, Deique iram in se concitant ob habituale peccatum, cui se obligant. *Tertio*, qui coram ecclesia matrimonium contrahunt, edocti sunt, se in perpetuum devincire ex comperta Dei voluntate, qui constituit foedus istud usque ad alterutrius coniugis obitum duraturum, quavis superveniente difficultate; contra vero in coniugio unice civili, eiusmodi perpetuitas ex solo legislatoris civilis beneplacito pendet; quia nempe regimini politico ita placuit, etiamsi contractus nullius valoris in se sit. Durum autem arduumque est nimis in casibus pene innumeris quempiam tali subesse conditioni invito ac reluctante animo, ut quisque ex se expendere poterit.

Atque hoc adeo verum est, ut acatholici, qui facile adeo admittunt divortium, crimini vertant ecclesiae inflexibilem eius doctrinam de absoluta ac omnimoda matrimonii indissolubilitate, nulla habita ratione humanae imbecillitatis, totque difficultatum, quibus interdum coniuges urgentur. Pseudo-philosophi ac libertini hanc ipsam accusationem, suam effecerunt, ac proinde legem ferream appellant. Nunc nos eam in ipsos adversarios intorquemus, atque ita *ad hominem* eos perstringimus: si vobis fatentibus, ac contendentibus etiam, ecclesiae catholicae doctrina de absoluta coniugii indissolubilitate dura ac ferrea est, etiamsi illa nil aliud indicat quam Dei ipsius voluntatem; etiamsi id ipsa doceat de matrimonio, quod est vere et proprie sacramentum novae legis; etiamsi

christianorum coniugium tot sit munitum gratiae praesidiis ad levius eiusdem onera ferenda; etiamsi ultro contrahentes in se perferenda onera illa volentes scientesque in perpetuum suscipiant; quidnam erit censendum de scenicis illis nuptiis, quae his omnibus destitutae sunt, quae nullius in se valoris sub quovis respectu sunt, imo et reprobatae et inhonestae, atque ex sola pendent humani irreligiosique legislatoris voluntate? Num itaque ab eius nutu et arbitrio pendere debebit status tot difficultatibus obsitus, quae illum intolerabilem quandoque reddunt? Idque in perpetuum, si casus excipias, quos legislatori placuerit statuere ad divortium faciendum? Velis igitur nolis, fatendum est, legem, quae sancit coniugia civilia, adversari coniugum libertati, ac fieri etiam ex hoc capite tyrannicam.

Sed et tyrannica evadit eadem lex erga prolem. Nam ut constat ex dictis, quum ii, qui matrimonium pure civile celebrant, necessario irreligiosi sint, perditaeque conscientiae; hi quippe unice cupiditati explendae indulgent, alioquin nullo modo auderent se eiusmodi nuptiali foedere illigare, hinc plerumque fit ut filii ab iis procreati, reclamantibus iuribus omnibus, debeant ethica illa ac religiosa institutione destitui, quae vim in totam illorum vitae seriem ac rationem habet. Utique cum in iuniori adhuc versantur aetate, hi parvi aut nihili faciunt hanc suam originem, vitiosam item irreligiosamque parentum erga se agendi rationem, atque exitiosum neglectum; ast cum adoleverint, maturioremque attigerint aetatem, nisi perversi omnino fuerint, deprehendunt malam atque etiam pessimam, quam nacti sunt, institutionem, ac legem incusant, quod in causa extiterit illius defectus, quem in se experiuntur, cuique amplius non possunt occurrere.

Quod si perversi esse perseveraverint, exleges ac facinorosi, prout plerumque accidit in mortiferis fructibus ex mortifera arbore prodeuntibus, id in acceptis huic legi

referendum est. Nemo est qui nesciat ex paterna ac domestica educatione plerumque dependere maxima saltem ex parte totius vitae conversationem. Si initia bona fuerint, si religionis virtutumque germina sata fuerint in tenellis cordibus, quamvis ad tempus emortua videantur, semina tamen, quae hiberno, ut ita dicam, tempore iacebant veluti extincta, reviviscunt, virescunt, efflorescunt, et afferunt fructum, recurrente calore. Ast qui salutaria eiusmodi semina numquam in se receperunt, nec germen, nec florem, neque fructum boni operis aliquando proferre solent. Experientia quotidiana disparis huius exitus discrimen patefacit. Animadverterunt non pauci, quod plerique eorum, qui sub seculi elapsi exitum ante rebelles motus in Galliis orti erant, atque documentis christianis enutriti fuerant, etsi, a turbine abrepti, fuerint praevaricati, tamen ad bonam frugem demum se receperunt. Contra vero ex iis, qui publicae illius vertiginis aetate viam incredulitatis ac propterea iniquitatis a pueris erant ingressi, vix ac ne vix quidem aliquot inventi sunt, qui meliores sensus induerint, sanctioremque vitam sint amplexi.

Iam vero talis est infelix eorum conditio, qui nascuntur ex iis, qui civili coniugio copulantur. Si enim isti nihili religionem ducunt, si prave gradiuntur, si male vivunt, quomodo poterunt filios suos rite instituere, documenta pietatis instillare, sacramentorum commendare frequentiam, aliaque eiusmodi praestare, quibus cereos quodammodo illorum animos ad virtutem forment ac flectant? Insanum foret haec a talibus parentibus expectare. Hinc nonnisi generatio impiorum emergere poterit ex eiusmodi connubiis. « Proverbium est: inquit Scriptura, adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea (20);» tum « Perversi difficile corriguntur (21). »

(20) Prov. XXII. 6.
(21) Eccles. I. 15.

Quapropter quamvis tales filii lubentes ex pravitate cordis sui ambulent, quia caeci sunt, neque agnoscunt quo gradiantur, nihilominus si paullo animadverterent, et in causam tantorum malorum serio inquirerent, nonne accusare iuste possent legem illam, tamquam eiusmodi gravis adeo infortunii originem? Quum praeterea haud raro eiusmodi filii bonis patrimonialibus sint destituti, neque sint idonei ad honestam sibi parandam sustentationem, quum et tabescere cogantur in rerum pene necessariarum penuria, quomodo non incusabunt tyrannidis legem illam, ob quam in tantum infortunium prolapsi sunt?

Demum respectu civium universim tyrannicam evadere eamdem legem non uno ex capite evincitur. Ac primo ex perturbatione familiarum, parentum, ac propinquorum. Hi enim, si christiani sinceri fuerint, non poterunt omni qua valeant ratione, non damnare, ac detestari abominabiles eiusmodi nuptias, atque prout in ipsis est, eis obsistere, ac impedire quominus contrahantur. Siquidem norunt eos, qui illas attentant, in ruinam ac perniciem animarum suarum, in detrimentum religionis et conscientiae id praestare, atque in praeceps malorum omnium proruere. Quum vero parentibus cordi esse debeat tum animi tum corporis filiorum suorum incolumitas, iure ac merito moerore et dolore afficiuntur, si audierint filios suos aut filias in exitiosum eiusmodi laqueum se coniicere. Ex altera vero parte, inconsulta, prout esse solet, et inconsiderata iuventus mala sua aut non videt, aut parvipendit, caeco se cupiditatum aestu, imo et furore abripi sinit, nec quo pergat animadvertit; effraenes adolescentes consilia omnia negligunt, monita et comminationes spernunt, aures occludunt omnibus rationum momentis, nec aliud intendunt, nisi ut eo, quo tendunt, tandem aliquando perveniant.

Rem ita identidem contingere ecquis ignorat? Hac de causa institerunt principum oratores apud patres tridentinos, ut ipsi vellent impedimentum dirimens constituere ad compescendam eiusmodi filiorum familias insaniam (22). Quum vero iustis gravibusque de causis noluerint precibus acquiescere illius concilii patres, in quibusdam regnis saltem promulgata est lex, qua filii familias, qui inconsultis, obstantibusque parentibus, matrimonium celebrarent, declarantur civilibus iuribus omnibus tum quoad successionem, tum quoad haereditatem destituti, aliisque poenis obnoxii facti sunt.

Age nunc legem a politico regimine promulgari, qua coniugia mere civilia sanciantur; illico non pauci, cum stultorum infinitus sit numerus, se praecipites dabunt ad eiusmodi nuptias ineundas ingenti parentum afflictione et moestitia. Coguntur nihilominus innumeri cives iniquae legi illi se subiicere, quae ipsorum cervicibus imponitur, quod nemo negaverit tyrannidem sapere, immo vero et esse quam maximam (23).

Vi praeterea eiusdem legis cogerentur fideles tamquam legitimos filios illos admittere, quos religio, seu catho-

(22) Cf. Card. Pallavicini *Dell'istoria del concilio di Trento* lib. XXII. cap. II. n. 16. ubi legitur: « Gli ambasciadori francesi nel giorno ventesimoquarto di Luglio fecero una solenne richiesta al concilio per parte del re... s'annullassero i maritaggi contratti da' figliuoli di famiglia senza il consentimento de' genitori, come per lo più e dannosi e disconvenevoli alle famiglie, e materia d'odio anzichè di amore tra i consorti.»

(23) Quod si a regimine politico sanciente coniugium mere civile, lex quoque sanciretur de nullitate coniugiorum, quae a filiis familias invitis parentibus inirentur, non ideo omnia evitarentur incommoda; siquidem facillime eiusmodi lex eludi posset, praesertim si reclamarent non alia de causa ipsis parentes obsistere, quam quod iuxta legem coniugium celebrare vellent.

Nec obstat etiam invitis parentibus posse filios familias inire nuptias ad normam concilii tridentini. Nam res multo difficilior accidit, et qui eos ita coniungerent minime invenirent, si casum excipias, quo ipsi coram parocho reluctante consensum ex improvviso elicerent, et tunc poenas gravissimas certissime incurrerent; qui vero coram magistratu civiliter nuberent, id praestarent ad legis praescriptum. Sane experientia ostendit nonnisi rarissime id contingere; contra vero matrimonia civilia passim obtinent illis in regionibus, in quibus lex, de qua disserimus, obtinet.

lica ecclesia uti spurios ac nothos declarat. Et quod consequens est, tenerentur in iisdem agnoscere privilegia omnia, quibus ab ecclesia privantur, quaeque tamen iisdem vindicat lex, dum legitimas decernit civiles nuptias.

Itaque respectu tum ecclesiae, tum coniugum, tum prolis, tum denique civium universim constat veritas, quam enunciavimus, nimirum legem, quae sub libertatis obtentu civilia cohonestat coniugia, in legem desinere verae libertati inimicam atque adeo esse tyrannicam.

CAPUT IV.

DE ARGUMENTIS PRO LEGE DE MATRIMONIO CIVILI.

Postquam coniugia ac legem, quae circa ea versatur, sub omni respectu expendimus, religioso, ethico, ac politico, restat ut argumenta excutiamus, quibus non ita pridem eiusdem legis fautores adnisi sunt eam cohonestare. Quod nisi sedulo praestemus, accusare nos merito possent adversarii unam tantum nos audisse partem, remque sub una tantum facie spectasse, ac neglexisse rationum momenta, quibus ii permoti fuerunt ad eam promovendam. Dissimulare autem adversariorum argumenta non est ea refellere.

Ne vero *a priori*, ut aiunt, nobis eiusmodi argumenta confingamus, eaque ex penu nostro depromamus, nobis proposuimus maiori qua fieri potuit diligentia ea exhibere ex discussionibus, quae in subalpinis comitiis, atque in subalpino praesertim senatu habitae sunt, cum de hac lege sancienda ageretur. Quum enim incredibili ardore quaestio haec fuerit agitata, putandum est legis fautores argumenta omnia validiora attulisse sive ad refellendos adversarios, sive ad ipsam legem constituendam ac consolidandam. Haec nos fideliter semper pro viribus afferemus, plerumque verbum verbo reddemus, ne quidpiam

virium ac valoris deperdant. Nos quidem plura ex his argumentis praeoccupavimus, alia etiam directe supra refellimus: attamen abs re non erit non pauca addere, plura etiam iterare, praesertim cum ipsi adversarii eadem principia eademque argumenta toties regesserint. Oratorum nomina silentio praeterimus (1), ac si quid acre dicendum nobis erit, id non contra personas, sed contra errores dicta esse volumus.

Ut autem ordini ac claritati inserviamus, proposita argumenta in classes varias distribuimus, prout legem propugnant sub aspectu politico, ethico ac religioso, ac singulos articulos in paragraphos etiam dividemus, ut singillatim hinc quidem obiectio, inde vero responsio oculis legentium subiiciantur (2).

(1) Nobis potius gratissimum est recensere nomina eorum, qui contra legem strenue pugnarunt; senatores saltem commemorabimus, qui eloquenter disseruerunt; fuerunt autem archiepiscopus vercellensis, D'Augennes, ac nobilissimi viri Stara, Robertus d'Azeglio, Colli, Di Castagneto, Della Marmora, Della Torre, Pallavicino-Mossi, Sauli, Di Colubiano.

(2) Hac ipsa de causa quod nobis proposuerimus argumenta promere ex discussionibus, quae factae sunt circa legem de matrimonio civili in comitiis, atque in senatu, nullam rationem habuimus eorum, quae a nonnullis privatis scriptoribus hac super re exarata sunt. Nullam proinde mentionem iniecimus opusculi, quod hoc sub titulo vulgatum est: *De' principi razionali e di diritto positivo intorno al matrimonio. Saggio per Giovanni Siotto-Pintor deputato al parlamento sardo.* Cagliari 1852 Item alterius opusculi inscripti: *Del matrimonio come contratto civile e sacramento. Studi di Filippo Maineri.* Genova 1853. Qui furiosorum more debacchantur, deque iis scribunt, quae non callent; quibusque iure aptari possunt quae ait Apostolus I. Timoth. I., 6. 7. «Conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores non intelligentes neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant.» Verum quod magis ridiculum est, alter istorum cum sit sacerdos declamat adversus *castam clericalem*, quasi ipsum puduerit gradus sui. Adeo se abiecit! Ceterum nihil pene novi addunt iis, quae in comitiis et in senatu allata sunt. Idem dic de aliis eiusmodi opellis eiusdem ponderis, quas negleximus.

ARTICULUS I.

Expenduntur argumenta pro lege sub aspectu potissimum politico.

§. I.

Spiritus cultioris aetatis ac principia Subalpini Gubernii.

Ab eo, qui legem comitiis subalpinis proposuit, haec prolata fuerunt: « Antiqua ac recens patriae nostrae legislatio dependentem faciunt omnino validitatem contractus civilis matrimonii *a consecratione religiosa*, id est ab actu, in quo gubernium ac magistratus civiles nihil habent commune. At vero hoc consistere non potest *cum spiritu qui praesentem humanitatem in hac cultiori aetate informat*, neque *cum principiis quibus nostrum gubernium regitur* (3).» Hinc novam legem proponit, qua statuatur primo quidem, ut coniugium civiles non habeat effectus, nisi quatenus actus coniugii in regestis magistratus civilis a contrahentibus conscribatur; deinde vero ut coniugium coram civili iudice celebrari possit, quum religiosa matrimonii consecratio locum habere non potuerit.

Responsio.

Duo igitur afferuntur motiva ad abrogandam antiquam recentemque legislationem circa matrimonium, et ad novam substituendam legem: tum videlicet *spiritus* qui humanitatem seu civilem cultum aetate hac nostra informat, tum *principia* quibus novum regitur subalpinum gubernium. Sic etiam duo proponuntur nova hac lege decernenda; alterum, quod non possint frui effectibus civilibus, quorum matrimonialis contractus in tabulis actorum civilium non fuerit inscriptus; alterum vero, quod hic contractus ex se solo sufficiat ad legitimum constituendum coniugium,

(3) *Parlamento sardo. Camera dei deputati.* Tornata dei 12. Giugno 1852. pag. 517. col. 2.

quoties et quacumque ex causa actus religiosus locum habere nequiverit. In his quaedam sunt satis aperta, quaedam vero velamine tecta. Nobis proinde onus incumbit eorum, quae aperta sunt, impietatem demonstrare, et velamen detrahere iis, quae conteguntur.

Catholicae legislationis, quae hactenus viguit, antiquandae, eiusque in locum protestanticae legislationis subrogandae causa prima adducitur *spiritus qui aetate hac nostra hodiernam humanitatem informat.* Nimirum aliis verbis prima ratio est spiritus protestantismi, qui invasit magnam comitiorum partem, praecipue vero leguleiorum, levissimorumque litteratorum, qui nec religionem catholicam bene noverunt, nec protestantismum, cuius spiritu incauti homines informantur. Haec, ut innuimus, satis aperte fuerunt prolata ab eo, qui novae legis schema proposuit. Et sane, qui alius spiritus quam protestantismi, non quidem dogmatici, sed increduli ac negativi, potuisset homines informare, qui sub exquisitioris cultus specie non profitentur nisi religionis nomen, sed re et animo athei sunt practici? Qui ex protestantismo unice mutuantur odium contra romanum pontificem et contra ecclesiam catholicam, a qua se vindicare gestiunt, ac interea tum catholicismum tum protestantismum despiciunt et irrident?

Utique talis est spiritus, qui longe lateque dominatur, agente potissimum anglicanismo, qui tum per societatis biblicae londinensis membra et cooperatores, tum per emissarios undique diffusos pecunia potissimum animarum mercaturam exercet, et ad perduellionem populos commovet tam religiosam quam civilem. Pessima autem haec dispositio illa est, quam exquisitioris cultus denominatione pseudo-politici cohonestant.

Pronum ex istis est colligere, spiritum huiusmodi haud pati posse legislationem de matrimonio christiano, prout novus legifer noster ingenue fatetur, imo et contendit;

neque nos ei sinceritatem hanc crimini vertimus, nosque cum illo fatemur legislationem catholicam cum tali spiritu nullo modo posse consistere.

Ast quis hunc induxit spiritum, quis promovet, quis dilatare modis omnibus connititur? Ii ipsi, qui novam legem proponunt. Hi sunt, qui ova fundunt, qui ea fovent, ac demum excludunt.

Spiritus exquisitioris aetatis est *relativus*, et cum opinione publica immutatur. Alius fuit hic spiritus aetate rebellionis gallicae sub elapsi saeculi exitum; alius extitit sub restauratione, quam vocant; alius demum sub medium praesentis saeculi. Spiritus, qui viguit labente superiori saeculo, erat voltaerianismi spiritus et atheismi; sub restauratione fuit semi-christianus; huic successit spiritus protestantismi negativi, seu rationalismi. Quocirca si lex accommodari debet spiritui politioris aevi, ut isti contendunt, quem turbulentorum hominum opinio praevalens ingerit, ea debuit esse athea in epocha prima, semi-christiana in altera, prout nunc temporis debet esse protestantismo negativo informata. Huc nimirum tendunt generatim comitia subalpina et aliquot gubernii illius moderatores. Quod si praevaluerint decursu temporis mormonismus, communismus ac socialismus, ut lex sit huic *spiritui* accommodata, debebit patrocinari polygamiae, immo vero et communitati uxorum ad normam reipublicae, quam Plato somniavit (4), et ita porro. Talis est sapientia nonnullorum conditorum legis in subalpinis.

(4) Sane Plato lib. V. *De republ.* ubi ex professo hoc de argumento agit, prius statuit generale principium pag. 449. «Omnia communia esse inter amicos,» quod deinde paullatim evolvit, hinc constituit pag. 452.

«Veluti gregi custodes atque pastores, ita viros mulieribus praeficere;» demum pag. 457. schema hoc legis proponit: «Horum virorum uxores omnes omnium communes sunto, nulloque privatim ulli consuescitor. Communes porro liberi sunto, neque pater filium, neque filius patrem agnoscito;» et iterum paullo post: «Communes esse uxores, communesque liberos: si modo fieri possit;» tum pag. 460. «Quin et laxior condonanda est cum mulieribus congrediendi licentia;»

Iamque digressi sumus in alterum motivum novae istius instituendae legis ac veteri sufficiendae; nempe *principia quibus regitur novum subalpinum gubernium*. Quaenam principia haec in specie sint, nuspiam satis expressa reperi; si tamen coniecturae locus dandus est ex factis publicis ac notoriis, quae sibi invicem raptim succedunt, operosum non est divinare. Videntur igitur esse voluntas opprimendi utrumque clerum, secularem scilicet et regularem; expoliatio ac depraedatio bonorum ecclesiasticorum; cauta ac per gradus procedens abolitio primi constitutionis articuli, quo religio catholica *sola* status religio declarata est; inductio anglicanismi temperati; compressio bonorum et evectio pessimorum, ac demum effraenis carnis licentia. Talia sunt principia, quibus non pauci vellent fieri duces gubernii subalpini, cum quibus profecto lex catholica antiqua et recens de coniugio religioso componi nequit. Idque ingenue fatendum est. Verum qui eiusmodi principia profitentur, meminisse deberent veteris illius effati: quod, qui spinas serit, tribulos colligat necesse est. Hi autem tribuli erunt anarchia, tumultus, perduelliones, direptio bonorum, destructio familiae et societatis.

Quod si eiusmodi sunt principia, quibus non pauci moderari vellent gubernio subalpino, prout ex continenti publicorum factorum successione manifeste colligitur; cum impia ea sint, concludamus necesse est, piam esse non posse legem, quae cum illis componi debet. At forte norma

pag. 461. « Fratres et sorores lex concedet una congredi, si sors ita tribuerit.» Nec obliviscitur ritus religiosi, subdens pag. 489.» Igitur festi quidam dies erunt legibus constituendi, in quibus sponsos et sponsas congregemus, et sacra et hymni, qui nuptiis illis conveniant, a poetis nostris instituantur, nuptiarum autem numerum *Magistratuum arbitrio* permittimus.» *Platonis Opp. omnium* tom. II. in fol. graec. et latin. ex interpr. Serrani, ed. Henr. Stephani 1578. Omisi turpia quamplurima, quae ibidem *divinus* Plato constituit. Isti sunt fontes, ex quibus communistae hodierni aquas suas derivarunt.

gubernandi, cui innuit orator, ea est, quam in senatu regius minister proposuit: «Per hanc legem duo *magna* principia, inquit, in actum deducentur; alterum, quod gubernium sine ulla prorsus exceptione de omnibus actibus civilibus leges ferre debeat; alterum, conscientiae libertas (5).» At de duobus hisce *magnis* principiis mox plura dicemus.

Interim reliquum est, ut velum detrahamus ab iis, quae per novam legem decernenda proponuntur, sed veluti tecta ac obvoluta.

Primum est, quod non possint frui effectibus civilibus, quorum contractus relatus non sit in tabulas actorum civilium. Quasi nempe non alia fuerit ratio exigendi inscriptionem coniugii in publicis tabulis, quam statuendo, ut verum contrahatur coniugium validumque coram solo magistratu civili. Hic non est nisi fucatus praetextus. Siquidem pluribus aliis modis, quam per legem de matrimonio civili potuisset haec inscriptio obtineri. Nam statui poterat, ut, *praeter* actum religiosum, sive antea sive post, contractus coniugales omnes inscriberentur libris civilis magistratus, prout nonnullis in locis obtinet, praesertim in codice neapolitano (6). Poterat provideri decernendo multam, aut poenam contra eos, qui eiusmodi inscriptionem negligerent. Poterat constitui, ut non fruerentur effectibus civilibus, qui simultanee utrique religiosae ac civili obligationi non satisfacerent, praecipiendo, ut fit

(5) *Senato del regno.* Tornata del 16. Dicemb. 1851. pag. 189-90.

(6) Ita quidem in nonnullis regionibus cautum est, praesertim vero, ut diximus, in regno neapolitano; attamen istud sistema in praxi nec paucis nec levibus incommodis obnoxium deprehenditur. Cum enim statutum fuerit in codice neapolitano sub gravissimis poenis, ut parochi non iungant coniugia, nisi prius contrahentes exhibeant testimonium magistratus civilis; quumque casus quandoque occurrant, in quibus parochi ex conscientia tenentur matrimonia iungere, magistratu prorsus rei inscio, inde fit, ut vexationibus non minimis subiacere debeant. Huius codicis articulum, qui huc refertur, paulo post describemus. Hac etiam de causa, ut antea adnotavimus, mutinensis dux eiusmodi praescriptionem temperavit, et sic dum obtinet finem, incommoda omnia sustulit.

*

in Anglia, ut civilis magistratus adesset actui religioso (7). Poterat, ut verbo dicam, pluribus aliis modis occurri, si hic revera legis finis praestitutus fuisset.

Verum valde fuit diversus: nonnisi tegumentum fuit ad involvendam malitiam, quae intus latebat. Praecipuus scopus erat non modo actum civilem a religioso discerpere; non modo dividere contractum civilem nuptiarum a sacramento; verum etiam tacite insinuare totam coniugii rationem in solo contractu civili adaequate consistere, ac persuadere essentiam coniugii ita constitui complerique per solum contractum civilem, ut sacramentum, seu ut ipsi loquuntur, actus aut ritus religiosus non sit nisi quid accidentale, ac superveniens actui iam in suo esse completo, adeoque possit, incolumi ipsa re, adesse aut abesse.

Talem nempe fuisse scopum huius legis proponendae aperte liquet ex altero capite, quod sanciendum proponitur. Etenim secundo loco dicebatur: *in casu quo consecratio religiosa matrimonii haud potuerit locum habere, matrimonium ipsum coram iudice contrahi poterit.* Quibus in verbis totum latens virus continetur, hypocrisisque vaferrima. Nam decernitur matrimonium plenum et integrum haberi, cum coram solo iudice laico celebratur, adeo ut coniuges legitimi censeri debeant, qui, omisso sacramento, consensum suum invicem coram laico praebuerint, ac dummodo legis praescripto paruerint, tuto posse contrahentes negligere sacramenti susceptionem, utpote ceremoniam parvi nulliusve momenti.

Verum quidem est ab eo, qui legem proposuit, sermonem fieri de casu quo *consecratio religiosa haud potuerit*

(7) De qua tamen anglica forma iam animadvertimus, ei inesse perniciosum principium, quod liberum contrahentibus relinquatur coniugium suum, prout libuerit, per actum religiosum consecrare, aut omittere: quod in illo regno, quod ad paganismum magnis passibus accedit, mirum non est; ast in regione catholica, in qua fide tenetur matrimonium esse sacramentum, quis ferat?

locum habere. Hoc nimirum est quod vaferrimam hypocrisin vocavimus; quasi scilicet de solo casu exceptionali et contra legislatoris mentem voluntatemque ageretur, ac generatim religiosa consecratio maxime cordi haberetur. At si cordi aeque fuisset his legislatoribus ritus seu consecratio religiosa, debuisset ob rationis paritatem constitui, ratum fore contractum religiosum illis in casibus, in quibus *actus civilis haud potuerit locum habere*. Ast illi maxime caverunt ab hoc sanciendo, quia contrarius omnino erat legis statuendae scopus, nempe ut actus seu contractus civilis ad exclusionem consecrationis religiosae sanciretur.

Praeterea non agi in hoc legis schemate de solis casibus exceptionalibus, cum actus religiosus locum habere nequit, ex eo patet, quod hi legislatores in totius legis schemate nec verbum nec syllabam adiecerint de necessitate actus religiosi, proclamaverintque separationem plenam, atque independentiam omnimodam matrimonii civilis a matrimonio religioso. Quod principium cum universale sit, constat ad omne coniugium extendi, et non ad solos casus exceptionales coarctari.

Deinde, si ex ipsorummet pseudo-politicorum doctrina coniugium mere civile plenum perfectumque in essentia sua matrimonii est, ita ut nihil ei desit, quin eiusmodi coniuges tuti in conscientia sua esse valeant, manifestum est, non in solis casibus exceptionalibus, sed semper hac ratione ad normam civilis legis celebrari coniugia posse.

Demum; dato etiam, quod ageretur tantum in praxi de casibus exceptionalibus, eiusmodi restrictio non iam ex lege proposita dimanaret, sed unice ex conscientia subditorum. Etsi enim lex civile coniugium omnibus indiscriminatim proponat, tamen catholici, in quorum animis fides extincta adhuc non est, a ludicra illa celebratione, quae coram solo iudice laico sine actu religioso fieret, passim refugerent. Verum per se, et ex intentione legis

celebratio proposita esset regulae instar, potius quam exceptionis, vel certe lapsu temporis paullatim exceptiones fierent communes, atque exceptiones esse desinerent.

Concludamus itaque id quod unice verum est, fundamentum hoc, quod obtenditur ad legem istiusmodi statuendam, impietatem redolere, et hypocrisin sapere verba, quibus res sancienda proponitur.

§. II.

Politica libertas conscientiae.

Principium de conscientiae libertate unum est ex praecipuis motivis, quae prolata sunt, et proferri solent ad legem de connubio mere civili sanciendam. Hoc afferebant deputati plerique omnes in comitiis subalpinis (8); hoc non pauci senatores urgebant (9); huic denique insistebat minister regius, cui summopere cordi erat, ut lex proposita adoptaretur (10). Nihil frequentius in actis legislativis occurrit, quam *libertas coscientiae;* et quod praescriptio ritus religiosi obligatoria videatur contraria libertati conscientiae; quod non oporteat leges obligatorias statuere ad actum religiosum ponendum; quod in negotiis religiosis relinqui debeat absoluta libertas, alioquin sacrilegia fiunt; quod imponere obligationem ritus religiosi foret contra libertatem conscientiae; et ita porro; nam eadem crambes variis modis semper iteratur (11).

(8) *Camera dei deputati.* Tornata del 1. Luglio 1852. pag. 640 segg. item Tornata dei 2. Luglio pag. 655 segg. etc. etc.

(9) *Senato del regno.* Tornata dei 15. Dic. 1852. Tornata del 16. Dicembr. Tornata dei 18. Dicembr. etc. etc.

(10) Tornata dei 16. Dicembr. pag. 189.

(11) Loc. citt.

Responsio.

Ut hic etiam quadam methodo et ordine progrediamur in hoc exeutiendo principio, inquiramus oportet 1 Quinam sint, qui tanto zelo principium proclamant de libertate conscientiae; 2. Quidnam veniat sub hac denominatione libertatis conscientiae prout ab his usurpatur; 3. An sibi cohaereant, qui absolutam hanc conscientiae libertatem proclamant; 4. Quaenam sit vera ac germana conscientiae libertatis notio; 5. Num componi nequeat vera conscientiae libertas cum lege, quae ad ritum religiosum, ac nominatim ad formam tridentinam obliget contrahentes.

Primo. Qui igitur amore flagrare videntur conscientiae libertatis, adeo ut illam solam in deliciis habere profiteantur, sunt ii ipsi, qui destinato consilio atque ex praeconcepto firmoque proposito iugiter continenterque libertatem conscientiae insectantur; sunt ii ipsi, qui persecutionem saevam et acerbam movent conscientiae libertati; sunt denique ii ipsi, qui nova quotidie inventa speculantur ad civium torquendam conscientiam; qui multas, carceres, exilia decernunt iis, qui, ne contra propriam conscientiam operentur, obsistunt viriliter iniustis ac iniquis huiusmodi libertatis conscientiae postulationibus. Nota omnibus sunt exilia Archipraesulum taurinensis et calaritani, eo quod noluerint contra propriam conscientiam acquiescere molitionibus atque machinationibus contra ecclesiam excitatis, et participes fieri iniquorum consiliorum adversus illius libertatem, ac independentiam a civili potestate; sunt ii ipsi, qui contra ius fasque omne naturale atque divinum post bonorum direptionem religiosos viros ac sanctimoniales a propriis domiciliis expellunt militari vi, ne iuxta propriam conscientiam Deo, cui votis se manciparunt, inserviant; sunt ii ipsi, qui delatoribus omnia impleverunt, ut verbum carpere possint

ab ecclesiae ministris, eosque vexant, deturbantque ex proprio quo funguntur officio; sunt ii ipsi, qui sinum ac viscera matris suae, ecclesiae scilicet catholicae, per dies singulos discerpunt, ac misere lacerant, eo quod eam cernant impia haec sua molimina aversantem, ac bellum atrox intentant adversus rom. pontificem, quem modis omnibus aut per se aut per improbos quosque publicis libellis, caenosisque ephemeridibus pretio conductis proscindunt; sunt ii ipsi, qui a nulla re magis abhorrent, quam a vera libertate conscientiae, quam odio revera habent et abominantur (12).

Dum proinde audis istiusmodi homines clamare libertatem conscientiae, eam summis laudibus ac praeconiis extollere, ac veluti optatum bonum tandem acquisitum

(12) Apposite cit. Carillo haec de libertate conscientiae nostrorum pseudopoliticorum idolo habet: « *Libertà di coscienza*. E nel vero, guardate gli autori della nuova infernale dottrina, al labbro ed alla mano: la voce è di Giacobbe, ma la mano è di Esaù. - *Libertà di coscienza!* È questo il loro credo, la loro fede, la loro religione. Ma diteci adunque, uomini dalle parole melate, e dalla mano di ferro, moderati delle cento politiche e delle cento morali, diteci: È forse per favorire la libertà delle coscienze, che voi laici, e niente più che laici, qualunque sommità occupiate nella gerarchia civile, stracciate canoni e concordati, imponete à cattolici le vostre leggi anticattoliche, strappate alle greggi i vescovi, gl' imprigionate, li spogliate, li cacciate in esilio poveri e raminghi, sol perchè cattolici di coscienza e di opere? Cacciate ordini religiosi, e ne divorate le proprietà consacrate dalla legge, dalla natura, dalla religione - Stravolgete opere pie, e profanate la sacra volontà de' testatori; e sul vostro esempio, e sotto l'egida vostra lasciate che clero, vescovi e papa, e chiesa cattolica e religion dello stato sieno trascinati nel fango da una turba incivile ed impudente, che disonora i governi, e ricondurrebbe l'età de' barbari? - *Libertà di coscienza!* Eh no: ditela libertà rivoluzionaria, libertà tiranna. Ella si vanta la mandataria del popolo, e brutalmente flagella la coscienza e la libertà del popolo. - Si serve del protestantismo per minare il cattolicismo, e colle leggi e colle compre voci del più osceno giornalismo bandisce guerra mortale ad ogni culto positivo. Intanto mentre ogni libertà cade sotto il despotismo della rivoluzione, che domanda la libertà del culto, per avere licenza di ridersi di ogni culto. - Domanda la libertà politica per aver licenza di non soggiacere a nessun reggimento politico. - Domanda la libertà di coscienza per manifestare al mondo, che debbono finalmente perire il dovere e la coscienza. A costoro sta bene, che si dia un matrimonio civile, ossia profano e brutale per iscioglierе da ogni reliquia di diritto divino le loro rilasciate coscienze. Se tale è l'acquisto della civiltà moderna, anzichè ricercare proseliti, farebbe meglio a coprirsi di rossore, e rientrar nelle tenebre.» *Istituzioni delle leggi civili di Napoli* pag. 330-331.

ceu fructum exquisitioris humanitatis huius aevi plenis buccis proclamare, nonne tibi in mentem subit oraculum Christi Domini Salvatoris nostri : *Attendite a fermento pharisaeorum quod est hypocrisis?*

Secundo. At quidnam istiusmodi homines significant sub libertatis conscientiae phrasi? Profecto non aliud apud eos hoc nomine significatur, quam quod haeretici protestantes, quorum spiritu ac principiis reguntur; quam quod abiecti increduli infimae classis, scilicet voltaeriani; quam quod rationalistae vulgares, dum et ipsi has voces usurpant, designant. Eiusmodi autem significatio bifariam dividitur, scilicet in negativam, et in positivam; utramque singillatim expendamus oportet.

In sensu negativo verbis *libertatis conscientiae* significant, se neminem pati velle, qui sibi adversetur, adeoque libertatis nomine ferendos esse negant eos, qui aut dictis aut factis sectantur principia omnino opposita iis, quae isti libertatis assertores profitentur. Hos vocant libertatis inimicos, eosque excludi volunt a publicis officiis, a magisterio et institutione iuventutis in litteris, bonis artibus ac religione; excludi eos volunt a quovis magistratu : potissimum vero exclusum volunt influxum utriusque cleri in populi mores, disciplinam atque instructionem, ut liberi ipsi omnino sint, veluti a spectris, quae perturbare eos quoquomodo possent, taciteque arguere et commonefacere, ut se avertant a viis pessimis, quibus incedere vellent. Itaque libertatis conscientiae titulo neminem sibi volunt verbo, aut re contradicere, ideoque bonis omnibus acre bellum indicunt. Neque hoc novum est; tales erant duobus aut ter mille ab hinc annis, qui iamdiu hanc eamdem libertatem conscientiae consectabantur : « Considerat, aiebat David, peccator iustum, et quaerit mortificare eum (13). » Dixerunt (impii), subdit

(13) Ps. XXXIV. 32.

auctor Sapientiae, cogitantes apud se non recte: circumveniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae... ...tamquam nugaces aestimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis (14).» Exinde originem trahit illa insectatio bonorum ac dira vexatio, quam seditiosi homines rerumque novarum cupidi quovis tempore excitarunt adversus religionem, non minus quam adversus saniorem politicen (15).

In sensu vero positivo, *libertas conscientiae* significat 1. emancipationem omnimodam ab ecclesiae auctoritate, legibus ac disciplina; ita ut nullam prorsus ecclesiae rationem habeant, quidquid statuat, praecipiat, et comminetur. Veluti filii exleges ac omnino feriati a quovis fraeno, ab ecclesia, seu quod idem est, a religione divina emancipationem proclamant. Nam cum nulla alia sit vera religio divina praeter catholicam, huius excusso iugo, iam iugum excutitur religionis divinae positivae. Ea vero, quam isti sibi effingunt, religio, quamque etiam magnificis verbis amplificant, non est nisi ens rationis, et phantasma, a quo nihil pertimescunt contra conscientiae latratus.

Significat 2. emancipationem cupiditatum et carnis praecipue, ut licentiae ac libidini toti se dedant, renoventque ethnicorum impudentiam in spectaculis, in theatris, in libris, in picturis, in foeminarum commutatione, communitate, in abolitione coniugii, ad quam ut viam sibi parent, incipiunt a statuendo coniugio civili, ut sic progredi possint ad divortia, ad polygamiam et ad ea, quae

(14) Sap. II. 1-12 seqq.

(15) Istorum imaginem graphice nobis iamdiu exhibuit Sallustius *De republ. Epist.*. I. n. 3. «Factiosi, inquit, regunt, dant, adimunt quae lubet; innocentes circumveniunt, suos ad honorem extollunt; non facinus, non probrum, aut flagitium obstat, quo minus magistratus capiant; quod commodum est, trahunt, rapiunt; postremo, tamquam urbe capta, lubidine ac licentia sua pro legibus utuntur.»

pone sequuntur. Atque haec ratio est, cur in huius legis discussionibus frequenter adeo fiat mentio libertatis conscientiae.

Significat 3. libertatem mali impune patrandi sub quovis respectu, confingendi sibi et profitendi quam malunt religionem; sectandi quam vocant propriam *convictionem;* perturbandi societatem, ac nova quaeque moliendi; demagogiam, si opus fuerit, proclamandi: perveniendi quavis ratione ad honorum verticem, ad regimen politicum moderandum, et ad quidlibet audendum.

Sane nisi hic finis supremus esset istiusmodi libertatis conscientiae, quam sibi huius libertatis assertores proponunt, licet diverso sub gradu, peculiarique sub adspectu, prout unusquisque affectus est, quid opus esset eiusmodi libertatis conscientiae solemni adeo proclamatione? Ecquis non fruitur libertate conscientiae ad obsequendum religioni, ad Dei et ecclesiae mandata servanda; ad templa celebranda; ad frequentanda sacramenta; ad pietatem consectandam; ad misericordiae opera excolenda; atque, ut verbo omnia complectar, ad bonum quodvis operandum? Numquid aliquando boni ac pii petierunt sibi dari libertatem conscientiae in religione catholica, et in statu vere catholico? Immo vero ii erant in plena huius libertatis possessione. Si quando eam reclamarunt, reclamarunt sub tyrannide ethnicorum ad liberum suae religionis exercitium; reclamarunt sub vexatione haereticorum ad eumdem finem; reclamarunt, uti et nunc reclamant a pseudo-politicis, licet frustra; nam ethnici, haeretici, increduli ac pseudo-politici numquam bonis libertatem, quam pro se petunt et efflagitant, concedunt; suntque vere ex illorum numero, quorum *viscera crudelia* in Bibliis dicuntur.

Itaque in ecclesia atque in statu catholico, non boni ad faciendum bonum libertatem conscientiae flagitant, sed mali ac pessimi quique venundati ad faciendum malum

libertatem exoptant, ut libere vivant, aut in indifferentia quiete degant, ut id liceat quod libet. Hi similes sunt perversis illis iudaeis, qui, cum in vera religione adhuc florente tranquille quiescerent, libertatem conscientiae sibi dari petierunt ut a lege mosaica recederent; «In diebus illis exierunt ex Israel filii iniqui, et suaserunt multis, dicentes: eamus et disponamus testamentum cum gentibus, quae circa nos sunt....et bonus visus est sermo in oculis eorum. Et destinaverunt aliqui de populo, et abierunt ad regem: et *dedit illis potestatem ut facerent iustitiam gentium*, et aedificaverunt gymnasium secundum leges nationum (16).» Rex assensus est, immo «iussit aedificari aras et templa (17).» Sic isti pseudo-politici religionis catholicae pertaesi, deserentes instituta maiorum inierunt foedus cum valdensibus genevensibus, hugonottis, anglicanis aliisque haereticis, una cum secretis quibusve sectis, quarum scopus est omnem religionem revelatam destruere, libertatem conscientiae proclamarunt ad turpissima omnia facinora impune perpetranda. Templa protestantibus erexerunt, bellum excitarunt adversus religionem catholicam, et adversus romanam sedem, utpote solam divini depositi custodem atque tutricem; exagitarunt quotquot fideles catholicae ecclesiae observatores, verique Dei cultores repererunt aut reperiunt, sub hisque auspiciis libertatem coniugiorum adstruere aggressi sunt.

Tertio. Ast cohaerent ne sibi isti libertatis conscientiae absolutae assertores et vindices? Nullo modo. Nam hi ipsi sunt, qui iuramenta exigunt et imponunt quoties id sibi suisque negotiis expedire arbitrantur. Iusiurandum exigunt ab omnibus ad *Statutum* fideliter servandum, atque in sua integritate custodiendum, nominatim ab iis, quos publicis negotiis praeficiunt; expetunt a publicis magistratibus ac mi-

(16) I. Machab. I. 12-15.
(17) Ibid. v. 19.

nistris, sibi solis ius reservantes intelligendi, interpretandi et applicandi idem Statutum ad fines suos ; se ipsos sacramento religionis devinciunt ad proprium sibi demandatum munus sincere obeundum ; et ita porro. Vae autem illis, qui violatores ac fractores huiusce iurisiurandi deprehenderentur! In hos enim veluti in violati iuramenti reos animadvertunt gravissimis poenis. Si qui vero legis ac iurisiurandi fractores propriam obtendant *convictionem*, si *libertatem conscientiae* pro se reclament, eos non audiunt, sed iuxta legum rigorem plectunt.

Quinimo in istorum pseudo-politicorum manibus iusiurandum instrumentum est potissimum, quod ipsis mirifice inservit ad vexandos ecclesiae ministros. Identidem enim ipsi aut leges condunt, aut decreta edunt ecclesiae iuri ac libertati contraria, quae optime noscunt haud posse a catholico sacerdote, aut a religiosis viris, salva conscientia, servari. Attamen eos cogunt ad praestandum iusiurandum, quo iniquis illis legibus sese obstringant. Quod si recusent, velut in publicos societatis hostes ac patriae proditores in eos furunt ac debacchantur, eos officiis, quae obtinent, destituunt, aut impediunt quominus ea assequantur praeter reliquum poenarum apparatum ad eos insectandos (18).

(18) En quid refert Ephemer. *L'Echo* du Mont Blanc mens. Feb. 1855. « Le ministère vient d'envoyer à ces agents une circulaire, par laquelle il leur commande la surveillance la plus active contre les prêtres. On doit les épier dans les conversations publiques et particuliers, et surtout dans les discours qui pourraient prononcer en chaire. Des affidés seront envoyés partout afin de chercher des bases d'accusation. »

Tale est systema persecutionis in subalpinis contra libertatem conscientiae erga sacerdotes.

Eadem ephemer. refert textus articulorum legis 5. Iulii 1854. circa *modificationes codicis poenalis*, quae applicanda proponitur.

Art. 2. « Les ministres des cultes, qui, dans l'exercice de leurs fonctions, prononceront en assemblée publique un discours renfermant une censure des institutions et des lois de l'état, seront punis d'un emprisonnement de trois mois à deux ans. »

Hi nihilo tamen minus ii sunt, qui protestantur se nolle religionis negotiis immisceri, quique unice consectari profitentur negotia civilia, qui, ne vim conscientiae inferant, legem de coniugiis mere civilibus ineundis condunt. Iam vero quonam modo diversa, immo et contraria plane eiusmodi agendi ratio sibi cohaeret? Nonne id est verba dare atque illudere? Dum propterea eiusmodi homines ex una parte conscientiae libertatem uti principium constituunt ad cohonestandam legem, quam proponunt, de matrimonio civili, ex altera conscientiae libertatem parvipendunt atque proculcant, nullamque prorsus illius rationem habent, facile est concludere eos libertatis nomine fallere incautos, eosque decipere, ac fraudulenter irretire.

Quarto. Verum, quod caput est, inquiri merito potest, num qui adeo perstreperunt in comitiis subalpinis ac in senatu regio, phrasim ingeminando *libertatis coscientiae*, sinceram germanamque illius virtutem cognoverint, perspectumque habuerint id, cui potissime innitebantur ad legem persuadendam de matrimonio civili? Responderi tuto potest, *negative*, adeoque tantum fragorem strepitumque in auram abiisse. Nam si vere novissent, quid libertatis conscientiae nomine veniat, numquam eam in medium attulissent ad legem promovendam, de qua agimus; siquidem hoc ipsum principium libertatis conscientiae rite intellectum legem ipsam evertisset.

Quid igitur significatur per *libertatem conscientiae*? Non aliud profecto quam ius seu facultas, quam quisque civis et quilibet homo habet plene satisfaciendi *obligationibus*, quas ei imponit propria conscientia, quin leges civiles impedimentum illis adimplendis obligationibus im-

Art. 4. « Toute contravention aux règles établies sur la nécessité de l'assentiment du gouvernement pour la publication, ou exécution des decrets rélatifs aux cultes, sera punie selon les cas, d'un emprisonnement, qui pourra être porté à six mois, et d'une amende extensible à 500. francs.

mittant; punitionemque, aut molestiam hac de causa cuiquam afferant, sed potius tutentur adversus impedimenta, quae alii homines modis iniustis possent afferre. Haec et non alia est genuina *libertatis conscientiae* virtus, quam nemo in dubium revocare potest. Nam prae iuribus omnibus, quibus homo fruitur sacrosanctum est illud, quod habet libere satisfacendi obligationibus, quas ei conscientia praebet ac imponit. Ius istud violari nequit ab ulla lege sub quovis praetextu.

Exinde sequitur potestatem civilem toties legibus, aut actis suis laedere libertatem conscientiae, quoties his legibus, aut actis ex se aut ex consectariis, quae ex iis promanant, cives in ea conditione constituit, ut non possint plene ac libere satisfacere obligationibus, quas eis conscientia praescribit, seu non possint eas adimplere quin poenis, insectationibus, damnis aut molestiis quibuscumque subiiciantur.

Sequitur praeterea ex data libertatis conscientiae notione, eiusmodi libertatem supponere obligationes religiosas ac morales, quibus adimplendis homo, aut civis teneatur; quoad eos vero, qui profitentur incredulitatem, reiicientes cuiusvis religionis veritatem, nulla datur religiosa conscientiae libertas; siquidem nullam agnoscunt obligationem, cui teneantur ex conscientia satisfacere.

Quo principio inconcusso praestituto, inquiri potest ac debet, utrum leges civiles debeant inflecti atque accommodari iuxta civium religionem, obligationesque, quas illa imponit, an vero religio atque obligationes religiosae debeant se inflectere, et conformare legibus civilibus. In priori hypothesi religio fit legibus civilibus superior, illaeque debent huic subiici; in posteriori autem hypothesi leges civiles dominarentur religioni, quae illis parere teneretur. Ecquis porro sanae mentis, et in quo religiosus sensus extinctus prorsus non sit, haerere posset et anceps

esse inter duas has hypotheses? Quicumque enim sapit, haud dubitabit, se pro prima hypothesi declarare, quae sola rationabilis est, alioquin Deus subiiceretur homini, religio a Deo data dependeret ab hominum arbitrio, quod est absurdum ac dictu impium. Qui alteram profiteretur hypothesim, consectaretur despotismum absolutum, efficeretque Deum ac religionem ab eo datam instrumentum, quo legislatores uterentur ad fines suos, modificarent, temperarentque prout ipsis libuerit. Legem destituerent omni virtute, quam haurire posset a religione, nec religionis nisi nudum nomen admitterent. Quod esset atheismum practicum profiteri, ac destruere omnes obligationes, quas religio praescribit ac exigit, atque omnem libertatem evertere religiosam.

Quocirca nisi lex civilis religioni subsit, ac se conscientiae civium accommodet, qui religionem profitentur una cum obligationibus, quas ipsa iniungit, numquam pro se habebit libertatem conscientiae, contra vero eam pessumdaret ac prorsus labefactaret; impediret quippe quominus cives satisfacerent obligationibus, quas eis religio praescribit, et quibus servandis ex conscientia obstringuntur.

Iam vero talis foret lex de matrimonio simpliciter civili quoad eos, qui profitentur religionem catholicam. Etenim non modo liberi catholici essent ab obligatione ritus religiosi servandi in contractu coniugali ineundo, verum etiam cogerentur admittere tamquam coniugium legitimum id, quod ex catholica fide non esset nisi concubinatus et fornicatio; cogerentur subire consecutiones omnes, quae ex illegitima et fornicaria coniunctione proveniunt; cogerentur admittere uti legitimos filios, quos ecclesia spurios esse declarat; cogerentur ad actus, quos religio ac sana ethica ut illicitos ac immorales damnant ac reprobant; impedirentur relinquere seu solvere invalidas nuptias

ut se legitime cum aliis coniungerent. Et si ageretur praeterea de collisione impedimentorum civilium et ecclesiasticorum, quae in alterutro foro dirimerent coniugium, novae orirentur angustiae, quibus cives ab obsequendo propriae conscientiae impedirentur.

Ergo tantum abest, ut principium *de libertate conscientiae* possit permovere fautores legis de matrimonio civili ad eam sanciendam, ut eos potius ab ea deterrere debuisset. Ast cum supina tenerentur ignorantia seu inscitia verae notionis libertatis conscientiae, ex eiusmodi ignorantia factum est ut eam assidue invocarent, eam plenis buccis creparent, sicque illuderent sibi et turbae, quae eis plaudebat eadem qua illi novi sapientes ignorantia laborant.

Caussa erroris turpisque hallucinationis in eis extitit, quod ipsi permiscuerint libertatem conscientiae cum *aversione religiosa*, seu incredulitate ac licentia. At duae istae notiones immane inter se distant. Nam prior supponit religionem et obligationes, quae ex ea nascuntur una cum facultate libere illis satisfaciendi; posterior vero supponit irreligionem ac impietatem sine ulla obligatione ex parte conscientiae quidpiam executioni mandandi; altera proinde ad alteram se habet ut lux ad tenebras.

Sed neque misceri potest *libertas conscientiae* cum *tolerantia* sive religiosa, sive civili. Nam tolerantia religiosa in suo conceptu indicat permissionem professionis alicuius cultus diversi ab eo, quem provinciae profitentur ex. gr. iudaismi in regionibus christianis, aut protestantismi in regionibus catholicis, adeo ut isti sive iudaei sive protestantes nullam debeant sustinere molestiam ob suam professionem. Tolerantia vero civilis significat permissionem, ut ita dicam, negativam, vi cuius civile regimen non punit eos, qui obligationibus suis sive religiosis sive moralibus non satisfaciunt. Utraque tolerantia quandoque

potest esse necessaria ad vitandum malum deterius ; neutra umquam potest esse illimitata ; alioquin deberent admitti indiscriminatim cultus omnes etiam abominabiles et immorales, nec non omnia permitti facinora, atque excessus omnes, ad quos effraenatae cupiditates homines interdum rapiunt. Quod nemo profecto volet, nec ullum gubernium eiusmodi tolerantiam profitetur.

Sub neutro autem hoc titulo potest lex sanciri de matrimonio civili ; non quidem sub titulo tolerantiae religiosae quando imperium est catholicum, quia religio catholica respuit ac damnat tale coniugium ; legislatio vero, quae harmonice cohaereat cum religione catholica, ipsum respuere pariter debet (19). Id vero tanto magis quanto eiusmodi lex, qua permitteretur omissio illius, quem vocant, ritus religiosi, haberet effectus positivos, prout toties animadvertimus, quibus fit ut catholicus impediatur adimplere illas obligationes, quas eius conscientia ab ipso efflagitat, adeoque laederetur ex dictis libertas conscientiae. Neque sub titulo tolerantiae civilis, quia hac lege non solum permitteretur malum sine punitione, sed inferretur ; siquidem vocaretur matrimonium quod tale non est, cohonestaretur hoc nomine quod est per se malum, nempe concubinatus aut fornicatio, et sic lex illuderet cives, in errorem pertraheret turpissimum, putantes se contrahere coniugium, dum non est nisi coniunctio mere fornicaria. Ad summum posset lex civilis declarare, quod tamquam

(19) Quod apprime cognovit ac professus est D. Portalis senior offerens *Concordatum* 1801 corpori legislativo, et sic ipsum effatus est : « Quelques personnes se plaindront de ce que l'on n'a pas conservé le mariage des prêtres ; *mais lorsque l'on admet, ou que l'on conserve une religion, il faut la régir d'après ces principes.* Mais s'arroger arbitrairement de perfectionner les idées et les institutions religieuses, sont des prétentions contraires à la nature des choses. On ne pourrait entreprendre de perfectionner une religion sans convenir qu'elle est vicieuse et conséquemment sans la détruire par les moyens dont on userait pour l'établir. » Quamquam in aliis, ut postea videbimus, ipse sibi constans in hoc principio non fuerit.

minus malum permitteret seu toleraret concubinatum ad evitandum maius malum. At quis non horresceret ad solam enunciationem legis de *concubinatu civili?* Nemo certo in comitiis subalpinis auderet eiusmodi legem proponere sanciendam (20).

Igitur, ut iam argumentum hoc absolvamus, perperam tanta cum contentione adducta est a legis fautoribus *libertas conscientiae* ad eam cohonestandam, cuius germanum sensum ne cognoverunt quidem.

Quinto. Demum expendendum remanet ex iis, quae proposuimus, data etiam falsa ac erronea adversariorum nostrorum libertatis conscientiae significatione, an ea componi nequeat cum lege, quae obliget ad servandum ritum religiosum in nuptiis ineundis? Respondemus nihil esse tali compositione facilius. Si enim sermo sit de acatholicis, satis erit decernere ut ipsi ritum suum servent coram ministris suis, prout hactenus facere consueverunt, actumque suum in libris magistratuum civilium inscribant. Quod si agatur de catholicis, nihil impedit quominus statuatur ut contractus civilis nullius roboris sit ad effectus civiles ex eorum coniugio obtinendos, nisi in facie ecclesiae actus religiosus celebratus fuerit, quemadmodum in quibusdam guberniis obtinet (21). Nihil pariter impedit quominus, nonnullis casibus exceptis, episcopi parochos cogant, antequam nuptiis assistant ac benedicant, ut a

(20) Cf. egregium Opusculum cit. *Delle leggi civili che riguardano il matrimonio de' cristiani,* in quo tota haec theoria fuse evolvitur, et ex quo nos pauca haec delibavimus. Accepi quod eius auctor sit cl. A. Rosmini.

(21) Ut in regno neapolitano in cuius codice cap. III. *Degli atti di matrimonio* ita statuitur: « *Il matrimonio nel regno delle due Sicilie* non si può legittimamente celebrare, che in faccia della chiesa, secondo le forme prescritte dal concilio di Trento. Gli atti dello stato civile sono essenzialmente necessarii, e precedere debbono la celebrazione del matrimonio, perchè il matrimonio produca gli effetti civili, tanto riguardo ai coniugi, che ai di loro figli.» *Codice per lo regno delle due Sicilie.* Napoli 1829. par. I. *Leggi civili* lib. I. cap. 3. pag. 15. Verumtamen, ut paullo ante adnotavimus, haud levia interdum ex necessitate actus praevii civilis celebrationi matrimonii incommoda provenire solent.

contrahentibus exigant documentum de actu civili coram magistratibus celebrato, prout in nonnullis Galliae dioecesibus ac provinciis fieri consuevit ad praecavendas molestias, si secus fieret (22). Nihil demum impedit, quominus poenis multentur qui civili legi non obtemperent, quae iubet coniuges se sistere coram civili iudice sive ante sive post celebrationem coniugii ad formam a tridentino praescriptam.

Sic sarta tecta iura civilis regiminis et ecclesiae servarentur, nec ulla intercederet conscientiae libertatis violatio; quia quicumque religionem positivam profitetur, debet religioni suae conformari in actibus religiosis, cuiusmodi est christianum coniugium.

Ceterum conscientiae libertas non est nisi velamen ac praetextus condendae legis huius, legislatoresque, de quibus agimus, minus dicunt, quam reipsa intendant. Vera ratio est, quia ipsi matrimonium quoad suam substantiam non spectant nisi uti rem omnino civilem, cuius proinde dispositio plena ac integra ad civile regimen, et quidem exclusive pertineat. Hac de causa ius vindicant civili foro statuendi impedimenta quaevis dirimentia; ius ad ipsum revocant iudicandi de causis matrimonialibus, decernendi divortia aliaque praestandi, prout sibi bonum visum fuerit. Hac de causa et in eumdem finem non modo distinguunt, sed plane discerpunt contractum coniugalem a sacramento, seu, ut ipsi loquuntur, a consecratione religiosa, quam unice ecclesiae dimittunt una cum inspectione circa dispositiones ad sacramentum rite obeundum. En quid isti velint, prout ex ipsius legis oblato schemate constat, ac non pauci oratores et ministri ipsi regii in comitiis subalpinis declararunt (23). Idipsum iam

(22) Hoc ipsum constitutum est in aliquibus conciliis provincialibus, quae in Gallia annis superioribus celebrata sunt.

(23) Cf. *Senato del regno*. Tornata dei 18. Dicemb. pag. 203. col. 3. item pag. 204. etc.

tentatum fuerat a Iosepho II. (24). Idque plures aulici canonistae austriaci imperii superiori aetate adstruere ausi sunt (25); ast frustra, constanter eis obnitente ecclesia. Neque umquam haec obtinebunt legislatores subalpini, nec eorum canonistae, ut Io. Nepomuc. Nuytz, aut assentatorum turba, cum haec omnia adversentur dogmaticis canonibus tridentinis, qui immoti persistent (26).

Nec quidpiam obest praetextus, quem nonnulli oratores in comitiis subalpinis in medium attulerunt, quod nempe lex civilis non possit quin violet civium conscientiam cogere eos, qui in ritum religiosum seu sacramentum non credunt, ad illud suscipiendum; nam nulla ratione eorum laeditur conscientiae libertas, qui non credunt, cum per actum, quem putant superfluum, non agant contra conscientiam. Tunc solum laederetur, si *illicitum* illum haberent, quod profecto eiusmodi homines talem ritum non arbitrantur, sed ad summum ut indifferentem respuunt ac dedignantur (27).

(24) Cf. *Apologia del matrimonio cristiano, ossia Memoria critica canonica e politica per servire di risposta al trattato intitolato Degl' impedimenti dirimenti il contratto di matrimonio ne' paesi bassi austriaci secondo gli editti di s. m. l'imperatore e re Giuseppe II.* dei 28. Settemb. 1784. Strasbourg 1790. Cuius tamen anonymus auctor adnititur benigniori sensu haec Iosephi II. edicta interpretari. Verum hoc de argumento in insequenti libro disseremus.

(25) Cf. Roskovàny *De matrimonio in eccles. cathol.* Augustae Vindelic 1837. tom. I. §§. 12. 13. pag. 14-16.

(26) Apposite princeps de Metternich iis, qui eum interrogaverant circa matrimonium civile, ut in Austria sanciretur, respondit: « Messieurs, faites autant de lois, que vous plaira, mais il n'y a pas d'autres lois sur le mariage, que celles du concile de Trente; quelsques soient vos statuts, ils seront nuls dans tout ce qu'ils auront contraire à la législation de l'eglise: je regarde comme une folie de penser à bénéficier sur cette matière; on n'a qu'a reconnoître les institutions de l'eglise.» Cf. *Univers* 18. Févr. 1856.

(27) Quod celebriores iurisconsulti agnoverunt, inter quos D. Vaseille scribit: « Dans nos sociétés civilisées, il ne faut pas supposer qu'il y ait des hommes sans croyance religieuse; et quand on serait certain qu'il en existe, on ne devrait point d'égard à leur folie. Ce ne serait pas leur faire une violence facheuse que de les obliger à porter aux pieds des autels les serments, qui font devant leur maire.»

Et haec de libertate conscientiae paulo fusius persequi debuimus, eo quod columen praecipuum sit, cui omnes legis de matrimonio civili fautores innitebantur ad eam promovendam.

§. III.

Distinctio civis et christiani.

Matrimonium, ait senatorum alter, spectat ad hominem, ad civem, ad christianum. Hinc triplex oritur ordo idearum, quae certis formulis continentur; 1. in codice rationis; 2. in codice legum civilium; 3. in codice religionis. Ex his principiis tela ordiri debet de matrimonii doctrina; ac ita reapse se gesserunt D'Aguesseau, Portalis, *s. Augustinus*, *s. Thomas*, Iustinianus et Napoleon.

Non debent confundi *civis et christianus*. Lex civilis statuatur oportet ad rationis normam, politices, germanaeque moralis, nec inferre pedem *profanum* debet in sacrum religionis dominium (28).

Alter vero ex oratoribus adiecit: coniugium est actus essentialiter socialis; mirum proinde est in dubium revocari posse, utrum status civilis circa illud plena libertate ac potestate fruatur. Religio supervenit, atque ad *caelum* evehit pacta hisce in terris inita. Est potestas (civilis) et est potestas nobilior ac divina, quae *confirmat* ac *benedicit*.

Quemadmodum naturale est nasci ac mori, atque ecclesia his factis assistit, nec tamen immutare ea potest, sic debet assistere nuptiis (29).

Traité du mariage, de la puissance maritale et de la puissance paternelle. Paris 1825.

Eadem habet Baston in sua *Concordance de lois civiles et des lois ecclesiastiques de France touchant le mariage.* Paris 1824. pag. 124 seqq.

(28) *Senato del regno.* 17. Dicemb.

(29) Ibid. pag. 197.

Responsio.

Ex hac exposita theoria unice sequitur unam eamdemque rem sub multiplici respectu spectari posse, ac per diversos conceptus apprehendi, non autem in plures res discerpi posse aut debere. Sane una eademque persona, quae est homo, civis et christianus, haud potest ob triplicem hunc respectum in tres reales dispesci personas, quod est absurdum vel cogitare. Sic matrimonium christianorum unum atque individuum est, quod est sacramentum, neque ex eo quod spectari possit per mentis abstractionem ac logicum conceptum ut contractus naturalis, civilis et sacramentalis, exinde sequitur esse tres realitates, seu tres res ab invicem distinctas, multo vero minus divisas aut divisibiles. Sed est unum idemque coniugium, quod spectari potest ut officium naturae, ut officium communitatis, et ut officium religionis, ac sub quolibet hoc respectu attingitur a lege naturali, a lege civili, et ab ecclesia seu religione, et quidem sub respectivo ordine: a lege naturae ne fiat contra honestatem, quam ea exigit: a lege civili ne contra bonum civile ac politicum redundet; ab ecclesia, quae efficit ut contractus naturalis, qui est fundamentum, legitimus sit et sacramento tamquam materia inserviat, seu verius est sacramentum ipsum, a quo contractus reipsa non distinguitur.

Si itaque contractus naturalis fundamentum est coniugii christiani, et quo ecclesia tamquam materia proxima per actum ipsum, quo fit, utitur ad conficiendum sacramentum a Christo Domino institutum, patet contractum naturalem et sacramentum unum re constitui ac esse, nec unum ab altero dispesci umquam posse. Nam ex contractu fit sacramentum, et per sacramentum actu contractus in suo esse constituitur atque perficitur; exinde oritur vin-

culum sacrum ac indissolubile, in quo praecise essentia matrimonii christiani consistit. Matrimonium igitur, quod aliud non est nisi contractus naturalis effectus sacramentum, in solidum pertinet ad ecclesiam, cui soli a Christo sacramentorum administratio demandata est. Corollaria, quae ex hoc inconcusso principio descendunt, suo loco explanabimus; interim colligimus actionem legis civilis in matrimonium totam ac unice extrinsecam esse, nec illud posse attingere nisi sub respectu civili in ordine, ut diximus, ad bonum civile et ad effectus civiles; atque hoc solum est, quod ex theoria oratoris, de qua agimus, rite consequitur, quod nemo ei denegabit. Ast lex civilis nulla ratione afficere potest id, ex quo valor aut nullitas pendet sive contractus sive sacramenti, quae res civilis non est, sed conscientiae et religionis.

Societati civili proinde relinquitur, quod suum est, nempe leges condere, quae civiles effectus attingant, atque conditiones apponere, quas cives, qui matrimonium ineunt, servare debeant, si illis perfrui commodis ac privilegiis velint, quae lex largitur sese subiicientibus eisdem conditionibus, quemadmodum quovis tempore factum est.

Est porro opus vere musivum D'Aguesseau, Portalis, Iustinianum, Napoleonem cum ss. Augustino et Thoma coniungere. Hoc est miscere sacra profanis, et quadrata rotundis, quum sancti Doctores adeo a profanis legumlatoribus distent in doctrina de matrimonio tradenda, ut erronea omnia, quibus illi materiam hanc infecerunt, plane evertant. Ceterum quid senserit nominatim Portalis, paulo ante adnotavimus, estque omnino contrarium ei quod adstruit orator noster, qui fortasse eum non consuluit, alioquin eius non meminisset; multo vero minus legit ss. Augustinum et Thomam, quorum volumina, si ipse evolvisset, numquam pro se advocasset eorum auctoritatem, uti ex dicendis idoneo loco patebit.

Utinam vero civile regimen numquam *profanum* pedem, ut orator loquitur, in sacrum religionis dominium inferret! Res profecto longe melius progrederentur. Verum dum novi legumlatores in sanctuarium sese inferunt, et omnia sacra iura pervadunt, nunc scrupulo anguntur, ne si forte sub adspectu religioso matrimonium respiciant, in sacro religionis dominio profanum pedem figant. Haec agendi ratio nonnihil hypocrisis sapit.

Ad id vero, quod subdit alter orator, coniugium esse *actum essentialiter socialem,* reponimus, sub aliquo respectu id verissimum esse, ac proinde quatenus coniugium in societate contrahitur, atque idcirco dicit actum socialem, non abnuimus ad principem pertinere suas leges constituere, quae hunc actum, prout socialis est, dirigant ac moderentur ne ordo publicus turbetur, aut societas aliquod detrimentum capiat; neque umquam ecclesia id ipsis interdixit. Sed cum primitus coniugium sit actus essentialiter religiosus, praesertim inter christianos, de quibus agimus, et per actum religiosum in suo esse constituatur veri legitimique coniugii, ad ecclesiam unice spectat leges condere, quae eius essentiam attingant, cuiusmodi est vinculum cum suis proprietatibus.

Cum igitur ex contrariis iisque falsis principiis orator hic progrediatur, ratio apparet quare ipse miretur revocari in dubium (debuisset imo dicere *negari*) statum civilem haud frui plena libertate circa coniugium ac potestate. Nos potius iure meritoque miramur oratorem christianum et catholicum dubitare potuisse, quod solius ecclesiae sit contractum coniugalem seu sacramentum moderari, utpote rem suam, eique soli a Christo concreditam. Eius deceptio, atque propterea admirationis causa provenit ex fictione illa legali, quod matrimonium seorsum a religione spectari possit aut debeat. Eiusmodi legales fictiones multos in errorem induxerunt.

Quod adiicit de religione *ad caelum* evehente *pacta in terris iurata*, de confirmatione et benedictione adveniente iis, quae potestas civilis constituit, mirifice quod diximus, patefacit; ipse enim supponit religionem seu sacramentum *accedere* seu adiici contractui civili, quasi nempe per solum actum civilem fieret matrimonium, et *pacta iurata*, ut ipse loquitur, firma ac rata esse sine sacramento, cum reipsa sine sacramento nulla sint, seu nullius plane valoris. Itaque religio seu sacramentum solum est, quod vere constituit contractum coniugalem, et lex civilis ea reipsa est, quae accedit ad matrimonium iam confectum eique iam in suo esse constituto adiicitur. Atque idcirco a falso, quod vocant, supposito ipse procedit ac ratiocinatur.

Iuxta eumdem oratorem debet ecclesia adesse matrimonio eadem ratione, qua adest nativitati ac morti, quae a natura sunt, neque ab ecclesia pendent, nisi quatenus illas sanctificat. Ast disparitas in eo est, quod contractus naturalis ipse evectus sit ad dignitatem sacramenti, ac in ipsa sacramenti collatione ille tantummodo exurgit atque perficitur, adeoque ab ecclesia omnino pendet, secus ac in nativitate et morte contingat.

§. IV.

Autonomia ac primatus politicae potestatis et separatio status ab Ecclesia.

Principio distinctionis inter christianum et civem affine est principium autonomiae ac primatus politicae potestatis, separationisque status ab ecclesia. Hoc principium saepissime ad satietatem usque inculcatum est, quandoque sub aspectu mere politico, quandoque sub aspectu etiam pio, ac si huiusmodi separatio religioni ipsi prodesset, non raro sub aspectu aperte irreligioso atque impio.

Generatim plures oratores assumpserunt civilem potestatem legem, quae matrimonii christiani validitatem afficiat, per se condere posse; civilem contractum a sacramento separari posse, atque adeo civilem potestatem ut suam independentiam tueatur, hanc legem ferre debere. Imo quidam aperte fassus est hunc esse revera ipsius legis scopum, eam independentiam civilis potestatis asserere, quam status vindicare non solum potest, verum etiam debet (30).

Quidam praeterea ex oratoribus professus est absolutam se velle status ab ecclesia separationem, eique propositum legis schema visum esse nimis ecclesiae tribuere. Media aetate, inquit, ecclesia benefica fuit, inque omnia pene humana negotia auctoritatem sibi vindicavit; ast id non ex proprio iure, ac universali proveniebat, adeoque res erat temporanea. Quocirca potuit tunc temporis statuere impedimenta, aliaque eiusmodi praestare. Nunc vero potestas civilis sese vindicavit a molesta et importuna clericatus tutela.

Matrimonium est principium ac materia prima vitae civilis; princeps igitur ius habet illud legibus moderandi. Quid refert, si *amica potestas* quondam ius istud exercuit? Quod prius agebat ecclesia, iam nunc possumus ex nobis ipsis praestare. Iura praescriptionem non patiuntur (31).

Aperiantur, inquit alius orator, Evangelia: ibi reperietur separatio rei temporalis a spirituali. Patres etiam alterum ab altero distinguunt.

Lex duobus innititur principiis, quae humanitaria simul sunt et evangelica: separationi nempe rei civilis a sacra, et libertati conscientiae (32).

(30) *Camera elettiva.* Tornata dei 12. Giugno.

(31) *Senato del regno.* Tornata dei 17. Dic. pag. 98. 99.

(32) Ibid. Haec omnia desumpta sunt ex Portalis, et Boutteville in discussione schematis legis de matrimonio circa codicem napoleonicum. Cf. *Motivi, rapporti, e discorsi per la discussione del codice di Napoleone il grande.* Trad. ital. Firenze 1806. tom. I. p. I. *Motivi della sesta legge esposti da Portalis. Sul titulo quinto del matrimonio* pag. 80 seqq.

Responsio.

Universim huiusmodi oratores assumunt 1. Civili magistratui potestatem inesse condendi legem circa matrimonium; 2. vinculum religiosum separari posse a contractu civili; 3. scopum legis esse satisfacere independentiae potestatis civilis, et obligationi, quam habet status erga cives hanc ipsam independentiam iis vindicandi. Iam vero haec omnia et singula falsa sunt.

Etenim civili magistratui nulla inest potestas condendi legem circa matrimonium, id est circa contractum ipsum coniugalem ac vinculum ipsum, ex quo matrimonium seu sacramentum matrimonii exurgit. Lex civilis nullatenus condi potest nisi circa ea, quae sunt matrimonio extrinseca et accidentalia, cuiusmodi sunt ex. gr. dos, successio, haereditas etc. quaeque vel accedunt ad ipsum coniugium, vel ipsum sequuntur et comitantur, non autem circa nexum ac vinculum coniugii, quod oritur ex consensu contrahentium, qui sint iure habiles ac legitimi, seu idonei ad contrahendum, nempe ad praebendum consensum. Sola divina lex potest matrimonium moderari, conditiones apponere, proprietatesque definire. Nam solus ille potest legem condere et sancire circa matrimonium, qui matrimonium ipsum instituit, atque ecclesia, cui haec potestas a Deo communicata est.

Deus porro solus est, qui ut Creator et Conditor plasmavit hominem, eduxitque ex latere eius foeminam: ut summus pontifex eos in coniugium copulavit ac *benedixit*: ut legislator legem tulit de perpetua eiusdem coniugii unitate ac indissolubilitate (33). Quod coeptum est in proto-

Item ibid. pag. 109 seqq. *Estratto del discorso di Boutteville sul progetto di legge al titolo V. Del matrimonio.*

(33) Ex doctrina constanti Patrum quatuor priorum seculorum, ut ostendimus in nostris *Praelect. theolog.* tract. *De incarnat.* part. II. cap. I. Prop. in

parentibus servatum est in lege naturae, quando principes familiarum Abraham, Isaac et Iacob utpote summi sacerdotes coniunxerunt in matrimonio filios suos; deinde sub lege mosaica Deus ipse in Levitico per Moysen leges dedit circa coniugiorum celebrationem, iuxta quas leges deinceps in populo Dei coniugia inita sunt, ut constat ex II. Esdr. capp. IX et X. Denique Christus matrimonium ad perfectum adduxit, dum, sublato libello repudii, ipsum ad omnimodam unitatem, ac indissolubilitatem revocavit, dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet* (Matth. XIX. 6.)

Cum itaque ab ipsa sua institutione matrimonium praefigurans futuram Christi coniunctionem cum ecclesia, prout iamdiu animadvertit s. Leo M. (34), a divina lege fuerit praeoccupatum, nulla humana lex ferri potest, quae afficiat eius substantiam; nulli Caesari coniugium subiicitur, nulli humano legislatori. Multo vero minus ex quo Christus contractum naturalem ad veri ac proprii sacramenti novae legis fastigium evexit. Sane ex sacris litteris comperimus Apostolos absque ulla a quavis humana legislatione dependentia regulas statuisse eiusdem coniugii, atque impedimenta sanxisse; quod deinceps ecclesia divina auctoritate freta iugiter ad hunc usque diem efficere numquam

nota ad n. 237. quoties Deus se adspectabilem fecit sub forma humana exterius assumpta, fuit ipsa persona Verbi sic iam proludentis ad futuram suam incarnationem; adeoque ut pontifex maximus apud Patrem, ut rursum iidem patres tradunt, pontificiam exercuit potestatem ipso actu benedictionis seu ritu sacerdotali, ut legitur Genes. I. 27. collat. Gen. II. 21 seqq. « Et creavit Deus hominem ad imaginem suam.... masculum et foeminam creavit eos. *Benedixitque* illis Deus et ait: crescite et multiplicamini.... Immisit Dominus Deus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis eius.... et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, et *adduxit* eam ad Adam. Dixitque Adam: hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.... Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.»

(34) Epist. ad Rustic. Narbon. « Societas nuptiarum, inquit, *ab initio* ita fuit constituta, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se *Christi et ecclesiae sacramentum*.»

destitit, ut suo loco uberius ostendemus (35). Falsa igitur est prima assumpti pars.

Sed non minus falsa est altera pars assumptae hypothesis. Quando nam in coniugio christiano separari ac divelli potest contractus matrimonii a sacramento? Quod est re individuum, nonnisi cogitatione tamquam distinctum apprehendi potest, ast dividi, separari, divelli nullatenus potest. Iam vero tale esse coniugium christianum in priori huiusce libri sectione cumulatissime ostendimus. quin necesse sit quidpiam adiicere, aut ea. quae dicta sunt. iterum ingerere.

Ast *contractus civilis?* Hac verba sunt sensu vacua: qui a pseudo-politicis plenis buccis *contractus civilis* nuncupatur, ex doctrina ecclesiae non est contractus. sed larva contractus, umbra ac simulacrum contractus. Etenim ad contrahendum necesse omnino est ut personae habiles sint ad contrahendum; alioquin nihil efficiunt. etiamsi contrahere maxime vellent. quemadmodum frustra adniteretur volare qui alis esset destitutus, aut incedere qui tibiis careret. Iam vero ab ecclesia in concilio tridentino solemniter declaratum est. eum qui praeter formam a se constitutam de praesentia sacerdotis. ac duorum triumve testium contrahere conniteretur. eius

(35) Apposite Claudius Fouchet in suo Sermone *De religione nationali comitiis parisiensibus* an. 1789. «Quod ecclesia, inquit, statuit in concilio tridentino praeeminet omnibus thronorum iniuriis, ac maxime conscientias devincit. Habetur sacramentum ubi ecclesia catholica declarat adesse. Habentur boni mores, ubi eos recognoscit ac tales esse decernit ecclesia. Omnes simul sumptae potestates temporales numquam vel apicem immutare poterunt de veritate horum principiorum. Episcopi sunt principibus subditi in *temporali quidem, in spirituali numquam.* Contra vero principes, sub hoc respectu, subditi sunt ecclesiae, omnia confunduntur, cum eiusmodi negliguntur distinctiones. Populi ac principes, vos pariter a Deo dependitis, id est, a veritate, a iustitia, a moralitate; uno verbo a religione, sine qua nulla habetur vera virtus, nullum inviolabile ius, nulla positiva societas.» Generosa haec dicendi libertas effecit, ut a tolerantibus illis libertatis gallicae asseroribus caput ei obtruncaretur die 30. Novemb. eiusdem anni. Cf. Philip. Carillo op. cit. loc. cit. p. 294.

contractum *irritum ac nullum esse*, eo quod redditus fuerit ad contrahendum inhabilis. Nam « qui aliter, quam praesente parocho, inquit tridentinum, vel alio sacerdote, de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos s. Synodus *ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit*, et huiusmodi CONTRACTUS IRRITOS ET NULLOS esse decernit, prout eos praesenti decreto *irritos* facit, et *annullat.*» Qui proinde se catholicos iactant esse sinceros, debuissent ante omnia ad hoc attendere decretum, quo non solum irritum *sacramentum*, sed et ipsum irritum ac nullum *contractum* esse decernitur.

Talem reipsa esse mentem concilii tridentini aperte pronunciat Benedictus XIV. « Qui praeter formam a se praescriptam matrimonium contrahere attentant, eorum tridentina synodus non sacramentum modo, sed *contractum ipsum irritum* diserte pronuntiat, atque eos ad sic contrahendum *omnino inhabiles*, et huiusmodi contractus *irritos* esse decernit (36).» Ac rursum Pius IX. in damnatione opp. Io Nepomuceni Nuytz, ut alias vidimus, idem docet.

Contractus, qui vocatur *civilis* matrimonii, non est nisi recens inventum toti christianae antiquitati incognitum et inauditum, ut a nobis demonstratum est. Si viguisset medio aevo nova haec distinctio inter contractum civilem et sacramentum, profecto illius aetatis imperatores, reges ac principes, qui tantopere inhiabant nuptiis illicitis, tot contentiones cum apostolica sede, quae illorum nefariis conatibus fortiter se se opponebat, non habuissent, nec tyrannus Henricus VIII. se ac regnum ab ecclesia catholica scidisset post exhaustas omnes machinationes ad rom. pontificem expugnandum. Nam potuissent commode per

(36) In *Brevi ad Holland. missionar.* 14. Sept. 1746.

contractum mere civilem sine sacramento celebrare optata coniugia. Ergo et haec altera pars hypotheseos gratuita est, ac plane falsa.

Tandem falsam esse tertiam quoque assumpti partem ita ostendimus. Numquam potest esse scopus legis, quod aequitati, divinaeque legi prorsus repugnat. Eiusmodi autem est tum independentia potestatis civilis a religione sive ab ecclesia, tum obligatio, quam dicunt, status erga cives hanc independentiam vindicandi.

Repugnat ac implicat independentia potestatis civilis a religione sive ab ecclesia, ut ex hoc capite prius exordiamur, eadem ratione qua repugnat et implicat independentia corporis alicuius viventis ab anima, quae illud informat, vivificat, regit ac moderatur. Receptum est apud pseudo-politicos adagium, quod *ecclesia sit in statu;* nos libenter istud admittimus; dummodo tamen ita intelligatur, quod *ecclesia sit in statu,* prout anima *est in corpore*, a qua status dependere omnino debet eique subiici. Statum se independentem efficere ab ecclesia, ab eaque, ut aiunt, se vindicare perinde esset ac se independentem profiteri ac separatum a Deo ecclesiae seu verae religionis auctore, quod certe pseudo-politici omnes simul sumpti numquam obtinebunt, cum dependere a Deo tamquam a supremo Domino omnibus hominibus ac societatibus essentiale sit. De *facto* utique se vindicare a Deo tum homines singuli, tum societates per voluntatis perversitatem poterunt; immo heu nimium tot suis sceleribus ac libera sentiendi agendique ratione sese a Deo vindicant, ast *iure* numquam; adeoque serius ocius in Dei manus incident ad eius subeundum experiendumque iudicium (37). Itaque eiusmodi stultitia,

(37) Praeclare non minus prudens quam sancta foemina Iudith inquiebat: « Vae genti insurgenti super genus meum: Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, *in die iudicii visitabit illos,* dabit enim ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur et sentiant usque in sempiternum (XVI. 20. 21.)»

ne impietatem dicam, utpote absurda, non potest esse nec umquam erit scopus legis. Qui hoc imprudēntes effutiunt, procedunt ex secreto atheismi practici dictamine, a quo unice reguntur.

Admissa semel optata separatione satus a religione, regimen in despotismum absolutum converteretur. Sine basi ac fundamento societas quo regeretur, evaderet, ac cives, qui non amplius in absurda illa hypothesi ex conscientia obtemperarent, nonnisi vi materiali continerentur, ac in omnia facinora, quae impune patrare se posse sperarent, tantum non dilaberentur. Porro quidnam fieret de tali societate?

Accedit quod potestas politica, quae se ab ecclesia vindicaret, ut independentem se constitueret, de facto ecclesiae dominaretur eamque sibi subiiceret. Cum enim ventum fuerit ad divisionem *temporalis et spiritualis*, sibi omnia vindicaret, quae exteriora sunt ac sub sensus cadunt, adeoque sibi ius arrogaret in personas, in bona, in disciplinam, ac in ipsa sacramenta, prout medio aevo primi *separatismi*, ut vocant, inventores reipsa sub hoc separationis praetextu iura omnia in sacra principibus tribuebant (38).

(38) Historia *status separatistae* exposita reperitur in scriptoribus saec. XIV. et XV. qui egerunt de utriusque potestatis limitibus. Verum celebrior omniumque primus inter eos fuit Guilielmus Occhamus. Hic in libro inscripto: *De potestate ecclesiastica et saeculari*, (vulgato a Goldasti *De monarchia* tom. I. pag. 13 seqq.) quem scripsit contra Bonifacium VIII. pro Philippo Pulchro, prima et ampliora lineamenta dedit istius doctrinae. Siquidem in eo statuit principii instar *separationem* utriusque potestatis, quarum altera *temporalis* sit, quae ius habeat super temporalia; altera *spiritualis*, quae contineri debeat intra fines rerum spiritualium. Sed ita exponit fines hos, ut ecclesiae nullam aliam iurisdictionem tribuat praeter eam, quae sit fori interni. En eius verba: « Iam vobis est per epistolam Pauli superius responsum, cum scribit: quod *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis;* et in iis habent nos regere, videlicet *quae sunt ad Deum:* sed ad ecclesiam non pertinet in iis, quae foris sunt, aliquid iudicare (l. c. pag. 15. lin. 31 seq.).» Hinc infert ecclesiam ius non habere iudicandi de actionibus moralibus hominum nisi *in foro sacramentali* (ib. p. 14. lin. 35.), quod temporale principis non in alio subordinari debet spirituali, quam in submi-

Multo vero minus potest esse legis obligatio in eiusmodi separatione erga statum. Quomodo enim serio affirmare quis ausus sit legis esse obligationem vindicandi statum ab ecclesia, a religione, a Deo? Qui ita sentiunt, et effutiunt in publicis comitiis se palam populorum, a quibus delegari dicuntur, proditores imprudenter manifestant, et proditores status qui, cum profunde catholicus sit, ut ipse orator fatetur, nec vult nec quaerit impiam eiusmodi independentiam, imo ab ea refugit, et abhorret. Quod cum aegre ferant pseudo-politici, hinc machinas admovent omnes, ut statum ex catholico acatholicum efficiant, si quidem id fieri posset. Quod si hoc non sit imprudenter statum prodere, quid sit fallere, prodere ac decipere me sane nescire profiteor. Atque haec publice proferuntur sub Statuto, in cuius primo articulo *sola religio catholica, apostolica romana, religio status* solemniter declaratur!

Demum, qui adeo solliciti sunt pro status indepen-

nistratione eorum, quae ad sustentationem necessaria sunt ministris cultus (ib. pag. 15. lin. 16.); adeoque, quod nulla lex aut consuetudo ecclesiastica valorem habeat, quum deleri ac immutari possit a principe vi regiae suae potestatis, quin alio consilio indigeat praeter rationem, seu voluntatem suam (ib. p. 17. lin. 61 seq.).»

Hae ipsae doctrinae copiosius amplioriique claritate expositae sunt in prolixo opere cui tit. *Dialogus inter discipulum et magistrum* (apud Goldasti *De monarchia* tom. II pag. 396 seqq.) *in octo quaestionum decisiones super potestate Summi Pontificis* (loc. cit. pag. 313 seqq.) et in altera *De iurisdictione imperatoris in causis matrimonialibus*. In hoc posteriori tractatu demonstrare nititur, spectare ad imperatorem, utpote successorem in iuribus imperii *romani*, dispensationes concedere in casibus consanguineitatis, quamvis contrarias legibus pontificum et ecclesiae. In eodem tractatu affirmat causas spirituales et sacramenta aliqua ratione pertinere ad regias et imperiales attributiones, praesertim in iis, quae spectant ad tempora, ad cultum, ad ministros etc. Quapropter qui primum constituit separationem absolutam duarum potestatum, intulit dependentiam potestatis spiritualis a potestate temporali usque ad iudicium et depositionem, ex parte imperatoris, Pontificis summi, qui haereseos iuxta ipsum fuerit reus. Cf. nominatim *Dialog.* p. III. c. 17. pag. 947 seqq. Quod quidem principium evolutum plene fuit a Marsilio Patavino in op. *Defensor pacis*. Ibid. tom. II.

En promptuaria ex quibus deinde regalistae omnes et separatistae doctrinas suas hauserunt.

Porro omnia haec opera cum suis auctoribus proscripta sunt et in indicem confectum iussu concilii tridentini relata.

dentia, cur hanc independentiam ipsam, ad quam ecclesia divinitus ius habet, ei modis omnibus eripere connituntur? Quare ecclesiam deprimunt, sub iugo eoque durissimo detinent, quale vix ipsa ferre cogitur sub haereticis ac infidelibus? Quare ipsos non pudet propriam matrem cedere, proscindere, dilacerare? Quare duplici utuntur mensura, hinc quidem extollendo ac promovendo protestantismum, qui factus est ipsorum idolum; inde vero deprimendo iugiter magis ac magis unice veram religionem, christianismum plenum, seu ecclesiam catholicam? Deponant igitur tandem aliquando pseudo-politici larvam, qua se contegunt, atque aperte sensa sua promant, ne incautos valeant ulterius decipere.

Post haec generatim considerata, iam praestat aliquid singillatim respondere ad ea, quae ex uno alterove oratore supra retulimus. Unus itaque ex oratoribus se velle dicebat, ut status omnino seiungeretur ab ecclesia, et quidem absolute. Ast sciebat ne iste id, de quo loquebatur? Non puto. Siquidem rei natura non patitur ut eius voluntati fiat satis. Dum orator vellet separationem eamque absolutam societatis ab ecclesia, vellet interitum societatis ipsius, quemadmodum vellet mortem alicuius viventis, qui vellet separationem animae a corpore. Quod si ei legis schema nimis tribuere videtur ecclesiae, hoc pendet ex nimio affectu, quo ipse in ecclesiam catholicam matrem suam fertur. Heu quot eiusmodi ingratos atque inhumanos filios in sinu suo nutrit ecclesia!

Non solum medio aevo, sed et a suis primordiis, et deinceps ac semper ecclesia benefica fuit, et erit, quia talis est essentia sua, nam informatur a fide et charitate, quae numquam excidit (39). Potestas autem civilis suam

(39) Cf. Egregium opus card. Caiet. Baluffi, cui titulus: *La chiesa romana riconosciuta alla sua carità verso il prossimo per la vera chiesa di Gesù Cristo* vol. in-8. Imola 1854. ubi de hoc argumento plene ac erudite disserit.

emancipationem in sensu adversarii numquam adepta est. nec eam umquam adipiscetur.

Matrimonium prout est officium naturae certe est principium ac materia prima, ut loquitur orator, vitae *naturalis*, non autem *civilis*, quae naturae adiicitur. Verum antequam inter christianos ex officio naturae fiat matrimonium, iam ad ecclesiam pertinet contractus naturalis, ex quo sacramentum exurgit, et sine quo nullo modo consistit iste contractus. Quapropter princeps nec ius neque munus habet contractum suis legibus moderandi.

Nescio porro quid significet illa *potestas amica;* numquid ecclesia ad instar est regiminis civilis, ita ut dici possit potestas *amica?* Quam absona et abiecta haec sunt in ore gravis senatoris! Ecclesia semper fuit et est omnibus hominibus *amica*, est pia mater et benevolentissima nutrix. Ceterum nemo potest ex se facere quod non est in sua potestate. Iura denique, quae nusquam existunt, nec *praescriptibilia* dici possunt, neque *imprae-scriptibilia*.

Quod vero attinet ad ea, quae oratorum alter urgebat, legem hanc niti duobus principiis, quae humanitaria simul sunt et evangelica, sufficiat respondere, ea esse principia aptissima, prout ab oratore intelliguntur, ad humanitatem simul, veramque evangelicam religionem abiiciendam. Et quoniam profanus orator ad evangelia provocat, respondemus, eum utique qui evangelia aperiat spiritu protestantico informatus atque praeoccupatus, ibi proclamatam reperire separationem status ab ecclesia, scilicet a Deo; at eum qui mente catholica ea aperiat, nullo modo *separationem*, sed *distinctionem* solam praesidiorum et finis pro statu atque ecclesia invenire; atque utriusque amico foedere concordiam: quam quidem doctrinam patres exponunt; tantum abest, ut, quemadmodum orator noster af-

firmat, quin eos legerit, separationem status ab ecclesia docuerint.

Sane unanimis patrum doctrina est, non solum ratione finis ac praesidiorum distingui statum politicum seu civilem ab ecclesia; quatenus ille habet pro fine immediato felicitatem temporalem civium, adeoque et praesidia, quae ad eum perducant, idonea; ecclesia vero felicitatem aeternam ac media ad eam obtinendam opportuna; verum etiam finem ac praesidia civilis societatis suapte natura subordinata esse potestati ecclesiae, quatenus felicitas temporalis ordinata est ad felicitatem aeternam. Hinc docuerunt patres Deum instituisse potestatem civilem, ut subsidio esset ecclesiae, atque ecclesiae inserviret tamquam praesidium ad assequendum finem ei proprium, nempe supremum. Ita s. Caelestinus (40), s. Leo M. (41), s. Gregorius M. (42), s. Isidorus hispalensis (43), sic reliqui omnes.

Nos ad haec confirmanda unum alterumve in medium proferemus. Itaque s. Augustinus scribit: « Aliter servit (rex Domino), quia homo est, aliter quia etiam rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter; quia vero etiam rex est, servit leges iusta praecipientes, et contraria proscribentes convenienti vigore sanciendo. Sicut servivit Ezechias, lucos et templa idolorum, et illa excelsa, quae contra praecepta Dei fuerant constructa, destruendo.... Sicut servivit rex ninivitarum universam civitatem ad placandum Dominum compellendo.... Sicut servivit Nabuchodonosor omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege terribili prohibendo (44).» S. Gregorius M. «Ad hoc, inquit, potestas super omnes homines dominorum meorum pietati caelitus data est, ut qui bona appetunt, adiuventur;

(40) *Epist. ad Theodosium.*
(41) *Epist. ad Leonem Augustum.*
(42) Lib. II. Epist. LXV. *ad Mauritium imper.*
(43) Lib. III. Sentent. cap. LI.
(44) *Epist. ad Bonifac. Comitem* CLXXXV. alias L. ed. Maur. n. 19.

et caelorum via largius pateat, ut terrestre regnum caelesti regno famuletur (45).» S. Leo M. « Debes, scribit, incunctanter advertere regiam potestatem, Tibi non ad solum mundi regimen, sed maxime ad ecclesiae praesidium esse collatam: ut ausus nefarios comprimendo, et quae bene sunt statuta defendas, et veram pacem his, quae sunt turbata, restituas (46).» S. Isidorus hispalensis « Cognoscant, inquit, principes saeculi, Deo debere se rationem reddere propter ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax, et disciplina ecclesiae per fideles principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam ecclesiam credidit (47),» et aliis omissis, s. Caelestinus papa eadem scribit: «Maior vobis fidei causa debet esse, quam regni, ampliusque pro pace ecclesiarum clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum. Subsequuntur enim omnia prospera, si primitus quae Deo sunt cariora serventur (48).» Item s. Thomas, *De regimine principis*, qui haec habet: « In regimine legislator semper debet intendere, ut cives dirigantur ad vivendum secundum virtutem; imo hic est finis legislatoris, ut philosophus dicit in 2. ethicor.» et paulo post: «Finis, ad quem principaliter lex intendere debet in seipsa et in subditis, est aeterna beatitudo, quae in visione Dei consistit (49).» En quid doceant patres atque ecclesiae doctores. Quam vero ab his sensibus abludunt pseudo-politici, qui statum atheum quodammodo vellent!

(45) Lib. III. Epist. LXV. *Ad Maurit imperat.*

(46) *Epist.* CLVI. cap. 3. ed. Ballerin.

(47) Lib. III. *Sentent.* cap. LI. n. 6. ed. Arevali.

(48) In *Epist. ad Theodos. imperat.* quae extat in actis conc. Ephes. Action. II. apud Harduin. Acta concil. tom. I. col. 1473.

(49) Lib. III. c. 3. Cf. Admonitionem praeviam Bernardi Mariae de Rubeis.

ARTICULUS II.

Expenduntur argumenta pro lege sub aspectu potissimum morali.

§. I.

Populi religio, ac legis ipsius restrictio.

Regio subalpina est intime catholica, adeoque coniugia vix umquam celebrabuntur absque actu religioso (50). Nihil proinde ab hac lege est pertimescendum, quasi bonis moribus esset noxia, eo vel magis, quod ipsius codicis civilis regula generalis haec sit, ut matrimonium per solemnitatem religiosam sanciatur. Hac praescriptione tributum solvitur principio illi conscientiae populorum penitus insculpto; quod nempe actus potissimus totius vitae, actus, qui familiam constituit, a religione consecretur. Tunc vero solum validitas matrimonii civilis coram iudice initi a lege decernitur, cum consecratio religiosa locum habere non potuerit (51).

Responsio.

Ex quatuor partibus eiusmodi ratiocinatio coalescit; 1. quod ea sit populi dispositio, ut refugiat ab omissione ritus religiosi in contrahendis nuptiis; 2. quod propterea pauci admodum coniugium mere civile inirent (52); 3. quod spiritus codicis regulam generalem insinuet ac foveat de celebrandis coniugiis ritu religioso; 4. quodque ideo in lege de exceptione tantum agatur. His explanatis, accedimus ad examen uniuscuiusque partis instituendum.

(50) Tornata dei 26. Giugno 1852. pag. 601-605.

(51) Ibid.

(52) Inter cetera animadvertit minister regius *sigillorum custos* ab an. 1802. ad annum 1814. sub gallica dominatione, in cuius codice lex vigebat de matrimonio civili, ne unum quidem subalpinorum matrimonium sine ritu religioso contraxisse; adeoque idem factum iri in posterum se confidere. *Senato del regno* 18. Dic. pag. 189. col. 1.

Prima itaque est optima populi animi comparatio, qui ab omissione ritus religiosi prorsus abhorret. Ergo inde ego concludo: populus melior est legislatoribus suis, ac lege, quam huiusmodi homines a populo deputati vellent ei imponere. Hoc idem est ac fateri populi sensum ac mores superiores esse legi ac suis legislatoribus. Hoc est profiteri ingenue non legem mores dirigere, sed mores populi legem corripere et legislatores suos, atque tacite exprobrare errorem, immoralitatem ac perversitatem ducum suorum; hoc est profiteri ab ipsis populi delegatis hac lege votum ac desiderium populi fuisse violatum. Quid porro magis perversum dici potest adversus legem, quae iustitiae ac rectitudinis norma esse deberet? Quid ignominiosum magis dici potest adversus legumlatores, quam quod ipsi in causa sint, ut populi per legem deteriores non fiant, ideo quia lege non utuntur? Attamen ipsi sunt, qui hanc sibi infamiae notam inurunt (53).

Altera huiusce ratiocinationis pars est innocuam fore legem ob paucitatem eorum, qui coniugium hoc mere civile inirent. Ergo iterum inferimus: ipsimet legis propugnatores profitentur legem per se noxiam esse, seu gravissima mala obventura esse societati, si lex passim ac vulgo executioni mandaretur; ipsimet haud dissimulant, quod si plurimi, aut plerique civium eiusmodi inirent coniugia, id cederet in detrimentum societatis, cuius incolumitati atque utilitati ipsi maxime, immo vero unice studere se iactant. Itaque non legi, non legislatoribus in acceptis referri debet, quod societas ad ruinam ac ad interitum praecipitanter non properet, sed practicae legis desuetudini. Et hi nihilominus se populi ac societatis tutores servatoresque nuncupare non verentur!

Atque utinam hic sisteret istorum audacia; sed ulterius progressi adnituntur numerum eorum augere, qui exitiales

(53) Cf. Sauzet op. cit. pag. 22 seqq.

hasce civiles nuptias contrahant. Etenim, ut omittamus praesidia indirecta, quibus utuntur enervando religionem catholicam, bellum iuge indicendo ecclesiae, promovendoque protestantismum, seu negationem cuiusvis christianismi positivi, id obtinere directe etiam satagunt alliciendo ad horum coniugiorum civilium celebrationem imminutione impedimentorum dirimentium (54), abrogationeque impedientium. Hac ratione multiplicare student suas civiles nuptias, quas tamen paucos admodum inituros esse affirmant.

Ceterum facilis est descensus averni; satis est incipere, et posita in malum proclivitate, disrupto aggere aquae dilabuntur, ac undique sese effundunt praecipites.

Tertia pars ratiocinationis, quam refellimus, codicis spiritum commendat, qui insinuare ac promovere dicitur generalem regulam, ut coniugia ritu religioso celebrentur. Verum dum de codice sermo est, sermo est de codice iam dato ac de codice adhuc dando subalpinis, seu de codice facto ac de codice *in fieri*. Si dato codici adiiciatur lex de coniugio mere civili, falsum est spiritum codicis insinuare ac promovere regulam generalem de ritu religioso in coniugiis servando. Tunc enim spiritus perfecti codicis se prodit ex oblectamentis ac illiciis, quae codex ipse civibus praebet ut sese invicem coniungant coniugio

(54) Superius vidimus impedimenta dirimentia canonica pleraque in legis paradigmate fuisse sublata, et ad pauca omnino redacta. Insuper proposita lex plenissimam facultatem concedit regi dispensandi in primo affinitatis gradu sive ex legitima sive ex illegitima copula, nec non in impedimentis consanguinitatis et affinitatis inter patruos, amitas, nepotes ac neptes, ut ei exprobrat senator impugnator legis. Vid. *Senato del Regno*. Tornata del 18. Dicemb. 1852. pag. 200. col. 2. Quis porro nesciat eiusmodi dispensationes soli ecclesiae, seu rom. pontifici esse reservatas? Quis ignorat eiusmodi coniunctiones a Deo in Levitic. XVIII. fuisse prohibitas? Attamen in legis subalpinae paradigmate persona regis exempta ab impedimentis in eadem recensitis declaratur. Atque hoc demum obiter adnoto non alia in ea lege impedimenta dirimentia proponi praeter illa ipsa, quae statuerat Lutherus.

isto profano; se prodit ex causis, quae adducuntur ad legem hanc cohonestandam ac promovendam; se prodit ex animo hostili adversus religionem catholicam, qui legislatores istos ac proinde codicem informat; se prodit denique ex ipso huius legis schemate, quae sancienda proponitur. Quod si revera spiritus codicis foret regulam generalem promovere de iungendis nuptiis ritu religioso, quare igitur isti legislatores novam hanc codici iam recepto inserere legem discupiunt, qua antea ille erat destitutus? Si talis est spiritus codicis ut servetur regula generalis, cur hunc codicis spiritum immutare contendunt? Sinant igitur regulam generalem permanere intactam, ut perfecte ac iugiter sine exceptione ulla in usu sit, ac spiritus ille servetur, quemadmodum hactenus obtinuit. Verum hoc ipso quod maxime optent, ut regula illa decidat, ideo novum hoc protestantismi inventum proponunt.

Postrema pars cum priore conserta asserit hac in lege non agi nisi de quadam exceptione; at hoc est effugium, quo se contegere vellent, qui legem proposuerunt; quia in re tanti momenti atque aleae plena debuerunt timide cauteque incedere, ut lex adoptaretur. Ceterum, si reipsa non ageretur nisi de quadam exceptione, quare adducuntur ad statuendam legem causae, quae generales sunt ac universales, cuiusmodi sunt, quas hactenus expendimus, et quas mox etiam expendemus, quales ex. gr. sunt independentia ac autonomia potestatis civilis, libertas conscientiae, exigentia horum temporum, aliaeque eiusmodi? Hae siquidem, si quid valerent, non pro sola exceptione valerent, sed pro principio et usu generali. Deinde, si de unica tantum exceptione res esset, saltem alicubi hoc exprimeretur; insinuaretur saltem in legis decursu adhortatio aliqua ad ritum religiosum, qui maxime ipsis cordi est, si eis auscultemus, frequentandum, seu iungendum civilibus

nuptiis. Atqui in longo totius legis schemate nuspiam ne verbum quidem occurrit ritus religiosi hoc in sensu, multo vero minus insinuatio, aut exhortatio ad eum celebrandum. Videntur potius *catholici* eiusmodi legislatores vel ipsam ritus religiosi mentionem timere. Ergo mentita est iniquitas sibi, dum facta destruunt verborum protestationes.

Atque hic nullatenus praetermittere debeo animadversionem circa singularem istorum hominum phrasaeologiam verborumque circuitum, quo utuntur, de coniugio christiano disserentes. Ipsi constanter loquuntur *de ritu religioso, de consecratione religiosa, de solemnitate religiosa, de vinculo religioso, de actu religioso etc.*, ne proprio nomine *sacramentum matrimonii* designent appellentque, quasi nempe eos puderet vocare matrimonium, ut vere est, *sacramentum novae legis*. Et tamen isti sunt, qui gloriantur se *catholicos* esse, dum vel a proprietate *catholici* sermonis et usu abhorrent!

§. II.

Exemplum catholicarum nationum.

Nihil solemnius in comitiis subalpinis fuit ad sanciendam legem coniugiorum mere civilium, quam urgere exemplum legislationis gallicae ac belgicae (55). In earum nationum codicibus lex ista sancita est; neque tamen ullum detrimentum exinde in societatem provenit; nec romani pontifices vocem adversus eam extulerunt aliquando; quid igitur vetat quominus et nos eamdem statuamus legem? Numquid vetitum erit nobis, quod aliis licitum fuit? Eccurnam inferiores magnis illis nationibus erimus, quae adeo progressae sunt in omni humanitate? Cur reprehen-

(55) Ita passim in *Parlamento sardo.* - *Camera elettiva* praesertim pag. 605-624. etc. nec non in *Senato del regno.* pag. 190. etc.

dent in nobis romani pontifices quod in ceteris tolerant populis? Profecto nec nomen nostrum, nec progressus noster feret umquam ut minoris fiamus ceteris gentibus. Quod si eiusmodi lex apud illas nihil attulit nocumenti sive moribus sive publicae tranquillitati, sive religioni, sive familiis, uti tot annorum experientia abunde constat, nullum pariter est nocumentum regionibus nostris pertimescendum, si eadem lex codici nostro inseratur. Ita quidem subalpini oratores.

Imo vero non defuerunt, qui hanc legem moribus utilissimam fuisse contenderent, atque ab ea pene repeterent quidquid boni apud quasdam gentes invenitur. Gallia, inquit regius minister, ante matrimonii civilis legem memorandae subversionis auctrix fuit anni 1793.; post matrimonium civile eadem Gallia novam subversionem edidit anni 1848. quae tanto humanior fuit ac religiosior. Societas instituta in separatione status et ecclesiae multo se religiosiorem ostendit. Quoad mores Gallia nunc praestat temporibus Ludovici XV. et XVI. Scotia regio est religiosissima, et tamen habet matrimonium civile. Ita etiam Belgium (56).

Responsio.

Tota haec ratiocinatio principio tum logice tum historice falso innititur. Nimirum principii loco assumitur exemplum aliarum gentium veluti normam habendam esse, simulque eo exemplo constare legem de coniugio civili innocuam esse religioni, moribus ac societati. At vero haec, quae tam fidenter asseruntur, falsa sunt.

Nam quod ad normam attinet ex aliorum exemplo desumptam, nemo negaverit, cum de re aliqua magni praesertim momenti agitur, prius inquiri debere, bona ne sit, iusta, honesta, conveniens ac utilis tum in se, tum

(56) *Senato* loc. cit.

relate ad omnia temporum, locorum ac personarum adiuncta. Siquidem si res sit mala, iniusta, inhonesta ac noxia, absurdum plane foret ad aliorum exemplum provocare. Numquam poterit eiusmodi exemplum rei naturam immutare. Si aliqui amentes ac deliri in se ipsos manus conseiverint, se excaecaverint, in praeceps se dederint, nemine reclamante, afferri ne serio posset istorum exemplum ad illas actiones cohonestandas sanciendasque? Qui rationis rectae ductum sequentes, praesertim admoniti, ne illos imitentur, ab eorum pravo exemplo imitando se se abstineant, nescio an minoris aestimandi sint. Immo quis non habeat uti stolidas pecudes illas, quae cum viderint pecudem primam in abyssum se proiicere, illico illam sequuntur, ac proinde se collidunt? Idem dic de iis, qui indignarentur in illos, qui de periculo ipsos commonefacerent.

Talis porro est lex de coniugiis mere civilibus, quam hactenus ostendimus protestantismi inventum, publicae ac privatae honestati contrariam, familiae societatisque bono adversam, impiam, tyrannicam, religioni catholicae inimicam, ac denique sub omni respectu noxiam et antipoliticam. Quae cum ita sit, ecquid confert exemplum sive gallicae sive belgicae legislationis ad eam cohonestandam? Si regionum illarum pseudo-politici graviter errarunt eam adoptando, illorum error praemonere potius debet prudentes legislatores, ut ab eodem caveant.

Accedit, quod legislatio gallica legem hanc adoptaverit cum ferverent civiles motus ac seditiones sub finem elapsi saeculi (57), cum omnia humana ac divina iura sus

(57) Cf. *Les codes francais collationés sur les textes officiels* par Louis Tripier. Paris 1854. ibi liv. 1. Titre cinquième *du mariage* habetur: *Constitution française* du 5-14. Sept. 1781. titr. I. « La loi ne considère le mariage que comme contract civil. » Chap. II. Des formalités à la célébrat. du mariage art. 165. « Le mariage sera célébré publiquement devant l'officier civil du domicile de l'une des deux parties. »

deque verterentur, cum vix coniugii nomen ac forma superesset; cum divortium esset sancitum; ea scilicet aetate, qua, impietate longe lateque grassante, quidquid contra religionem ac bonos mores in mentem veniebat, statuebatur (58). Progressu quidem temporis sub consulatu, ac postea sub imperio gallico plura ex iis, quae fuerant impie constituta, reformata sunt, pluresque leges abrogatae. Spectata tamen ea animorum dispositione, nondum potuit lex, de qua agimus, expungi ab illo codice, in quo dum permanebit, non erit sine minimo eiusdem gentis infortunio.

Ex Gallia in Belgium, quod sub ditione gallica tunc vivebat, eadem lex cum codice pertransiit, et ob eadem motiva, abrogari non potuit; tanto magis quod sub haeretico gubernio regnum illud gemere debuerit. Postea vero, etsi autonomiam sibi vindicaverit, tamen alternantibus ministrorum politicorum mutationibus, quorum non pauci principiis non adeo religiosis imbuti erant, nihil hac in re innovari potuit, immo et in comitiis ob leves falsasque causas accepta est (59).

(58) Cf. Sauzet, qui op. cit. pag. 17. animadvertit legem de qua loquimur in Gallis primum obtinuisse: «Il m'en coute de le dire, c'est la loi française, la loi du peuple le plus justement fier de sa civilisation délicate, la loi du pays très-chrétien, qui méconnait les traditions du droit des gens, adoptée même par le paganisme, et rebaisse le mariage au niveau des plus vulgaires contracts, que le caprice improvise, et que l'inconstance détruit. L'homme y tient la place de Dieu, et la table du magistrat remplace l'autel du prêtre. Que dis-je? La loi qui réduit le mariage à un contract civil, efface Dieu, et sacrifie les consciences. Après les paroles de l'officier de l'état-civil, le mariage est tenu pour consacré, et si la jeune et timide vierge attend une autre sanction pour cet irrévocable changement de sa destinée, si c'est au ciel même, qu'elle demande le signal de la transformation de ses devoirs et la consécration de l'avenir, on pourra se rire impunément de ses scrupules, et réfuser à sa pudique piété le sceau de la bénediction promise.»

Postea pag. 27. detegit epocham, in qua lex de coniugio civili adoptata fuit his verbis: «Sans doute le code civil, promulgué à une epoque de transition, le lendemain de la confusion révolutionnaire, où tout avait péri, le throne, l'autel, et les mœurs, n'a ni osé, ni pu professer avec une sincère et courageuse énergie tous les dogmes régénérateurs.»

(59) Haec lex fuit adoptata in Belgio mense Martio an. 1815. gratuitis his principiis innixa: «Considérant, que le mariage comme contract civil n'est sou-

Haec tamen sunt praeclara exempla, ad quae se recipiunt oratores subalpini, ut exitiosam illam legem promoveant ac sanciant. Nonne eos potius pudere deberet? Si vere saperent, hanc agendi rationem reiicerent potius, quam gloriolam vanam in hisce nationibus imitandis sectari.

Quod si romani pontifices expresse neque contra hanc legem, neque contra aliam multo peiorem publice reclamarunt, aut protestati sunt, certe non ita se gesserunt, quod a labe immunem, aut innoxiam legem ipsam existimaverint; sed quia animorum comparatio non ferebat obiurgationem, aut publicam admonitionem, quae inutilis fuisset, prout medicorum praescriptiones inutiles sunt infirmis phraenesi laborantibus. Cum vero postea res in peius creverint, ad tempus dissimularunt, saltem publice, donec nacti meliora tempora possent munere suo non sine aliqua spe felicioris exitus fungi. Sane cum non ita pridem agitaretur quaestio de lege coniugiorum civilium in Novae-granatensis reipublicae comitiis, illico Pius IX. eidem gravissimis verbis publice bellum indixit, eamque reprobavit (60); ac rursum sensa sua hac de re aperuit, cum de eodem negotio in comitiis subalpinis actum est (61).

mis qu'à la puissance civil séculière, et que l'autorité ecclésiastique n'a aucun droit d'en empêcher l'exercice.

Considérant, que non obstant le pouvoir qui compète à la puissance séculière sur les actes civils de ménage, il n'est pas cependant dans notre intention de nous immiscer en ce que la réligion établit pour sanctifier les mariages, mais de laisser à cet égard l'entière liberté etc.»

At quis non videt primum motivum adductum esse prorsus falsum et religioni catholicae contrarium?

(60) Haec verba sunt Allocutionis in consistorio secreto die 21. Sept. 1852. «Nihil dicimus de alio illo decreto, quo matrimonii sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino denegata, eiusque institutione et natura prorsus ignorata et eversa, atque ecclesiae in sacramentum idem potestate penitus spreta, proponebatur iuxta iam damnatos haereticorum errores, atque adversus ecclesiae doctrinam, ut matrimonium tamquam civilis tantum contractus haberetur, omnesque matrimoniales causae ad laica deferrentur tribunalia.»

(61) Vid. *Lettera diretta dalla santità di Pio IX. a sua maestà il re Vittorio Emmanuele li* 19. *Settemb.* 1852. *sul matrimonio civile*, in qua sum-

Nulla igitur ratio est conquerendi, quod rom. pontifex insurrexerit adversus talem legem, cum periculum ingrueret populis christianis, ne ea a perditis pseudo-politicis eisdem imponeretur. Sane numquid reprehenderetur, qui animadvertens quempiam per praeceps iter facere in quo alii, qui praecesserunt, sibi ruinam conscivere, clamaret ne se in idem evidens periculum se collidendi immitteret? Hoc porro illud est, quod fecit rom. pontifex, dum se se huic legi opposuit. Profecto qui ob peramantem eiusmodi admonitionem quererctur, velut insaniens habendus esset; multo vero magis qui hac de causa adversus sollicitum pontificem iurgia moveret, prout a non paucis factum est insigni ingrati animi nota.

Ceterum non modo principio logice absurdo innituntur pseudo-politici, dum in subsidium theseos suae advocant exemplum aliarum gentium, verum etiam contra historiam falsa comminiscuntur. Affirmant confidenter nullum detrimentum promanasse ex hac lege illis in regionibus, penes quas viget; nullum damnum sive in societatem sive in bonos mores, sive in familiarum pacem illatum inde fuisse effutiunt. Sed ita rem non esse facile evincitur; satis nobis erit in medium proferre, quae nuper hac super re vulgata sunt.

mus pontifex. his verbis hanc eamdem solvit difficultatem. «V. M. aggiunge, che queste stesse leggi, le quali sono in vigore presso certi stati limitrofi al regno del Piemonte, non hanno impedito alla s. Sede di riguardarli con occhio di benevolenza e di amore. A questo risponderemo, che la stessa s. Sede *non si è mai acquietata sui fatti*, che si citano, e *sempre ha reclamato* contro queste leggi appena ne conobbe l'esistenza, conservandosi anche adesso ne' nostri archivii i documenti delle fatte rimostranze. Ma queste proteste non hanno mai impedito, nè impediscono di amare i cattolici di quelle nazioni, che *furono costrette* a sottoporsi all'esigenza di queste leggi... Intanto però non possiamo a meno, anzi sentiamo tutto il debito che ci corre di prevenire il male per quanto da Noi dipende, e dichiariamo a V. M. che la s. Sede ha reclamato altra volta contro questa legge, oggi più che mai è stretta dal dovere di farlo verso il Piemonte, e nei modi i più solenni, perchè appunto il ministero di V. M. invoca gli esempi di altri stati, dei quali funesti esempi incombe a Noi il dovere d'impedirne la riproduzione.» In *Allocuzione della santità di nostro signore papa* Pio IX. *nel consistoro segreto* dei 22. Genn. 1855. Roma pag. 181 seqq.

Insignis est libellus supplex a massiliensibus senatui parisiensi oblatus die 30. Maii 1853. In eo, praemissis principiis, quod mores publici sint conditio vitalis felicis progressus cuiusvis recti regiminis; quodque optima status constitutio pendeat ab optima familiae constitutione; vinculum vero coniugale primarius typus sit societatis, fonsque certus illius potestatis paternae, quae est forma primordialis potestatis publicae praeexistens omnibus populorum institutionibus; quod sanctitas coniugii fuerit quovis tempore mensura veri civilis cultus (civilitatis), ac nationes vicissim creverint aut decreverint prout dignitas coniugalis vinculi aucta est vel deiecta; quod denique ex coniugum conditione infantium institutio, vis virtusque generationum ac futura sors pendeat totius nationis; his, inquam, aliisque praemissis, libellus supplex exponit pessimos fructus, quos lex de coniugiis mere civilibus in universis Galliis hactenus protulit.

Hi vero sunt eiusmodi effectus, ut omnes honestos ac religiosos viros permoveant, timoremque ingenerent graviorum adhuc malorum in futurum. Nempe scandala, divortia per mortem civilem (62), discordia fratrum, infamia, religionis contemptus, vulgaris persuasio ritum religiosum non esse nisi accidentalem formam, quae contractui civili superveniat, et sine qua coniugium perfecte consistat; propagatio perniciosae huiusce perversaeque persuasionis, morum licentia effraenata, institutionis moralis ac religiosae defectus; germina omnia dissolutionis tum domesticae tum publicae; incrementum maximum ignotorum natorum, qui expositi communi nomine vocantur, publica concubinatus professio, aliaque id genus non minus religioni ac bonis moribus, quam publicae honestati ac regimini politico perniciosa (63).

(62) Haec mors tamen civilis demum sublata est lege lata die 13. Iunii 1854.

(63) *Pétition adressée au sénat pour réclamer, au nom des intérets ré-*

Nec minori vehementia rem hanc ipsam persequitur cl. Sauzet in opusculo saepe a nobis laudato, quod eodem anno vulgavit *De matrimonio civili ac religioso;* vir supremo ministerio publico functus, qui proinde optime huius legis effectus in Galliis noverat. Iam vero, hic in epistola ipsa nuncupatoria imprudentes appellat atque retrogrados eos, qui adhuc se religioni catholicae hostiles praebent, eosdemque anachronismi sane deplorandi reos vocat. Patefacit imminentia mala, quae ex hoc rerum statu subalpinis ex communibus religionis statusque politici adversariis obventura sunt; ostendit arctissimi foederis necessitatem clerum inter ac civile regimen, ut hoc subsistere possit, cui quidem foederi et coniunctioni obsta-

ligieux la révision du titre du mariage dans le code civil, et l'abolition de la mort civile. Marseille le 30. Mai 1853. In prima subscriptione iam numerabantur nomina virorum ex omni conditione et gradu, qui libellum supplicem dabant 722.

Interea iuverit haec verbis confirmare et auctoritate illorum qui a multo tempore operam dederunt piae institutioni de matrimoniis civilibus per religiosum ritum cohonestandis, quique propterea sunt ab experientia plane edocti de eo quod in eiusmodi coniugiis contingit. Interrogati a quodam vere catholico senatore taurinensi de hac quaestione, ita eidem rescripsere: « Tous les évêques de France avec tous les ministres de second ordre, avec tous les directeurs de consciences, avec tous les auteurs consciencieux, qui ont écrit sur l'histoire de France dans la période comprise entre 1789. et 1850. conviennent, que la religion catholique ne s'est jamais remise du coup qui lui a été porté il y a 60. ans par l'institution du mariage civil.

Que depuis notre époque, un nombre considérable de français vive maritalement sans avoir reçu la bénédiction nuptiale, et qu'ils mourraient presque tous sans avoir reçu les sacrements, si le clergé, au dernier moment, et plusieurs âmes charitables ne réunissaient tous leurs efforts pour prévénir ce malheur.

Qu'un homme qui n'a contracté que le lien civil du mariage, cesse en général de pratiquer la religion, et on a remarqué que les personnes mariées civilement n'ont pas elles-mêmes la moindre confiance dans leur soi-disant mariage.

Que c'est dans ces déplorables unions, qu'on est assuré de trouver les enfants indociles et libertins, des enfants qui ignorent jusqu'au signe de la croix. Si les parents étaient des mariés civils, les enfants ne rougissent pas d'être de pères naturels, et il n'est pas rare de trouver trois générations successives d'enfants naturels.

Il semble que lorsque une famille est marquée au front de cette tâche, son chef reconnait lui-même qu'elle est en dehors de toute loi morale, et impuissante à en supporter le frein.»

Ex *Senato del regno* pag. 187. Tornata dei 15. Dicemb. 1852.

culum esset maximum lex de coniugio mere civili, quae non ita pridem tanto animorum aestu in publicis comitiis promovebatur; quodque praecipue ad rem nostram facit, exemplum Galliarum proponit, in quas tantum malorum profluvium exinde dimanat (64).

Haec autem quae leviter in laudata epistola ac cursim auctor attigerat, plenissime evolvit in toto opusculo. Ostendit enim ideam coniugii necessario praeseferre typum characteris religiosi, a quo separari nequit; fieri non posse ut sine religionis interventu coniugium perpetuum sit ac indissolubile; separationem inductam a lege gallica inter religionem et statum civilem caussam extitisse corruptionis publicae morum. Hanc legem passim maculam vocat, quae codicem infecit turbolentissimis illis temporibus, cum vigeret atheismus: ostendit sub omni aspectu eiusmodi legem antipoliticam esse, nec nisi a rei publicae hostibus posse promoveri; adhortatur publicum regimen ad eam e codice omnino expungendam, aut saltem temperandam. Denique summae imprudentiae, ac hostilis in religionem animi fore demonstrat, errorem hunc antipoliticum in alias gentes transferre, et sic inficere codicem, qui adhuc immunis est a lege, quae tot tantorumque malorum causa et origo est.

Quae dicta sunt de Galliis pari iure affirmari debent de Belgio, ubi mala, quae ex matrimonio civili proveniunt non minora sunt, ac sub aliquo respectu deteriora adhuc quam in Galliis ipsis. Siquidem et ibi concubinatus legalis viget, persuasio penes rudiores praesertim inolita, quod per civilem contractum coram magistratu celebratum verum habeatur coniugium; oblivio religionis in iis, qui ita nuptias contrahunt; collisio inter

(64) *Réflexions sur le mariage civil et le mariage religieux en France et en Italie.* Lyon 1853. A Mr. le comte de Cavour, président du conseil des ministres de sa Majesté le roi de Sardaigne.

impedimenta canonica et impedimenta civilia; effraenis morum licentia; moralis impossibilitas celebrationis eorum coniugiorum, quae *a conscientia* nomen habent, quo fit ut sacri ministri, qui legem naturalem ac divinam ad salutem animarum legi positivae humanae anteponunt, se exponere debeant poenis gravissimis a lege constitutis (65). Divortiorum libertas et facilitas, quae cum semel a magistratu sancita fuerint, sunt prorsus irrevocabilia. Quare interdum fit, ut duo coniuges, qui cum divortium fecerint, volunt se invicem reconciliare, ratumque suum coniugium habere, nullatenus obtinere id valeant; exinde tamquam concubinarii habentur qui ab ecclesia veluti coniuges legitimi spectantur. Immo non semel accidit, ut cum possit gubernium dispensare ab impedimentis a se constitutis affinitatis, aut consanguineitatis, quae communia sunt cum impedimentis canonicis, recuset dispensationem iis, qui ab ecclesia dispensati sunt, et ita novi semper oriuntur conflictus. Insuper per legem belgicam nisi mors alterutrius coniugis probetur per testes oculatos, non admittitur altera pars ad aliud coniugium contrahendum, etiam post dilationem 20. aut 30. annorum, quo fit ut cum nautae a fluctibus absorbentur, ad perpetuum caelibatum eorum viduae damnentur, dum ecclesia longe mitior est. Praeterea libidinosi perditique apostatae non desunt sacerdotes ac religiosi, qui ludicra eiusmodi identidem celebrent coniugia publico cum omnium scandalo et offensione. Quum denique haud pauci reperiantur ex classe infimae plebis et opificum, qui non valentes sese subiicere expensis, quae ad actum civilem exiguntur, ac propterea nec coram ecclesia coniungi possint, fit, ut isti licentiae indul-

(65) Hac fortasse de causa in art. 16. Constitutionis Belgicae an. 1830. his verbis matrimonium civile sancitum est; «Le mariage civil devra toujours précéder la bénédiction nuptiale, *sauf les exceptions a établir par la loi, s'il y a lieu*». Nondum tamen eiusmodi exceptiones a lege datae sunt; adeoque poenas incurrunt parrochi, qui ex munere debent matrimoniis conscientiae interesse.

geant foedamque transigant vitam. Pia a s. Francisco Regis nuncupata societas tota licet sit in matrimoniis eiusmodi miserorum redintegrandis, expensas necessarias solvendo, spectata illorum multitudine ac prava voluntate, impar est remedium tanto malo afferre. Interim vitium totam fere inficit societatem (66).

Qua igitur fronte improvidi pseudo-politici ad Galliarum ac Belgii codices provocant, ut adeo exitialem legem innumerorum pene illis in regionibus malorum amplissimam scaturiginem, cohonestent atque suadeant?

Insanum vero est paradoxum turpique sophismati innixum ministri regii assertum, quo vellet suis persuadere legem de coniugio civili morum integritati sanctitatique consulere. Si Gallia an. 1793. in trucem inauditamque subversionem irruit, non defectui profecto huius legis adscribendum est, quod absurdum foret vel suspicari, sed incredulitati pseudo-philosophorum, ac pseudo-politicorum ope propagatae atque diffusae, universae propemodum morum corruptioni ex incredulitate derivatae, hostilitati adversus apostolicam sedem in acceptis referri debet *subversio* illa (67). Quod si mitior fuit ea, quae contigit an. 1848., non legi de coniugio civili, quod absonum pariter esset dicere, sed influxui adscribendum quem catholica religio exercebat in omnium pene animos, reiecto et obsoleto illo pseudo-philophismo voltaeriano fere universim, maiorique erga sedem apostolicam propensioni. Verum et haec subversio exitialibus doctrinis Universitatis magna ex parte debe-

(66) Haec mihi ex Belgio a cl. doctissimoque viro per epistolam datam die 30. Decemb. 1855. communicata sunt, cum cum hoc super negotio consuluerim; et tamen aliqua silentio pressi.

(67) Satis est vel leviter percurrere celebre opus ab. Barruel, cui tit. *Mémoires pour servir à l'Histoire du jacobinisme* quatuor vol. in-8. Hambourg, et Londres 1798. ut quisque intelligat animorum comparationem illius aetatis, conspirationem universalem pseudo-philosophorum adversus religionem christianam, seu adversus ecclesiam, et impietatem longe lateque grassantem.

tur (68). Lex, de qua agimus, utrique subversioni extranea extitit.

Alioquin pari iure inferre possem: in Belgio, ac in Germania nata *subversio* est ob legem de matrimonio civili illic vigentem, contra vero in imperio russiaco nullus fuit hic motus eo ipso, quod non vigeret haec lex. Quid reponeret adversarius?

Caeterum affirmare, quod lex de coniugio civili utilissima sit moribus, perinde est ac serio affirmare pestilentiam conducere ad aeris salubritatem, inopiam ad opulentiam, frigus ad aestum. Vere his, qui ita ratiocinantur, applicari illud potest Apostoli: « Qui dicentes se esse sapientes stulti facti sunt (69). »

ARTICULUS III.

Expenduntur argumenta pro lege sub aspectu etiam religioso et catholico.

§. I.

Theologicae quaedam doctrinae.

Non defuerunt in comitiis subalpinis theologi, licet laici. Sic igitur senatorum unus argumentum deprompsit ex ipso theologiae penu. Exemplum populi iudaici et ethnicorum, qui matrimonium perpetuo uti actum civilem simul et sacrum spectarunt, ad rem non pertinet, quum penes antiquos populos utraque potestas civilis ac religiosa essent coniunctae; contra vero eae seiunctae sunt in lege evangelica, quum protestatus sit Redemptor, regnum suum non esse de hoc mundo (70). Hoc argumentum ite-

(68) Cf. insigne opus. *Le monopole universitaire destructeur de la religion et des lois.* Lyon 1842.

(69) Rom. I, 22.

(70) *Senato del regno.* Tornata del 15. Dicemb. pag. 180.

rum iterumque ab oratoribus vario sub aspectu propositum fuit.

At regius ipse minister plura protulit theologica argumenta. Matrimonii vocabulum, inquit, duplicem praesefert sensum. Significat enim primo viri ac mulieris unionem perpetuam atque legitimam; ac talis est sensus, in quo a legumlatoribus matrimonii nomen usurpatur. Alter est sensus religiosus, sed hic est additus priori, prout constat ex ipsis catechismis, iuxta quos matrimonium est sacramentum, quod *coniugatis* gratiam confert, ut proprii status obligationes rite obire possint. Iam vero, num ex eo quod matrimonio civili adiectum sit sacramentum, consequitur illud subiici absolutae ecclesiae iurisdictioni?

Praeterea: principes infideles in matrimonia potestatem habebant: imo eam adhuc retinent principes, qui separati sunt ab ecclesia. Eccurnam igitur ea destituentur principes catholici?

Fingamus (liceat mihi parumper hypothesi uti, quamtumvis absurda videri possit) nullam existere revelationem; et solam extare circa nuptias legem civilem. Supponamus Deum revelationem impertiri, atque edicere: Iis qui nuptias debitis animi dispositionibus celebrabunt, ego gratiam conferam, qua gravia obeant officia, quae huic vitae conditioni adnexa sunt. Fingamus divinum revelationis auctorem caelum repetere, ac relinquere hisce in terris sacerdotium. Si huiusmodi sacerdotium ediceret: «Mihi quidem, mihi soli ius est ferendi leges circa nuptias; decernere quinam habiles sint, quinam inhabiles, ad me spectat iudicare;» si sacerdotium haec exigeret, putatis ne quod eiusmodi exactiones assumptionesque admitterentur? Nimirum responderemus. Quum facta fuit revelatio ad quam *et nos spectare gloriamur*, nihil potestati principum detractum est. Si coniugium consecratum est a Deo, non ideo hac de causa coniugium cessavit ad statum civilem

pertinere. Non est matrimonium sicut sacramenta reliqua, quae ad solam spiritus vitam referuntur; status seu gubernium nequit ullo suo privari iure; immo vero *munus* seu obligationem habet iura omnia sibi propria tutandi. Hanc vocavi fictionem ac hypothesin; ceterum ea nil aliud est, quam simplex historia. Cum christianismus introduci coepit, leges civiles circa matrimonium vigebant, nullum novum ius tunc invectum fuit, ac solum in densis tenebris medii aevi constituta fuere principia contra legum civilium auctoritatem.

Quid plura? vel ipsum concilium tridentinum constituere voluit necessitatem ineundi nuptias coram parocho, sed ea ratione id fecit, ut indicaret, non tam se intendere ad consecrationem religiosam, quam ad certiores faciendos magistratus civiles; siquidem nullum peculiarem ritum benedictionum praescripsit; uti validas agnovit nuptias coram parocho invito ac interdicto etiam initas; inter causas quas protulit huius canonis, ne verbum quidem habet de necessitate consecrationis religiosae, sed unice eo spectare significavit, ut cessaret dubitatio circa matrimonia inita sola contrahentium voluntate.

Infelix qui sibi adiumenta non comparat ex religionis praesidiis! Nos id libenter concedimus; ast illud non probamus quod auctoritati conscientiae subrogentur iussa legislatoris civilis; id non probamus 1. quia non censemus eiusmodi principia conformia principiis legislationis, quam liberalem dicimus, 2. neque conformia esse indoli illius religionis, quae ab externa refugit coactione (71).

Regius etiam minister adiecit, se non intelligere quomodo anticatholica ea lex dici possit, quae inter tot populos catholicos obtinet; quam contrariam esse dicunt non dogmati, sed disciplinae. At quandonam illicitum erit atque schismati proximum in regno subalpino id quod alibi

(71) *Senato.* 16. Dicemb. pag. 189. 190.

licitum est et catholicum (72)? Si verum esset (urgetur adhuc) catholicum virum contrahere matrimonium non posse, quin ille actus per sacerdotalem benedictionem ad sacramenti gradum evehatur; haec esset veritas in omnibus locis admissa, quum ecclesia in dogmatibus una sit et universalis (73).

Alius orator theologica argumenta in compendium redegit, ut animum adderet iis legis fautoribus, qui forte ex religiosa causa quidquam timerent. « Iam ego legis huius fautoribus dicam: Agite iam, ne quid trepidetis, neque episcopatum neque summum pontificem timeatis: ii porro contra Deum bellum non agent. Legi favent documenta Iesu Christi, traditiones apostolorum, doctrina ss. patrum, acta conciliorum, leges consuetudinesque civilium nationum, praxis atque doctrina ecclesiae: uno verbo Deus ipse favet legi. Iam vero episcopatus noster, ac summus pontifex cum Deo erunt: dicam igitur iterum: Ne timeatis, Deus est nobiscum (74).»

Responsio.

Hactenus quidem non satis theologicis doctrinis imbuti oratores, qui suis in theologicis dissertationibus miscuerunt quadrata rotundis, ut patefacerent se non magis in theologicis studiis esse versatos, quam in arte legis condendae. Quod ut eluceat, iuverit ad summa quaedam capita, haec quae retulimus revocare, ut deinde iudicium de singulis feramus.

Haec autem sunt 1. Christum in religione sua separasse potestatem religiosam a potestate politica, adeoque matrimonium religiosum a matrimonio civili, secus ac antea fuerit penes populos, in quibus utraque miscebatur pote-

(72) Ibid. pag. 192. col. 3.
(73) Ibid. pag. 187.
(74) *Senato del regno*. 16. Dicemb.

stas. 2. Qualitatem religiosam accessisse contractui civili matrimonii iam in suo esse constituti. 3. Christum nullo modo quidpiam voluisse detrahere potestati quam principes infideles, aut haeretici habebant, aut adhuc habent in contractum civilem nuptiarum, secus ac contendat sacerdotium christianum. 4. Christianam religionem, cum introduci coepit, iam invenisse leges civiles circa coniugia quibus se subiecit. 5. Matrimonium virtutem suam habere sine ullo ritu, seu consecratione religiosa; neque tridentinum cum suo canone id negasse, cum sine religioso ritu solam parochi materialem praesentiam sufficere decrevit. 6. Improbandum eum quidem esse, qui negligeret ritum religiosum, non tamen ad illum esse cogendum, cum id non ferat indoles legislationis liberalis, ac religionis, quae abhorret ab omni externa coactione. 7. Legem de matrimonio civili theologice spectatam immerito dici anticatholicam, utpote, quae non dogmati sed disciplinae adversetur; 8. immo vero eam theologicis argumentis comprobari, ac Deum legi favere. Iam singula expendamus.

Ac I. Prima assertio falsa et absurda est; nam numquam et nuspiam Christus Dominus societatem a societate seiunxit, aut separavit. Siquidem ipse unus ac solus est rex universae terrae (75); ipse est, cui dedit Deus omnes gentes in haereditatem suam, ac possessionem suam terminos terrae (76), eique data est omnis potestas in caelo et in terra (77). Ipse itaque supremum caput est utriusque societatis religiosae ac politicae. Quamvis vero pro diverso rerum ordine, diverso fine, diversisque praesidiis, quibus homines reguntur, dimiserit potestati civili, quae spectant directe ac primario ad felicitatem temporalem, potestati vero ecclesiasticae seu religiosae quae spectant directe ac

(75) Ps. XLVI. 8.
(76) Ps. II. 8.
(77) Matth. XXVIII. 18.

primario ad felicitatem aeternam; unam quidem ab altera *distinxit* potestatem, non tamen *divisit* aut *separavit*, perinde ac si diversae essent societates. Nam una eademque est societas, quae regitur ab utraque potestate sub diverso respectu, quaeque uni subest auctori ac Domino Christo. Quemadmodum superius diximus, ita se habet potestas politica ad potestatem ecclesiasticam ex doctrina patrum, uti se habet corpus ad animam, quae illud informat, regit ac moderatur. Separatio duarum societatum politicae ac religiosae est inventum, ut vidimus, schismaticorum medii aevi, quod primum protestantes acceperunt, postea vero increduli. Quocirca separatio contractus civilis coniugalis a sacramento in coniugiis christianis est commentum pseudo-politicorum seculis anteactis prorsus inauditum.

Dixit quidem Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo*, id est *terrenum*, seu regnum meum non est ut regna terrena, sed alterius plane naturae, ut patet ex contextu (78). Quod si antiqui populi utramque potestatem politicam et religiosam permiscuerunt, inde provenit, quod supremi imperantes sibi utramque adscripserint ac

(78) Cuius quidem interpretationis vades damus non exegetas catholicos, multo vero minus iesuitas, qui *hilaritatem* excitarent in subalpinis comitiis, ut ibi dicitur, sed protestantes, imo et rationalistas quos adversarii nostri maioris faciunt. Igitur Rosenmuller senior in scholiis ad Io. XVIII. 36. ita verba Christi enarrat: « *Regnum meum non est terrenum* εἶναι ἐκ τοῦ κοσμοῦ, significare potest vel originem sumere ex his hominibus; vel simile esse regno terreno. Utrumque eodem redit, si sententia spectetur. Verba tamen sequentia declarant, magis naturam, quam originem regni indicari. Sensus: Regnum meum non est huius generis cuius sunt regna terrena, velut Cesarum, statum imperii romani non laedit. οἱ ὑπηρέται - τοῖς Ἰουδαίοις. *Satellites mei depugnassent quominus synedrio* (captivus) *traderer*. Haberem armatum satellitium, haberem instructas copias, praesidia decertarent armis pro me, ne iudaei hoc, quod moliuntur in me, impune facerent.»

Kuinoël autem alter rationalista in eund. loc. sic Christi verba exponit: «Ad refellendam iudaeorum calumniam, quod se regem terrestrem dixisset; declarat Iesus, regnum suum non esse terrenum, adeoque neutiquam romanis periculosum.»

Itaque melius fecisset senator subalpinus, si allegasset verba Christi *Matth.* ult. *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*; nec non *Apocal.* XIX. 16. ubi de Christo scriptum est, quod sit *Rex regum et Dominus dominantium*.

vindicaverint; Christus vero potestatis religiosae depositarium solum sacerdotium suum fecit. Nec omittendum, non obstante illa utriusque potestatis permixtione, tamen imperatores romanos, ut antea ostendimus, matrimonialia negotia pontificibus demandasse.

II. Altera assertio non ex sanae theologiae fonte, sed ex promptuario Nepomuceni Nuytz arcessenda est, qui eam a Launoio, Launoius ab apostata De Dominis, hic vero rursum ab schismaticis Occhamo et Marsilio Patavino mutuatus est. Doctrina, qua asseritur *qualitatem religiosam*, nempe sacramentum supervenire et accedere matrimonio civili iam in sua essentia constituto, est una ex thesibus a Pio IX. confictis, adeoque est falsa, et aliena a catholica doctrina, iuxta quam, uti ostendimus, matrimonii sacramentum in ipso contractu et per contractum inter personas legitimas perficitur. Contractus porro legitimus haberi nequit, ubi tridentinum publicatum est, quin consensus eliciatur juxta formam ab eodem concilio praescriptam. Haec est germana catholica doctrina. Contractus proinde civilis nullius valoris est in conscientiae foro, et qui eo solo utuntur fornicarii sunt.

III. Tertia assertio nititur falsa hypothesi, quod nempe principes ethnici, et haeretici ius aliquando habuerint, aut habeant supra *vinculum coniugale*, quod oratores nostri perpetuo cum effectibus civilibus confundunt, cum tamen nimium distent. Dubium saltem est num rectores populorum, quicumque demum ii fuerint, aut sint, infideles, haeretici, catholici, ullam habuerint umquam, aut habeant potestatem in matrimonium in se spectatum eiusque duas praecipuas proprietates; sed tota ipsorum auctoritas coarctatur ad effectus extrinsecos ac mere civiles. Etenim Deus ipse est, qui in paradiso protoparentes matrimonio coniunxit, et primus praeoccupavit quamcumque legislationem humanam, quae in posterum fieri posset, duasque, ut

innuimus, proprietates praecipuas constituit coniugii, *unitatem* scilicet et *indissolubilitatem;* quibus nulla umquam potestas derogare valuit humana (79). Indidem contractus divino-naturalis originem matrimonii constituit in omnibus Adae posteris, nec a lege humana positiva dependet. Leges, quae deinceps in societate circa coniugium constitutae sunt, numquam ipsum attingere in sua natura potuerunt, sed solum eiusdem coniugii effectus in ordine ad societatem. Sane cum consensus efficiat contractum coniugalem, et hic pendeat ab animo contrahentium, quomodo posset humanus legislator hunc contractum sibi arrogare, cum ab interiori voluntatis actu pendeat, atque in potestate sit partium in conscientiae foro, sive in concubinatu, sive in vero matrimonio degere (80)?

Cum igitur Christus hunc divino-naturalem contractum ad dignitatem sacramenti evexit per adiectionem gratiae suae, nihil circa eius intimam immutavit naturam, adeoque cum nihil in hac re dederit umquam potestati principum, nec ullam principes in eum penitus habuerint, aut habeant potestatem praeter illam, quae adhuc in ipsis est ac perseverat; restat ut nullam aliam partem sibi arrogare possint nisi eam, quae attingit effectus exteriores et civiles.

(79) Quod perspicue expressit Pius VI. in suis litteris ad episcopum Agriae datis 11. Iul. 1789. in quibus praemissa divina matrimonii institutione, ita prosequitur. « Quo manifeste patet, matrimonium vel in ipso statu naturae, ac sane ante multo quam ad proprie dicti sacramenti dignitatem eveheretur, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat perpetuum indissolubilemque nexum, qui proinde nulla civili lege solvi queat. Itaque licet sacramenti ratio a matrimonio seiungi valeat, velut inter infideles, adhuc tamen in tali matrimonio, siquidem verum est matrimonium, perstare debet, omninoque perstat perpetuus ille nexus, qui a prima origine divino iure matrimonio ita adhaeret, ut nulli subsit civili potestati. »

(80) De hoc argumento fuse et ex professo agemus in altero libro. Ceterum, si cui minus arrideat haec sententia, quam postea excutiemus, in promptu semper est responsio, quod per evectionem contractus coniugalis ad dignitatem sacramenti a Christo factam; hoc ipso monimonium sacramentum a principibus subtractum a Christo sit, ac principes qui profitentur religionem christianam, novam relationem erga ecclesiam habere, quae non sinit eos in coniugii vinculum antiqua iura, si quae unquam habuerunt, conservare, ut in pluribus aliis, ut suo loco dicemus.

Quapropter christianum sacerdotium cum sibi commissam habuerit a Christo sacramentorum administrationem, etiam in sacramentum matrimonii, quod inseparabile est a contractu legitime inito, suam potestatem exercuit et exercet declarando, et sanciendo quanam ratione possint fideles matrimonium valide ac licite inire, atque apponendo conditiones, sub quibus personae fiant habiles, aut inhabiles ad contrahendum.

Neque maiorem peritiam theologus noster ostendit, cum auctoritatem urget catechismi, ut evincat gratiam accedere ad matrimonium iam confectum, ita ut illud sine sacramento consistere valeat; siquidem ipse permiscuit matrimonii definitionem prout est sacramentum cum sacramenti *effectibus*. Nam catechismi in adductis verbis non praebent sacramenti matrimonii definitionem, quae alia omnino est, sed enumerant effectus, qui ex sacramento proveniunt, cuiusmodi est gratia ad rite obeundas obligationes, quas secum fert matrimonium (81). Nullo autem modo catechismi innuunt sacramenti rationem superaddi contractui civili, uti contendit adversarius.

Eius idcirco hypothesis de revelatore, qui divinitus promittat gratiam iis, qui iam fuerint coniugio copulati, non modo non est simplex historia seu veritas, sed mera mentis eius confictio, quae non aliud fundamentum habet, quam anticipatum eius iudicium ac imperitiam oratoris in theologicis disciplinis inordinatamque idearum confusionem. Sacerdotium christianum nihil sibi usurpavit, sed functum est iugiter ac pergit fungi munere suo in matrimonii celebratione et moderatione, prout praestitit ac praestat in ceterorum sacramentorum administratione. Nam quamvis horum materia ut plurimum constet ex elementis naturalibus, cuiusmodi sunt aqua, panis, vi-

(81) Id patet ex interrogatione quae fit in catechismis. « *Che effetto* fà il matrimonio? » R. *Dà la grazia ai coniugati* ecc.

num, oleum etc. tamen cum ea usurpat ad sacramenta conficienda, ea adhibet ut sua absque dependentia a civili societate. Civilis magistratus protegit ac tuetur quidem iura sua, seu iura, quae habet, non autem ea, quae non habet. Nullum autem reipsa ius habet quod sibi vindicet super matrimonium christianum.

IV. Quarta assertio omni pariter est fundamento destituta; nam quando christiana religio introduci coepit, invenit quidem leges civiles, sed leges invenit, quae vim tantummodo habuerint in effectus civiles matrimonii, nempe in ordine ad societatem, ut paulo ante adnotavimus ac postea etiam data opera ostendemus, non autem, quae afficerent intimam matrimonii naturam, seu vinculum, quod non est nec esse potest obiectum legis humanae seu civilis. Si qua matrimonia invalide inirentur, id non enascebatur ex vi legis positivae, sed ex vi legis naturalis, quae plures coniunctiones improbat. Si qua vero inirentur coniugia, quae iure naturae valida essent, profecto ob principum leges invalida in *foro conscientiae* non reddebantur. Contra vero si quae permittebantur a legibus coniugia, quae iure naturae improbarentur, valida ob eiusmodi leges non efficiebantur. Verum dato etiam quod res adhuc incerta sit, immerito orator eam tamquam principium inconcussum ac ineluctabile assumit.

Sed et illud accedit, falsum omnino esse ecclesiam legibus civilibus, quas invenit circa matrimonium, se subiecisse. Nam ecclesia vel a suis primordiis propriam autonomiam patefecit, ac uti omnino independentem se gessit circa matrimonii politicam legislationem; atque ut suo loco ostendemus, tum novas ac sibi proprias condidit leges, tum leges imperiales attemperavit, aut abrogavit etiam; tum si quae erant innoxiae, ne fideles civilibus destituerentur effectibus, ac molestiam sustinerent, eas adoptando, suas effecit, suaque sanctione probavit. Si

ita continenter se gessit ecclesia, vel ab ipsis suis primordiis, profecto non ex tenebris mediae aetatis repeti haec eius agendi ratio potest (82). Verum clavus hic est alte fixus mentibus omnium ecclesiae impugnatorum, praesertim vero leguleiorum, quique factus est unus ex locis communibus pseudo-politicorum, adeoque et adversarii quocum manus conserimus, qui in bello contra ecclesiam ad idem medii aevi promptuarium confugit.

V. Quinta assertio suam habet sub aliquo respectu veritatem, quae tamen vim nullam habet in favorem thesis propagnatae ab adversario. Verum itaque est, matrimonium etiam christianum, ac propterea quatenus sacramentum est, non mutuari valorem suum a ritu religioso, seu a consecratione religiosa, nempe a benedictione sacerdotali, abstrahendo ab ecclesiae lege, hoc enim non solum ultro damus, verum etiam plene contendimus. Quod in sola sacerdotali benedictione consistat sacramentum matrimonii, una est ex thesibus a Pio IX. speciatim positis in damnatione operum Io. Nepomuceni Nuytz, adeoque sinceri catholici theologi longe absunt ab hac doctrina. Quocirca nulla erat ratio quare minister taurinensis nobis proponeret, posse matrimonium consistere sine ritu seu consecratione religiosa. Id iamdudum noveramus ex coniugiis clandestinis, quae sub anathematis interminatione decrevit tridentinum habenda esse ut vera et rata matrimonia, id est, sacramenta, quamdiu ea ecclesia irrita non fecerit; idipsum noscebamus ex illis omnibus ratio-

(82) Ecclesia christiana debuit necessario ab ipsis suis initiis inveniri in admodum difficili positione respectu legislationis romanae, ceterarumque nationum penes quas penetravit, ac in tacita antithesi doctrinae suae cum legibus, quae aut latae erant, aut promulgabantur a principibus ethnicis. Ut enim animadvertit Doellinger in op. et. loc. cit. *Hippolytus und Callixtus*, interdum necessario rata habere debuit matrimonia, quae a legibus infirmabantur, ac irritare ea, quae a legibus probabantur. Cuius rei exempla luculentissima exhibet, quae nos afferemus, cum hoc de argumento agemus in proximo libro.

num momentis, quae in altera huius libri sectione adduximus ad ostendendum huius sacramenti ministros esse ipsos contrahentes.

Sed si adversarii propositio sub hoc respectu suam habet veritatem, sub alio suam praefert falsitatem, dum nempe exinde colligit universim valere matrimonium sub ratione contractus civilis initum. Etenim concilium tridentinum ad quod nos provocat orator, in eo quem ipse per errorem *canonem* vocat, nos vero dicimus *decretum* et quidem *reformationis*, decernit: « qui non aliter quam praesente parocho...et duobus aut tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos s. synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti *decreto* irritos facit et annullat.» Porro quae coram magistratu civili ineuntur nuptiae, non ineuntur *praesente parocho;* ergo non sunt nuptiae, nec sunt contractus ob defectum habilitatis ad contrahendum; sed sunt stultus et impius ausus contra ecclesiae catholicae statuta; et qui fictis hisce nuptiis freti cohabitant, se constituunt in statu turpis concubinatus. Ecclesia semper quidem abhorruit a nuptiis clandestinis, atque ut illicitas habuit, at numquam, saltem lege generali, irritas fecit usque ad concilium tridentinum. At modo, velit nolit potestas civilis, sunt irritae. Sola ecclesia revocare legem potest quam tulit.

Quinimo, uti animadvertit egregius auctor, si ecclesia decretum a se editum de irritatione coniugiorum clandestinorum aboleret, lex de matrimonio civili, saltem sacpissime, inutilis redderetur, nec vexari possent parochi ob collatam vel denegatam benedictionem. Revocato enim coniugio ad statum pristinum, possent contrahentes per secretum consensum sine sacerdote et testibus suum inire coniugium, quin gubernium id ullo modo nosceret (83).

(83) Avogadro conte della Motta, *Teorica dell' istituzione del matrimonio*

Quid ageret hoc in casu magistratus civilis? Ad summum ita nubentes civilibus iuribus destitueret, sed matrimonium permanebit.

Quum vero essentia coniugii christiani, et propterea sacramenti a solo contrahentium consensu pendeat, clara ratio est, quare ad matrimonium sufficiat sola assistentia seu praesentia materialis parochi, licet is sit invitus, et interdictus (ut vult adversarius); intelligitur quare concilium tridentinum peculiarem nullum ritum benedictionum praescripserit, nec verbum habeat de necessitate consecrationis religiosae ac unice eo spectare significet, ut cessaret dubitatio circa matrimonia inita sola contrahentium voluntate. Haec enim omnia optime cohaerent cum doctrina nostra, immo vero cum doctrina quam semper professa est ecclesia catholica.

VI. Sexta assertio, seu potius conclusio ac peroratio digna est praemissis. Primum quidem commiseratur ac dolet eos qui negligunt religionis adiumenta. Haec est hypocrisis; dolet enim ac miseratur illorum infelicitatem, qui negligunt religionis praesidia in eo ipso actu, quo urget sanctionem illius legis, qua catholici solvuntur obligatione adsciscendi sibi haec eadem adiumenta religiosa, et eo tendit, ut oblivioni ac desuetudini tradatur actio religiosa! Deinde vero asserit probari non posse, quod auctoritati conscientiae auctoritas coactiva subrogetur. At vero quis umquam effutiit subroganda esse iussa civilis legislationis auctoritati conscientiae? Nemo umquam ca-

cap. XVI. pag. 199. «Ai fautori del potere esclusivo dello stato, scribit, sul matrimonio civile, la chiesa, se volesse, potrebbe giuocare un bellissimo giuoco, per mostrare, com'essi poco o nulla potrebbero senza di lei, nè giungerebbero ad architettare e dar consistenza alle loro istituzioni di matrimonio politico, se essa non avesse prima creato il matrimonio ecclesiastico, aggiungendo riti e solennità alla semplicità del matrimonio naturale sacramentale. .. Ora l'effetto di tale largura concessa dalla chiesa, sarebbe il torre al potere civile il miglior mezzo di esecuzione delle formalità civili prescritte sul far del codice francese tendente a dar un'esistenza propria al matrimonio ateo, e a contradire al giure cattolico.»

tholicorum id sensit, aut docuit. Sed munus catholici gubernii est efficere, ut religio quae declarata est *sola totius regni religio* ab omnibus servetur ut decet; alioquin si impune ac prout lubet passim violetur, actum esset de observantia et obsequio quod religioni debetur. In cuiusque foret arbitrio eam proculcare, profanare templa, contumeliis sacerdotes obruere, dies festos publicis molitionibus violare, aliaque eiusmodi peragere, a quibus perversi homines arbitrii sui moderatores non abhorrent in totius religionis contemptum ac eversionem. Ergone maiores nostri, qui modum posuerunt scelestis religionis profanatoribus, eosque ad officium, externum saltem, praestandum compulerunt, fuisse iudicandi sunt caeci ac superstitiosi usque ad novam lucem, quam tandem aliquando hodierni legumlatores induxerunt?

Non fert catholicae religionis indoles, ut cogantur impii ad ea praestanda officia, quibus eos conscientia devincit, iuxta oratorem nostrum; attamen saepissime haec ipsa religio subsidium adhibuit brachii saecularis, quod vocant, ut coactione externa quovis tempore reluctantes adigeret ad obsequendum, atque ad eorum compescendam audaciam. Quid norunt novi isti legislatores de religionis indole? Respiciant potius protestantismum et anglicanismum, qui sunt exemplum cui sese conformare omni ope student, videantque num principes protestantes et anglicani cogant nec ne subditos suos ad ea praestanda, quae cuiusque status religio ab ipsis exigit (84). Itaque in-

(84) Ex. gr. quo rigore cogant catholicos ad solvendas decimas sive in Anglia sive in Hibernia anglicanis sive episcopis sive aliis inferioribus ministris, etsi catholici istorum opera neque utantur, nec uti possint in religionis negotio.

Non ita pridem pistor in Anglia gravissima est poena multatus qui paucos panes vendiderat cuidam necessarios eo quod ex improviso ad eum pervenerint advenae amici et propinqui dominica die. Vae autem illi qui in protestantium et anglicanorum templis, aliquid indecori perageret! Nec in hoc sunt reprehendendi, si phariseismum excipias, qui apud illos viget, ut patet ex pistoris exemplo.

teriores quidem animi dispositiones ad rite suscipiendum sacramentum sola exigit conscientia, at ad ponendos actus externos cogit, cum opus est, sanctione externa catholica auctoritas (85).

Nihil adiicimus de conformitate aut difformitate principiorum legislationis liberalis cum obligatione qua civilia obstringuntur gubernia ad cogendos cives ut actus externos edant quos ab ipsis exposcit religio status, quia hac de re satis diximus, cum excuteremus principium *de libertate conscientiae,* seu de libertate pessime etiam agendi.

VII. Additur, quod si verum esset matrimonium contrahi a catholicis non posse, quin ille actus *per benedictionem sacerdotalem* ad gradum sacramenti evehatur, id verum esset omnibus in locis: at vero tridentinum non viget ubique, ac porro intelligi nequit quomodo res, in qua apud ipsos catholicos habetur varietas, pertineat ad dogma vel ad disciplinam universalem, et quomodo anticatholicum esse possit in regno subalpino, quod alibi est plane catholicum. Reponimus primo oratorem omittere ea verba debuisse: *per benedictionem sacerdotalem*, ut saepius diximus. Deinde animadvertimus, auctoritatem ecclesiae in legibus ferendis matrimonialibus, atque in hac nominatim lege, pertinere ad dogma, adeoque unam hac de re apud

(85) Cf. *Civiltà cattolica* in art. qui inscribitur: *Il potere coattivo della chiesa* n. CXI. *Seconda serie* vol. VIII. 14. Novemb. 1854. in quo perbelle totum hoc argumentum evolvitur adversus modernas theorias.

Cf. etiam Taparelli: *Saggio teoretico di diritto naturale* vol. II. diss. VII. *Dritto speciale.* Cap. II. *Società cristiana.* §. II. n. 1432. ed. rom. 1855. ubi cum sibi proposuisset difficultatem: « La chiesa è una società *spirituale.* Dunque non ha alcun diritto sul materiale» resp.: « Se per *società spirituale* intendono *società di spiriti*, la premessa è falsa; se poi intendono società diretta a fine spirituale, è falsa la conseguenza » quod deinde fuse evolvit.

Et vol. I. diss. IV. cap. IV. art. II. §. I. n. 888. « Le pene adunque in tal caso possono adoprarsi contro i violatori della religione a proporzione della colpa, non già per farli pii, o *credenti per forza*, ma perchè non turbino la sociale unità religiosa, elemento importantissimo di pubblica felicità, o colla falsità delle dottrine o collo scandalo degli esempi.»

omnes catholicos omnibus in locis esse doctrinam. At quum ipsum concilium statuerit, ut suum decretum ibi vim haberet, ubi certa cum forma esset publicatum, inde fit, ut iis in locis in quibus publicatio facta non fuerit, diversa sit disciplina, ac valida sint ea matrimonia, quae alibi sunt invalida. Hinc intelligi potest quomodo in regno subalpino id possit esse anticatholicum, quod alibi catholicum est ac legitimum; et quomodo per legem de matrimonio civili dogma simul et disciplina in discrimen vocentur.

VIII. Denique ad ea, quae alius orator adiecit, nempe Christum, apostolos, patres, concilia, uno verbo, Deum favere legi seu stare pro lege, singula, quae is fidenter affirmat, nos fidentius negamus, ac iure merito, prout ex dictis, et ex iis, quae mox dicemus, abunde constat. Interea eius effato: «Deus est nobiscum» opponimus aliud effatum quod gravissimus senator (86) eidem in ipso senatu sapienter opposuit: «Deus est cum ecclesia: cum ecclesia perstemus; tum Deus erit nobiscum.»

§. II.

Historia ecclesiastica antiqua et recentior.

Plus semel in comitiis atque in senatu argumenta pro lege ex historia fuerunt deprompta. Notat Fleury apud ipsum populum iudaicum in coniugiis rem totam inter parentes et amicos transigi consuevisse (87): adeoque adhuc matrimonium contractus erat civilis. Huiusmodi fuerunt nuptiae Isaac et Rebeccae, Booz et Ruth, Sarae ac Tobiae.

In ecclesiae primordiis, sin minus licitae, saltem validae habitae sunt nuptiae absque ritu religioso celebra-

(86) Di Colobiano.

(87) Verba ex Fleuryo allata haec fuerunt: «Tout se passait entre les parents et les amis: aussi ce n'était encore qu'un contract civil.»

tae, perinde ac subsequentibus aetatibus; si forte tempora quibus regnarunt Carolovingiani imperatores excipiantur (88).

Imperatores romani post Constantinum, addit alius orator, ac Iustinianus ipse quamvis saepius theologum agere voluerit, numquam tamen celebrationem ritus religiosi ut conditionem civilis matrimonii necessariam statuerunt. Eiusmodi necessitas inducta fuit a Carolo M. nec sine exceptionibus, iisque non paucis, ut patet ex coniugiis clandestinis. Deinde concilium tridentinum non quidem dogmatica definitione, sed per modum reformationis solemnem matrimonii ritum constituit, ac gubernia eam legem adoptarunt. Haec est genuina historia.

Post ipsum tridentinum concilium romana curia numquam gallicam legem de matrimonio civili anticatholicam declaravit. Postquam organici articuli editi fuerunt, sancta sedes quasdam fecit expostulationes, at nihil dixit omnino de matrimonio civili, sed de divortio tantum conquesta est. Anno 1817. sancta sedes alia quaedam circa conventionem, quam vocant, atque organicos articulos proposuit, sed iterum siluit de matrimonio civili. Attamen tunc temporis post fata an. 1814. religio *catholica* tamquam status religio habebatur (89).

Atque ad Galliam quidem, quod attinet, si eius historia aetate ipsa tridentini inspiciatur, Gallia numquam disciplinam tridentini concilii accepit. Voluit quidem suam esse formam matrimonii in concilio statutam, eo vel maxime, quod cardinalis Lotharingius illam a concilio efflagitaverit, sed eam promulgavit ut legem omnino suam occasione conventus blesensis, quin ullam concilii mentionem iniiceret. In ipso regno subalpino in Pineroli provincia disciplina tridentini non fuit recepta: alibi recepta

(88) *Senato del regno.* 16. Dicemb. 1852.
(89) *Senato del regno.* 16. Dicemb.

quidem fuit, at vi legis civilis : iam vero quod lex fecit potest infectum reddere, imo et debet, dum respublica id postulat (90).

Responsio.

Brevi nosmet expediemus ab hisce historicis argumentis. Etenim, data etiam veritate historica eorum, quae oratores recensuerunt, nihil inde pro eorum thesi consequeretur. Thesis enim non est nisi approbatio legis per quam sine actu religioso, seu potius sine parochi praesentia haberi possit tamquam verum coniugium contractus mere civilis post tridentini decreti publicationem. Iam vero simul ac decretum illud solemnem habuit publicationem aliquibus in locis, matrimonia omnia, quae iuxta formam inibi praescriptam non celebrantur, nulla sunt ac irrita non solum ratione sacramenti, verum etiam ratione contractus sive civilis sive domestici. Totius itaque quaestionis substantia eo revocatur, utrum potestas civilis possit nec ne abolere legem concilii oecumenici, in iis, quae pertinent ad sacramentorum administrationem. Hoc debuisset ostendi historicis documentis; ast hoc est, quod prudente silentio praetermissum est.

Per plura secula matrimonia sine ritu religioso habita sunt valida. Quid inde? Hoc solum consequitur, benedictionem sacerdotalem non requiri necessario; quod nos non modo concedimus, sed et vindicamus. Verum inde nullatenus sequitur, sine parochi praesentia post tridentini publicationem matrimonium valide iniri.

At praeterea, vera ne sunt quaecumque tamquam historica fuerunt prolata? Revera Iudaei semper religiosam ali-

(90) *Senato.* 20. Dicemb.

Consulto praetermisi alias difficultates, quae referuntur ad potestatem legum ferendarum circa matrimonium de qua actum est in comitiis et senatu subalpinis, quia hoc de argumento agemus in altero libro.

quam ceremoniam adhibuerunt, ut constat ex ipsis ab oratore prolatis exemplis Isaac et Rebeccae (Gen. XXIV. 3-60); Ruth et Booz (L. Ruth IV. 11-12.); Tobiae et Sarae (Tob. VII, 15.), quamvis non semper sacerdos, sed maior natu, aut paterfamilias benedictionem conferret (91). At quidquid sit, etiamsi res tota, ut ex Fleuryo opponit orator, inter parentes et domesticos transigeretur, inde non sequeretur matrimonium spectatum fuisse ut contractum *civilem*, sed potius ut naturalem ac domesticum.

Ideo vero imperatores romani a Constantino et deinceps nullam tulerunt legem qua christiani adigerentur ad ritum religiosum in celebratione nuptiarum, quia negotium istud ecclesiae dimiserunt, quae licet iugiter voluerit, imo praeceperit ut matrimonium in facie ecclesiae iniretur, ut suo loco ostendimus, numquam tamen, lege saltem universali, irritum illud fecit si clandestino more iniretur. Plerique fidelium coniugium suum ritu sacro celebrabant; cum vero temporis lapsu passim ritus hic omitteretur, et exinde non pauca orirentur mala et incommoda etiam in societatem ipsam, tum imperatores orientales seu byzantini, tum Carolus Magnus datis severissimis legibus ad ritum religiosum celebrandum omnes coegerunt, sub poena infamiae, ac nullitatis, saltem in foro externo, quod item significavimus. Attamen ipso fatente adversario, clandestina coniugia adhuc inita sunt.

(91) Io. Seldenus in op. *Uxor Hebraea*. Londini 1646. lib. II. cap. 7. agit de benedictione sponsalium, et cap. 12. *De benedictione in Thalamum* atque ipsis nuptiis praevia: refertque formulam utriusque benedictionis ab antiquissimis temporibus receptam. Componi autem possunt cum iis, quae habet Fleuryus et post eum Salvador, quum sacerdotis interventum in nuptiis negant: quia, ut scribit Seldenus cap. 12. p. 180. ad exemplum nuptiarum Booz quibus adfuerunt decem seniores «horum qui maximus natu erat, aut dignior, benedictionem praebebat.» Vid. etiam Sam. Schelivechium *De antiquitate*, et Christoph. Kartolsissium *De necessitate consecrationis nuptialis*, Gretserum *De benedictionibus* lib. II. c. 43. Io. Dongtheium in *Analectis sacris* ad Malach. II. 14. Cf. etiam Iahn *Archaeolog. bibl.* Vienn. 1814. §. 154.

Quod si concilium tridentinum per modum reformationis, non per dogmaticam definitionem sancivit, ut deinceps sub nullitatis poena, in facie ecclesiae coniugia celebrarentur, ratio est, quia substrata materia, quae disciplinaris est, dogmaticam definitionem non patiebatur. Attamen principium cui decretum tridentinum innitebatur est dogmaticum, potestas nempe qua pollet ecclesia leges disciplinares condendi.

Quod attinet ad historiam ecclesiasticam recentiorem, falsum est romanam sedem nullas fecisse de civili matrimonio expostulationes, prout temporum illorum iniquitas ferebat. Etenim universim matrimonia civilia improbavit, quum generatim de articulis organicis conquesta est; sed potissimum *facto* ac praxi ostendit quid de huiusmodi matrimoniis sentiret. Proferant adversarii vel unum matrimonium mere civile in Galliis vel in Belgio celebratum, quod romana sedes ut ratum ac legitimum recognoverit. Nos vero idoneo loco documenta dabimus, quibus positive romani pontifices omnia prorsus eiusmodi coniugia nulla ac irrita declararunt. Sane paullo ante attulimus ineluctabile gravissimumque Pii IX. testimonium de extantibus in Tabulario romano multis reclamationis exemplis adversus leges de matrimonio civili, etsi, ut videtur, in vulgus editae reclamationes illae non fuerint.

Quod vero spectat ad historiam Galliae relate ad acceptationem disciplinae a tridentinis patribus inductae, quam quidam ex oratoribus affirmavit Galliam numquam admisisse, verum non est; pleraque enim disciplinae capita a concilio constituta in Galliis recepta sunt, ac vigent (92).

(92) D. M. Charlas in op. *Tractatus de libertatibus ecclesiae gallicanae* Leodii 1684. in-4. lib. X. cap. VI. n. 21. duo affirmat: primo falsum esse acceptationem esse necessariam ut lex obliget (quod iam ostenderat in II. libro; secundo falsum esse nullam concilii tridentini legem acceptatam fuisse in Galliis; quod evincit decreto cleri gallicani an. 1625. edito in tomo I. *Actorum cleri*. Porro hu-

Nec refert tamquam legem regni admissam fuisse formam a tridentino praescriptam in celebrandis coniugiis; siquidem hoc non impedit quominus forma illa vim habeat suam ab auctoritate concilii. Lex utique civilis adoptavit ac suam illam formam fecit, adiiciendo sanctionem externam, legi ab ecclesia statutae (93); in quo nullum est inconveniens, imo optandum esset, ut ubique locorum gubernia ita se gererent; tunc enim coniuncto foedere utraque potestas ecclesiastica et civilis uno animo coniurarent in subditorum bonum efficaciter obtinendum. Potestas enim civilis suas faciendo ecclesiae leges, illarum observationem proveheret et urgeret praesertim penes eos, qui fide debiles, aut increduli non permoverentur solis spiritualibus censuris; potestas vero ecclesiastica induceret fideles ad obtemperandum civili potestati non solum propter iram, sed

ius decreti verba sunt insequentia: «Cardinales, archiepiscopi, episcopi, praelati et alii ecclesiastici viri repraesentantes clerum universum Franciae congregati annuente rege, Carisiis in conventu augustinianorum, post maturam circa publicationem concilii tridentini deliberationem, unanimiter agnoverunt et declararunt, agnoscunt et declarant, se obligari pro suo officio et conscientia ad recipiendum, *sicut reipsa receperunt et recipiunt*, praefatum concilium, et spondent se illud observaturos, quantum possunt per functionem suam et auctoritatem spiritualem et pastoralem.» Haec porro deliberatio singulorum subscriptionibus ac iuramento ad sancta evangelia confirmata fuit. Hic autem coetus augustissimus extitit, utpote constitutus tribus cardinalibus, quinquaginta episcopis, ac triginta secundi ordinis. Quotquot posthac celebrata sunt concilia in Galliis provincialia professa sunt se concilii tridentini decretis disciplinaribus obstricta; nominatim vero, quae nuper ab anno 1850 ad an. 1856. fuerunt celebrata. Quid ad haec orator subalpinus?

His addimus cel. De Marca, qui in suo op. *De concordia*, in prolegom. testatur «Concilii tridentini regulas fidei omnes, et disciplinae praecipuas, constitutionibus regni admissas.»

(93) Apposite cl. Leullierius loco mox citando sic adversus Launoium, qui praeivit oratori nostro, imo ex quo orator hanc ipsam difficultatem depromsit, scribit agens de conventu blesensi «Iniuriam quoque faceret regibus nostris quisque assereret, quod reges Christianissimi, ne viderentur in rebus ecclesiasticis sanciendis, legibus ecclesiae obnoxii esse, canones conciliorum suis edictis inseruerint: canones enim illos inseruerunt suis in constitutionibus, non quod legum ecclesiasticarum sibi potestatem attribuant: sed inseruerunt, ut poenis temporalibus legum ecclesiasticarum violatores coercerent; inseruerunt, quia ecclesiae disciplinam, leges et fidem sua quoque auctoritate protegere et communire solent; inseruerunt, quia id postulaverant episcopi gallicani.»

etiam propter conscientiam ; sicque haberentur boni fideles et optimi cives.

Simili ratione respondendum est iis, quae orator obiicit de civili ecclesiasticae legis acceptione in regno subalpino. Nec refert quod Pineroli provincia serius venerit in ditionem ducum Sabaudicorum; nam cum adhuc provincia illa pertineret ad Galliae regnum, in ea iam promulgata, ac in vigore erat sanctio tridentina circa celebrationem coniugiorum , quia illud decretum ibi etiam fuerat promulgatum.

§. III.

Concilium ipsum tridentinum.

Iam plures audivimus oratores ad tridentinum ipsum concilium pro lege matrimonii civilis provocare. Concilium tridentinum , instat alius senator, pugnat contra adversarios. Primo quidem concilium florentinum inspiratum a Spiritu Sancto non secus ac tridentinum , definivit, essentiam sacramenti matrimonii consistere in consensu contrahentium, adsit vel desit sacerdos.

In concilio autem tridentino quum cardinalis Lotharingius coniugia clandestina abolenda proponeret, patres responderunt concilium haud posse irritare, quod a concilio florentino fuerat approbatum.

P. Campegius, inter contractum ac sacramentum distinctione inducta, censuit, intacto sacramento, posse attingi contractum. Maiori patrum numero concilium adstipulatum est. Hinc concilium seiunxit contractum a sacramento ; quapropter legis civilis adversarii in canone tridentini concilii, quin inveniant praesidium ac tutelam, inveniunt sibi ruinam.

Unica facta est in concilio tridentino dogmatica definitio , nempe matrimonium esse sacramentum , reliqua

omnia ad disciplinam pertinent, ipsum etiam impedimentum ordinis. Hinc ecclesia graeca catholica perrexit distinguere in sacerdote hominem, civem ac maritum.

Leges disciplinares ecclesiae non sunt nisi humanae rationis foetus pro loco, tempore etc. neque obligant magistratus civiles, nisi cum eas admittunt, ac donec eas non revocent. Talis est doctrina et praxis orbis catholici (94).

Responsio.

Ita quidem sapiens orator historicus, theologus et canonista. Verum in tota hac male congesta disceptatione in plura incurrit eaque gravissima errata partim ex imperitia rerum theologicarum, partim ex ignorantia historiae, partim denique ex temeritate in affirmando. Haec errata singillatim percurramus.

Ac primum quidem est de definitione data a concilio florentino inspirante Spiritu Sancto, quod essentia sacramenti matrimonii consistat in consensu contrahentium, adsit vel desit sacerdos. Si hoc statuisset concilium florentinum inspirante Spiritu Sancto, numquam exorta inter catholicos controversia esset circa ministrum sacramenti, attamen res est notoria, gravissimam nec plene adhuc sopitam eiusmodi controversiam viguisse, scilicet post huius concilii celebrationem, sententiam contrariam Melchiorem Canum adstruxisse innixum etiam huius concilii auctoritate, ut apertissime constat ex iis, quae in priori istius libri sectione scripsimus (95). Itaque non

(94) *Senato del regno.* 16. Dicemb. pag. 197.

(95) Perpetuo in comitiis subalpinis et in senatu oratores huic controversiae theologorum circa ministrum sacramenti matrimonii, ac proinde circa distinctionem inter contractum et sacramentum in matrimonio innituntur, licet perperam, uti ostendimus. Et en novus hic orator constituit dogma fidei esse iuxta definitionem concilii florentini *inspirati a Spiritu Sancto* ministros sacramenti matrimonii esse contrahentes, adeoque identificari sacramentum et contractum. Potest ne fingi maior contradictio?

leve est adversarii erratum, concilium florentinum Spiritu Sancto inspirante eiusmodi edidisse definitionem, quam ipse autumavit.

Nunc vero animadverto, si proprie loquamur, non quidem concilium florentinum, sed potius Eugenium IV. in sua constitutione pro armenis, et quidem post discessum graecorum in basilica lateranensi in qua concilium florentinum continuatum fuit, ut alibi adnotavimus, edixisse: « Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus (96). » Quae quidem verba mutuatus est Eugenius IV. perinde ac cetera omnia, quae in hac sua constitutione ad sacramenta pertinent, ex opusculo V. s. Thomae de sacramentis (97).

Nulla utique in assignanda causa efficienti matrimonii fit mentio sacerdotis, quia ex mente Pontificis et Aquinatis, ministri huius sacramenti, ut pariter nos contendimus, sunt contrahentes ipsi, atque eius efficacia *per se* a benedictione sacerdotali nullatenus pendet.

Alterum eiusdem senatoris theologi erratum est, quod affirmet concilii patres cardinali Lotharingio proponenti irritationem coniugiorum clandestinorum respondisse, haud posse concilium irritare, quod a conc. florentino approbatum fuerat. Etenim si res ita se haberet, cum tridentinum postea, consentiente maiori patrum parte, reipsa irritaverit clandestina matrimonia, sese tandem opposuisset florentino: seu iuxta adversarium cum non minus concilium tridentinum quam florentinum fuerit inspiratum a Spiritu Sancto, Spiritus Sanctus sibi ipsi contrarius fuisset. Hanc vero contrarietatem seu colluctationem Spiritus Sancti cum semetipso protestantibus relinquimus, qui non verentur passim tribuere Spiritui Sancto contradictorias suas Bibliorum interpretationes.

(96) Apud Harduin. *Acta concil.* tom. IX. col. 440.
(97) Ibid. col. 437.

Ceterum veritas historica docet, quod cum Lotharingius ex regis sui demandato proposuit concilio tridentino irritationem coniugii clandestini, *nonnulli* ex patribus se se opposuerunt, eo quod hactenus ecclesia illicita quidem habuerit eiusmodi coniugia, atque ab eis semper abhorruerit, eaque detestata sit, attamen non irritaverit, adeoque nihil esse hac in re innovandum. *Nonnulli* praeterea animadvertebant in coniugio christianorum idem esse contractum et sacramentum, proinde non posse ecclesiam irritare contractum quin irritaret sacramentum (98). His porro aliisque hinc inde discussis, tandem patres cum pluralitate suffragiorum venerunt ad edendum decretum de clandestinorum coniugiorum irritatione (99).

Aliud oratoris erratum est, concilium tridentinum inductum p. Campegii animadversione, *seiunxisse* contractum a sacramento, ex quo ipse edocet iuxta concilium, potestatis civilis esse attingere contractum matrimonii, ecclesiasticae vero attingere sacramentum. Quod quidem alienissimum fuit tum a mente Campegii, tum a mente concilii, quod illius rationem probavit, imo et secutum est. Quoniam vero orator noster difficultatem hanc mutuatus est a Launoio perinde ac difficultates reliquas quas in sua disceptatione congessit, non abs re erit desumere eiusdem solutionem ab eius adversario qui eum plene confutavit, nempe Leullierio, qui his verbis eum refellit.

« Verum quidem est, quod cum Camillus Campegius dominicanus hanc rationem irritandi matrimonia clandestina, mutata minime sacramenti natura, paulo ante pro-

(98) Vid. Pallavicin. *Dell' istoria del concilio di Trento* lib. XXII. cap. 4. Inter ceteros ita disseruerunt Io. Trivigiani patriarcha Venet. et Castagna archiep. rossanens. qui dixerunt: «Non potersi far nullo quel sacramento, il quale ha tutta la sua essenza, benchè gli manchino le dovute solennità... Or consistendo l'essenza del matrimonio nel mutuo consentimento sensibile, e richiedendosi l' altre solennità o per decoro o per prova, il difetto di esse non può torre il valore;» et sic non alii pauci disseruerunt.

(99) Ibid. lib. XXIII. cap. 5 et 9.

posuisset, quae pluribus patribus arrisit, *et quae passim apud veteres legitur theologos*, non mutari videlicet sacramentum, etiamsi quis materiam alicuius sacramenti evertat, sicut non mutatur baptismus etiamsi quis aquam immutet, eam in vaporem convertens; ac proinde, salva sacramenti substantia, ecclesiam posse iubere irritum esse contractum nuptialem clancularium, qui cum nullus sit, formam sacramenti recipere nequit. Cum, inquam, id Camillus Campegius proposuisset, ab Antonio tamen De Solis, qui proxime locutus est, ei contradictum est: quia, inquiebat ille, si ea ratione irritarentur matrimonia clandestina, eiusmodi contractus *nullos facere pertineret ad leges et magistratus seculares: quare cavendum est diligenter, ne dum ecclesiae auctoritatem rescindendi matrimonium clandestinum vellent concedere, eam potius potestati saeculari permitterent*. Attamen id dixit Solisius, non quo vindicaret principibus secularibus hanc potestatem, imo quia hoc tamquam absurdum aliquid ex campegiana disputatione sequi putabat (*cavendum*, inquit, *diligenter, ne dum ecclesiae auctoritatem rescindendi matrimonium vellent concedere, eam potius potestati seculari permitterent*), quod tamen minime sequi ex illa Campegii speculatione iudicavit concilium, ut fatetur ipse Launoius, *cui* (concilio) *inventus a Campegio rescindendi matrimonii clandestini modus omnino placuit, insuper habitis quae Solisius contra disseruerat*. Iudicarunt et regis Christianissimi et aliorum principum oratores, qui per hoc argumentum a Solisio propositum excitati minime fuerunt ad istam principibus suis potestatem vindicandam, quod procul dubio facere homines ad civilia iura tuenda semper experrecti non omisissent, si paria cum Spalatensi Launoioque sensissent.» Hactenus Leullierius (100).

(100) *Observat.* VI. §. 1. pag. 212. Opp. Launoi. ed. Colon. Allobrog. 1732. tomi IV. p. II

Gravissime itaque erravit orator subalpinus in eo, quod affirmavit concilium adhaerendo consilio Campegii contractum a sacramento *seiunxisse*. Non ita se gessit concilium, sed constanter unitatem realem assumens uti basim retinendi contractus et sacramenti, personas quae attentarent coniugium sub forma a se praescripta diversa reddidit inhabiles ad contrahendum, adeoque et inhabiles ad sacramentum conficiendum (101); quia etsi in re unum idemque sint contractus matrimonii et sacramentum, tamen *ratione* seu *cogitatione* alter ab altero distinguitur; logice enim prius est contractus quam sacramentum. Dixi *ratione*, non autem tamquam *res a re*, quasi duae essent entitates separatae. In eiusmodi sphalmata incidunt, qui falcem suam in alienam messem immittere praesumunt.

Post haec facile erit lectori iudicium ferre de gravissima adversarii conclusione: Quapropter legis civilis adversarii in *canone* (dicere voluit in *decreto*) concilii tridentini, quin inveniant praesidium aut tutelam, inveniunt ruinam. Quum praemissae huius ratiocinationis assutae sint totidem erroribus ac falsitatibus, consequentia non debuit ab illis discrepare. Nempe debuit esse falsa et absurda, uti revera est. Nam cum concilium realem identitatem agnoverit contractus et sacramenti; cum per logicam distinctionem attigerit personas contrahentes, adeoque per inhabilitatem personarum ad contrahendum, aboleverit seu irritaverit directe ipsum contractum, patet ex tridentino, non legem civilem, sed ecclesiam ius habere in contractum matrimonii, ac proinde non adversarios legis civilis, sed eius patrocinatores vere invenire in concilio tridentino ruinam, seu ut loquitur orator, *sepulchrum*.

Reliquum est, ut videamus utrum senator noster sagacior extiterit canonista, quam theologus et historicus.

(101) Cf. Pallavic. op. cit. lib. XXII. cap. 9. nec non Bened. XIV. *De synodo dioec.* lib. VIII. cap. II.

Iam vero ipse ex tripode pronunciat: «Unica facta est in concilio tridentino dogmatica definitio, nempe matrimonium esse sacramentum; reliqua omnia disciplinaria sunt.» Ad haec usque tempora, si unum excipias semi-lutheranum Launoium (102), et reliquos qui eum exscripserunt eosque paucissimos sublestae fidei homines, creditum est in universa ecclesia duodecim canones dogmaticos a tridentino in hac sess. XXIV. editos fuisse. Quod si nonnulli ex his canonibus habent pro obiecto materiam disciplinarem, cuiusmodi est caelibatus clericorum et religiosorum, cum tamen haec disciplina pendeat a iure, quod divinitus habet ecclesia in lege sancienda, canones omnes dogmatici sunt, quia sunt cum iure intime coniuncti, ac directe ius ipsum ac dogma afficiunt et attingunt (103).

Et sane concilium mentem suam aperit dum profitetur se velle praebere *doctrinam de sacramento matrimonii*, et quidem ad *insigniores haereses et errores impiorum et schismaticorum hominum exterminandos* (104). Quod vel ipse Paulus Sarpius agnovit, dum absonum visum fuisse politicis refert, velut *articulum fidei* fieri, causas matrimoniales spectare ad iudices ecclesiasticos, prout factum est a concilio canone XII. Ergo cum canones isti editi sunt, ab omnibus uti dogmatici fuerunt habiti. Et ecce nunc senator taurinensis post tria eoque amplius secula nos edocet, si unum excipias, reliquos omnes canones tridentinos esse disciplinares. Verum de hoc argumento alias redibit sermo.

(102) De Launoio *Viro lutherano in habitu sorbonico* nuncupato. Cf. Zachariam in *Antifebronio*, ed. 2. Cesena 1770. Introduzione cap. VI. §. X. p. 256. Certe Ant. Reiserus, auctor protestans, vulgavit Amstelodamii an. 1685. opus quod inscripsit: *Ioannes Launoius testis et confessor veritatis evangelico-catholicae* (nempe *lutheranae*) *in potioribus fidei capitibus controversis contra Robertum Bellarminum*.

(103) Ut patet ex attenta lectione canonis IX.

(104) *In proocmio* sess. XXIV.

Quod vero subdit orator de ecclesia graeca catholica, quae perrexit distinguere in sacerdote hominem, civem ac maritum, non est ad rem, ac unice fortasse protulit, ut peregrinam eruditionem suam nobis palam ostenderet.

Leges ecclesiae disciplinares iuxta adversarium nil aliud sunt, quam foetus humanae rationis, quae pro loco, tempore aliisque rerum adiunctis proferuntur, quaeque non obligant magistratus civiles, nisi cum isti eas acceptent, ac donec eas non revocent. Ast sciscitari ab oratore possumus: num leges civiles non sint humanae rationis foetus pro loco, tempore, aliisque rerum adiunctis prolatae. Leges proinde istae non obligabunt civitates ac municipia, nisi cum eas acceptaverint, aut donec eas non revocaverint. Nescio utrum adversarius hanc theoriam sit probaturus. Itaque non in eo versatur quaestio an leges sive ecclesiasticae sive civiles sint foetus humanae rationis, sed utrum adsit nec ne auctoritas eas conficiendi, et inferiores teneantur potestatis superioris legibus obsequi. Ecquis porro dubitaverit catholicorum ecclesiam a Christo potestatem accepisse leges ferendi, quae obligent omnes fideles sive distributive, sive collective sumptos, cuiusmodi sunt magistratus civiles (105)? Sane doctrina et praxis orbis catholici usque ad infaustum protestantismi tempus constans fuit disciplinares ecclesiae leges, praesertim quae ad sacramentorum administrationem pertinent, exosculari ac reverenter se illis subiicere. Adhuc penes omnes civiles magistratus vere catholicos obtinet, ut eiusmodi disciplinares sanctiones ea qua par est veneratione serventur.

Licet adsint nonnullae disciplinares leges, quae circa obiecta per se adiaphora versantur, quaeque pro variis rerum, locorum temporumque adiunctis a legitima auctoritate temperari possint, earumque a guberniis civilibus relaxatio

(105) Cf. quae scripsimus in *Praelect. theolog. tract. De locis theolog.* part. I. cap. IV. art. III. propos. unica.

a rom. pontifice facile obtineri possit; sunt tamen aliae, quae praecipue versantur circa cultum ac bonos mores, quae omnino obligant provincias ac regna etiam, nec ab istorum acceptatione ulla ratione pendent, multo vero minus possunt ab iis revocari. Numquid regna et provinciae non tenentur ecclesiam audire eique praecipienti obsequi, in iis praesertim, quae ad cultum et ad bonos mores pertinent? Tales autem sunt leges disciplinares, quae ad sacramentorum administrationem spectant. Contrarium affirmare haeresim sapit; talisque semper extitit, quidquid adversarius autumet, orbis catholici doctrina et praxis, eumque provocamus, ut contrarium evincat (106).

Non pauci igitur sunt errores queis undique scatet senatoris subalpini oratio.

(106) Principia, quae in huius oratoris disceptatione habentur, ea ipsa sunt, quae a valdensibus, Io. Huss, Marsilio Patavino, Ianduno, Luthero, Calvino, Grotio iamdiu tradita sunt, quos praeter Puffendorfium, Moshemium, Boehmerum, Buddaeum secuti sunt Loysaeus in suo tractatu *Des seigneuries*, p. La Borde in opusc. *Principes sur l'essence, la distinction et les limites des deux puissances spirituelle et temporelle,* quod proscripsit Benedictus XIV. in constit. *Ad assiduas* tom. IV. eius Bullar. pag. 153. ed. Rom. seu Venetae 1758. Hi omnes ecclesiae iurisdictionem et legislativam potestatem denegarunt, ac potestatem iudiciariam; quem errorem in Marsilio Patavino ac Ianduno damnaverat Ioannes XXII. Const. *Licet iuxta doctrinam.* Apud Raynaldum tom. V. pag. 547. ed. Lucens.

Adversus quam perniciosam doctrinam Cf. inter ceteros eximium opus Io. Ant. Bianchi *Della potestà e della polizia della chiesa* lib. I. c. V. qui acerrime exagitavit Petrum Giannoni ecclesiasticae potestatis hostem infensissimum, nec non Le Gendre: *Iudicium episcopale adversus Io. Gothofredi acerrime vindicatum;* Mamachium *epist. II. ad Febronium* §. XIX seq. pag. 300. Zaccariam in opusc. *Le storte idee raddrizzate* cap. 5. et quod caput est, vel ipsum Fleuryum *Disc. VII. sur l'hist. ecclesiast. De la jurisdict. essentielle à l'église.* Devoti *Instit. Canon.* tom. III. lib. III. tit. I. §. IV.

§. IV.

Separabilitas contractus a sacramento ac distinctio Matrimonii legitimi et ratí.

Longe maiori modestia, ac meliori artificio pro lege disseruit orator, qui huius causae in senatu *relator* fuit (107). Eius disceptatio peculiarem meretur discussionem.

Sententiam ipse sectatur divisibilitatis contractus a sacramento, atque ultro concedit, quod si verum esset penes catholicos nullum haberi matrimonium *validum* nisi quod in facie ecclesiae celebratur, lex matrimonii civilis esset plane anticatholica.

Ast, verum ne est, inquit, connubium inter catholicos a sacramento separari non posse?

Connubium est contractus. Quomodo igitur per evectionem huius contractus ad dignitatem sacramenti factum est, ut *inseparabilis* evaserit a sacramento, ac sublatus fuerit a potestate civili?

Ut ostenderetur inseparabilem esse contractum a sacramento, necesse esset ostendere, aut ita placuisse divino Institutori, aut ita postulare rei naturam, aut talem esse universalem ecclesiae doctrinam, sin minus dogmaticam, disciplinarem saltem fundamentalem.

Iam vero 1. Christus noluit id quod spectabat ad dominium civile devolvi ad ecclesiam; quin potius voluit ut Caesari redderentur, quae sunt Caesaris. Christus noluit annihilare seu destruere contractum, sed in nobiliorem tantum ordinem retulit. Remanet igitur contractus; remanet ergo utpote talis, auctoritati civili obnoxius, ut quivis alius contractus.

2. Rei natura, id est evectio contractus ad sacramentum haud immutat ordinem iurisdictionis. Coniunctio enim

(107) Hic fuit Dynastes De Marghérita. Is non ita pridem pie obiit, et prius quaecumque pro lege dixerat, retractavit. Vid. *Civiltà Cattolica* 1. sabbato Nov. 1856.

unius rei cum altera eiusdem naturam minime tollit. Essentia sacramenti nobilior quidem est, ast non tollit essentiam contractus, sed illam tantum nobiliorem reddit, evehit atque sanctificat; ast contractus ut talis permanet sub civili iurisdictione. Sacramentum tendit ad *sanctificationem* contractus, adeoque est separabile.

3. Inseparabilitas non est *dogma* religionis catholicae. Non probatur ex Scriptura, neque ex traditione; nulla prostat concilii definitio. Si esset *dogma*, in nulla prorsus catholica regione fieri posset, uti facta est ac porro fit eiusmodi separatio.

4. Sed neque est caput aliquod disciplinae fundamentalis. Ecclesia permittit ut doceatur separabilitas ac inseparabilitas: uti catholicos spectat status illos ac regna in quibus docetur separabilitas. Ergo.

Porro si separabile est sacramentum a contractu et vicissim, praestat ut separentur. Tum ecclesiae tum statui valde prodest mutua independentia hoc sensu intellecta, quod utraque potestas intra fines suos contineatur; tunc vitantur lites, iurgia, dubia, quaestiones.

Falsum est matrimonium civile esse concubinatum, sed est matrimonium verum ac legitimum, quamvis non *ratum*. Canonistae omnes distinguunt matrimonium legitimum, et ratum.

Ecclesia ipsa tenet tamquam *validum* matrimonium legitimum, etsi *ratum* non sit.

In hac academia (taurinensi) semper traditum est, matrimonium iuxta leges proprias regionis celebratum, quamvis disiunctum a charactere sacramenti, verum esse matrimonium. Manifestum id est *ante* concilium tridentinum. Deinde concilium constituit ut matrimonium coram parocho celebraretur; ubi concilium receptum est, matrimonium sine parocho nullum est. Verum si alicui principi catholico, prout in Galliis et in Belgio factum est,

placeat aliam formam praestituere matrimonio tamquam contractui, cum eiusmodi civilis lex fuerit promulgata, matrimonia ad eius normam celebrata sunt *vera* matrimonia, quamvis non *rata*. Sane concilium tridentinum illum *canonem* confecit ad vitandam clandestinitatem, non creavit dogma, neque canonem disciplinae fundamentalis, sed actum edidit proprium civilis principatus, eo annuente, immo et postulante. Cum placuerit principatui, potest hic statuere novam matrimonii formam sub nullitatis poena. Quod huiusmodi matrimoniis iuxta normam solius legis civilis initis adiecta non sit dignitas sacramenti, efficit ut ea sint matrimonia quidem legitima, licet non rata; nullatenus autem concubinatus. Ad *validitatem* coniugii non requiritur necessario qualitas sacramenti.

Nulla habetur *lex* sive divina (saltem allegata non fuit), quae praecipiat concursum sacramenti ad valorem coniugii. Immerito matrimonium *legitimum* cum concubinatu confunditur.

Neque vero expedit ut lex ipsa civilis in coniugio actum religiosum sub *poena nullitatis* praescribat: ast peccat utique catholicus, qui contentus matrimonio legitimo, illud ratum non facit.

Dici nequit haereticus, aut schismaticus, qui separationem tenet contractus et sacramenti, donec declaratio, seu definitio facta non fuerit ab ecclesia in concilio oecumenico, quae immutet iurisprudentiam hac in re, atque constituat, ut deinceps solum matrimonium *ratum*, non autem matrimonium mere legitimum producat effectus civiles in foro civili ac in foro ecclesiastico.

Nullum dubium in eo est, quod ante concilium tridentinum matrimonia inita a fidelibus iuxta leges civiles spectarentur ab ecclesia tamquam vera coniugia ac valida, licet eis deesset sacramenti dignitas, nec ideo habebantur ut illicita, inhonesta ac turpia.

Iam vero matrimonia legitima, quae celebrabantur ante concilium tridentinum, possunt celebrari etiam post istud concilium si princeps catholicus in regno suo velit formae a concilio praestitutae aliam subrogare, qua idem finis obtineatur, impediendi scilicet matrimonia clandestina. Ante concilium matrimonia clandestina erant matrimonia sed *non rata;* postea fuerunt invalida. Concilium hoc suo decreto unice voluit tollere clandestinitatem; cum igitur lex civilis tollit clandestinitatem alia quadam forma, matrimonium non erit ratum, sed verum erit coniugium. Concilium illum canonem sanxit ex delegatione principum; hi autem possunt ad se eam potestatem revocare iuxta temporum necessitates. Id, inquam, id iamdiu factum fuisse in Galliis et in Belgio, quin huiusmodi connubiis *legitimis* turpe concubinatus nomen fuerit umquam inditum (108).

Quod fuse hic orator exposuit, breviter alius innuerat inquiens: doctrina quae de contractu ac sacramento unam eamdemque rem efficit, non est *de fide:* etiam contraria opinio est satis *catholica* (109).

Alius etiam senator se ita breviter extricat a tridentino decreto: lex civilis nobis proposita loquitur tantum de coniugiis *legitimis:* concilium vero de his non disserit: ergo eiusmodi lex concilio non adversatur (110).

Responsio

Ut igitur singula, quae ab oratore dicta sunt expendamus et ad trutinam revocemus, animadvertimus primum generatim falsum esse principium; quod ut basis totius disputationis assumitur: nempe iuxta catholicam doctrinam contractum a sacramento separari posse.

(108) *Senato del regno.* 18. Dicemb. 1852. pag. 204 seqq.
(109) Ibid. 17. Dicemb.
(110) Ibid. 20. Dicemb. pag. 210. col. 1.

Cum vero fateatur orator legem fore *anticatholicam*, si iuxta catholicos nullum aliud coniugium fidelium validum sit, nisi quod in facie ecclesiae celebratur, cumque sit exploratum, ubicumque promulgatio habita est tridentini decreti, nullum omnino ac invalidum esse matrimonium, quod coram parocho non fuerit celebratum, profecto ex ipsa oratoris confessione, res esset plane confecta.

Ad id vero quod ait, intelligi non posse quomodo matrimonium, quod per se est contractus, simul ac evectum fuit ad sacramenti dignitatem, inseparabile evaserit a sacramento, atque a civili potestate fuerit subtractum, respondemus connubium esse contractum sui generis, qui cum ceteris comparari non potest. Etenim contractus est quem Deus ipse constituit a mundi primordiis antequam leguleii ac tabelliones existerent, quemque Deus ipse rexit tum in lege naturae, tum in lege scripta, quemque tandem Christus Deus ad sacramenti dignitatem evexit. Cum vero contractus non pars sit sacramenti, sed ipsum totum sacramentum, ab eo separari non potest; nec enim Christus contractum evehens ad sacramenti dignitatem adiecit alium quemdam actum, sed solum annexuit ipsi actui contrahendi gratiam; quo fit ut nequeat alterum ab altero separari, quin destruatur.

At orator vellet ut eiusmodi inseparabilitas certis argumentis demonstraretur, aut ex Christi institutoris voluntate, aut ex rei natura, aut ex ecclesiae doctrina. Reponimus eamdem revera ex triplici hoc capite demonstrari: quod clarius patebit dum singula refellemus, quae orator protulit, ut ex triplici eo capite contrarium potius evinceret.

Itaque ad 1. Probationem, quod Christus noluerit id quod erat dominii civilis ad ecclesiam devolvi, et nos assentimur, ac profitemur reddenda esse Caesari quae sunt Caesaris, dummodo etiam addatur, quod sequitur: *et*

quae sunt Dei, Deo. Porro Dei sunt contractus et sacramentum coniugii, Caesaris sunt extrinseca, quae matrimonium circumstant, nempe effectus civiles, quos Christus Caesari dimisit; sed contractus coniugalis quatenus efficitur per consensum et voluntatem contrahentium, numquam fuit Caesaris, sed Deus in protoparentum coniugio eum sibi reservavit, decernens etiam praecipuas eius proprietates, unitatis et indissolubilitatis, ut alias diximus. Exinde patet corruere illationem ex falsa hypothesi profluentem.

Quod si, ut aliis placet, Deus supremae olim potestati etiam contractum ipsum coniugalem moderandum tradidit, Christus ut in nonnullis aliis, sic etiam in hoc principum coarctavit auctoritatem. Verum de hoc argumento alibi.

Ad 2. Probationem. Neque favet oratoris thesi rei natura, seu evectio contractus ad sacramentum. Nam et hoc est falsum adversarii principium, quod nempe sacramenti dignitas accedat ad contractum iam initum, tamquam res ad rem, perinde ac si contractus et sacramentum duae res essent inter se distinctae. Iam vero ut suo loco ostendimus, sacramentum exurgit ex ipso contractu dum fit, ita ut unus idemque sit actus quo fit contractus et sacramentum, adeoque habetur identitas realis utriusque, nec unus ab altero separari potest, aut dissolvi. Hinc superstructa moles, sublato fundamento, concidit; videlicet concidit, quod orator ait de coniunctione unius rei cum altera, quae earumdem naturam minime tollit aut immutat. Id profecto verum est, si eiusmodi coniunctio ab extrinseco fiat; sed si ita fiat coniunctio ut concurrant veluti duo elementa ad rem quandam unicam constituendam efficiendamque, reipsa natura rei tollitur ac immutatur, prout cernitur vel in ipsis coniunctionibus seu copulationibus physicis aut chimicis. Certe essentia sacra-

menti nobilior per se est contractu, sed in casus specie quo de agimus, cum essentia sacramenti afficiatur ex materia proxima, et ex forma, seu prolatione verborum quibus consensus exprimitur, dici nequit essentiam sacramenti nobiliorem esse contractu; alioquin deberet dici: contractus, qui est sacramentum, nobilior est eo qui non est sacramentum: sed talis contractus inter christianos non est possibilis; aut etiam deberet dici partem sacramenti esse altera nobiliorem; quod foret absurdum. Sacramentum sanctificat contractum, sed in actu individuo quo contractus fit sacramentum, ac proinde non est separabilis contractus a sacramento.

Ad 3. Prob. Inseparabilitas non est *de fide* seu non est *dogma;* id est nulla adhuc habetur directa atque expressa solemnis ecclesiae definitio, ast doctrina vera, catholica ac certa est declarata ab ipso constanti ecclesiae modo agendi et sentiendi, ut patet ex coniugiis clandestinis, quae semper non solum pro validis contractibus, sed etiam pro veris sacramentis etsi infructuose acceptis habita sunt in ecclesia; quod apparet ex difficultate hac ipsa de causa enata in concilio tridentino ad constituendum impedimentum dirimens clandestinitatis; ac demum ut constat ex aperta romanorum pontificum declaratione (111). Quae omnia viro docili ac sincere catholico sufficere debent. Separatio autem haec in coniugio christiano in adversarii sensu nuspiam ac numquam in ulla regione catholica facta est, nec fiet, eo ipso quod fieri nequeat.

Ad 4. Prob. Inseparabilitatem non esse caput disciplinae fundamentalis, ex dictis constat falsum omnino esse, nec ullum afferri potest exemplum oppositum ex

(111) Scilicet Pii VI. in *Brevi* ad episcop. motulensem 16. Sept. 1788. item in *Brevi* ad episcop. Agriae 17. Iul. 1789. Pii VIII. in Encycl. *Tradidit humilitati.* 24. Mai. 1829. Gregorii XVI. in Enclyclica *Mirari vos* 15. Aug. 1832. Pii IX. in *Allocutione* 27. Sept. 1852.

antiquitate universa. Immo potius hac disciplina fundamentali constituta, ecclesia permittit, seu tolerat quaestiones theoreticas et speculativas, quemadmodum salva rei substantia, in pluribus aliis permittuntur ac tolerantur quaedam disputationes theologorum. Atque ut rem exemplo petito ab aliis sacramentis illustremus, ecclesia administrat sacramentum ordinis tum manuum impositione, tum instrumentorum traditione, adeo ut si alterutra materia desit, aut forma quae alterutram comitatur materiam, saltem sub conditione totam repetat ordinationem (112). Permittit tamen ut in scholis disceptetur quaenam ex his materiis censenda sit essentialis, quaenam integralis; an ambae essentiales sint nec ne. Id ipsum dicas de administratione confirmationis in qua concurrunt et manus impositio et unctio opobalsami in fronte, et ita porro. Iam vero numquid ex his speculativis disputationibus, quae ab ecclesia permittuntur, concludere fas erit non pertinere ad disciplinam fundamentalem formam in ecclesia receptam in eiusmodi sacramentorum administratione? Nemo sanus id dicet. Simili igitur ratione de matrimonii sacramento est disserendum.

Hac igitur reiecta exclusaque falsa hypothesi de separabilitate contractus et sacramenti in coniugiis christianorum, nequit amplius habere locum illatio oratoris: expedire ut separentur. Praeterea regno aut reipublicae prodesse non potest independentia ab ecclesia; eiusmodi enim independentia in iis, quae ad religionem pertinent, esset actus perduellionis contra illam auctoritatem, quam Christus ipse constituit omnium omnino hominum matrem ac magistram (113). Respublica, aut regnum, si ve-

(112) Cf. Benedict. XIV. *De synodo dioec.* lib. VIII. cap. X. §. 12-15.

(113) Atque heic sedulo animadvertendum est erroneum plane esse principium quo non pauci pseudo-politici utuntur, ut inferant, ecclesiam reipublicae debere subesse ac proinde obtemperare, eo quod respublica admiserit ecclesiam,

lint catholicitatem servare, debent ecclesiae subesse eique in spiritualibus parere sicut privati omnes. Christus quippe absque exceptione ulla dixit Apostolis ac proinde legitimis eorum successoribus : « Euntes docete omnes gentes.... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.» iisdemque contulit potestatem legislativam, cui omnes filii obedire tenentur. Nec valet coarctatio illa, qua dicitur, utramque potestatem independentem esse intra fines suos. Quisnam erit iudex horum *finium?* Dubia, iurgia, quaestiones vitari facile poterunt, si respublicae ac regna agere bona fide velint; non autem si usurpare attentaverint quod alienum est.

Pace vero oratoris nostri, matrimonium quod mere civile dicitur, proprie nil aliud est, quam *turpis concubinatus*, reprobatus a Deo et ab ecclesia; *concubinatum* singillatim eumque turpem vocavit Pius IX. ut suo loco vidimus. Itaque non alio nomine insigniri coniugium illud potest et debet; nec nisi per vocis abusum potest *matrimonium* dici, cum tale non sit.

Errat etiam orator dum putat dari in ecclesia posse matrimonium verum ac legitimum sed non *ratum*. Nam hoc ipso quod fidelium connubium verum est ac legitimum, est etiam *ratum;* si ratum non fuerit, neque verum erit neque legitimum. Matrimonium ratum potest esse licitum aut illicitum, ac fortasse hoc significare voluit orator noster. Ast aliud est quidpiam esse licitum aut il-

non autem ecclesia receperit, seu admiserit rempublicam. Nam eiusmodi principium est contra historiam. Velint nolint eiusmodi homines, ecclesia reipsa in sinum suum recepit regnum, aut rempublicam, et per baptismum cooptavit sive privatos sive principes. Ipsa contra principum voluntatem regna penetravit per evangelicam praedicationem. Quum principes admissi in ecclesia sunt, ut plurimum iam magna subditorum pars ad veram religionem transierat. Sane quum praedicatio evangelica disseminari coepit, quomodo principes exceperunt evangelii praecones? virgis, securibus, equuleis, omnique tormentorum apparatu ac morte ipsa. Devicti tandem, et ipsi debuerunt cervicem flectere, et eos recepit ecclesia admisitque ad sacrum lavacrum et cooptavit in filios suos.

licitum, aliud vero esse validum aut invalidum. Quaestionis obiectum vertitur circa validitatem aut invaliditatem matrimonii pure civilis. Ecclesia catholica docet illud esse prorsus invalidum ubi tridentinum decretum publicatum est.

Cum canonistae distinguunt matrimonium verum ac legitimum a matrimonio *rato*, hanc distinctionem ponunt ad mentem Innocentii III. qui vocavit matrimonia vera, adeoque legitima, quae ab *infidelibus* contrahuntur; *rata* autem nuncupavit matrimonia *fidelium*, quia sunt praeterea sacramenta. Ex quo principio inferebat pontifex sapientissimus, matrimonia infidelium utpote tantum *vera*, posse dissolvi per alterutrius coniugis conversionem ad religionem christianam; contra vero matrimonia fidelium consummata, utpote sacramenta, nullo umquam in casu posse dissolvi (114).

Exinde patet, ecclesiam tenere quidem uti *validum* matrimonium *verum* seu legitimum inter infideles, etsi non *ratum;* minime vero matrimonium fidelium, quod, si verum ac legitimum sit, eo ipso est *ratum*.

Quid traditum sit, aut etiamnum tradatur in academia taurinensi de iure canonico plane ignoro. Illud tamen novi non omnes professores hanc eandem tradidisse doctrinam, nec nisi a quibusdam sedis apostolicae adversariis ac iansenianae factioni addictis novitates coepisse, quas secutus est, immo et longe praetergressus est Io. Nepo-

(114) In cap. VII. *Quanto de divortus: Si alter infidelium etc.* et hanc exhibet rationem: « Nam etsi matrimonium *verum* inter infideles existat, non tamen est *ratum:* inter fideles autem *verum et ratum* existit, quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed *ratum* efficit coniugii sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret. » Eadem ferme repetit in cap. *Gaudemus* sub eodem titulo XIX.

Ubi notandum iuxta Innocentium, matrimonium fidelium esse ratum et sacramentum quia baptizati sunt, seu ob baptismum (*sacramentum fidei*) susceptum, non autem ob benedictionem sacerdotalem.

mucenus Nuytz cuius perversa placita Pius IX. non ita pridem solemniter damnavit (115). Addo doctrinam qua traditur matrimonium iuxta leges uniuscuiusque regionis celebratum, quamvis destitutum charactere sacramenti, verum esse matrimonium, si sermo sit de coniugiis fidelium, esse doctrinam falsam, erroneam et anticatholicam.

Tantum vero abest, ut hoc sit manifestum *ante* concilium tridentinum, ut concilium potius anathema dixerit in eos, qui negaverint matrimonia clandestina, de quibus disserit orator, *ante* concilium *vera et rata* esse, id est, ex loquendi ecclesiae usu, vera esse sacramenta (116), et ex oratore ipso, qui concedit hanc esse significationem matrimonii *rati*.

Hinc concidunt, quae adiicit orator: ac primo quod si matrimonium sine parocho celebretur illis in locis in quibus decretum tridentinum publicatum est, nullum quidem sit; sed si alicui principi catholico, prout in Galliis et in Belgio contigit, placeret aliam formam praestituere matrimonio tamquam contractui, cum eiusmodi lex fuerit promulgata, matrimonia ad eius normam celebrata eo ipso sint *vera* matrimonia, quamvis non *rata*.

Nam in nullius principis potestate est aliam praestituere formam matrimonio tamquam contractui, cum id

(115) Totam hanc illuviem novitatum, quae postea invaluerunt in athenaeo taurinensi, et progressum paucis complexus est cl. Avogadro in cit. op. *Teorica dell'istituzione del matrimonio*, vol. I. cap. IV. pag. 47. not. (1). Eam repetit a duumviris Pensabene et Daguirre, qui sub Victorio Amedeo II. pugnaverant contra apostolicam sedem pro *monarchiae* tribunali in Sicilia. Sub eiusdem regis auspiciis Augustae Taurinorum fundamenta iecerunt novae doctrinae. A Daguirre adsciti fuerunt ad prosequendum inceptum opus alii eiusdem furfuris professores, inter quos eminet Campiani. Deinde Chionius et Bon rem perfecerunt, ac novissime Nuytz culmen imposuit. Ex his fontibus plerique deputati subalpini ac senatores doctrinam suam hauserunt, qui propugnarunt coniugium civile.

(116) En concilii verba sess. XXIV. ex decreto *De ref. matrim.* cap. 1. « Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, *rata et vera* esse matrimonia quamdiu ecclesia ea irrita non fecit, et proinde *iure damnandi sint illi*, ut eos... synodus *anathemate damnat, qui ea vera et rata* esse negant » etc.

excedat eius facultatem, et soli ecclesiae competat, ac si id aliquis princeps attentaret, rem prorsus irritam faceret. Contractus, uti saepius inculcavimus, est inseparabilis a sacramento in coniugiis christianorum, ac proinde ubi non est sacramentum, nec contractus habetur. Imo, ut centies animadvertimus, concilium directe et immediate irritavit contractum inhabiles ad consensum efficiendo contrahentes. Quod si in Galliis et in Belgio lex sancita est qua matrimonia civilia celebrentur, ecclesia huius legis nullam rationem habuit unquam, aut aliquando habebit, atque coniugia eorum qui coram solo magistratu civili contraxerunt spectat uti nulla, atque ut concubinatum legalem, non secus ac spectaret coniugia mere civilia, quae in Sardiniae regno celebrata fuissent, si proposita lex fuisset sancita. Adeoque eiusmodi coniugia ad normam solius legis civilis inita non sunt sive *rata* sive *vera*.

Esto concilium tridentinum suo *decreto* (non *canone*) non creasse *dogma*, de quo tamen adhuc disceptari posset, nam ecclesia decreto, quo nulla esse declarat clandestina matrimonia, per se quidem dogma fidei non enunciat, sed *statuit* et *decernit*, quod nemo infirmum dicere potest, quin eo ipso *dogma fidei* (de potestate ecclesiae) neget. Verum, hoc praetermisso, quid inde? Sola ne dogmata fidei obligant fideles catholicos? Nonne iidem sub gravi obligantur ad leges disciplinares, praesertim *fundamentales* servandas? Christus dedit ecclesiae suae potestatem legislatricem, quapropter omnes eius filii legibus ab ipsa constitutis se subiicere tenentur, sive ii sint principes sive subditi. Si igitur concilium, oratore ipso fatente, condidit *canonem*, sive melius *decretum* disciplinae, dum statuit formam celebrandorum coniugiorum, et quidem sub nullitatis poena, nemo est, qui ab ea se subducere valeat; contrarium vero asserere gravissimus saltem *error* esset.

Sic etiam erroneum et anticatholicum est quod adiecit orator, concilium hoc suo decreto actum effecisse principatus proprium, eoque annuente et postulante; cum placuerit principatui, poterit hic statuere novam formam sub nullitatis poena. Tota haec, inquam, assertio erronea et anticatholica est, utpote damnata in Constitut. dogmatica *Auctorem fidei* in prop. LIX. et LX. quas heic subiicimus: In prop. LIX. dicitur: « Declaratio synodi (pistoriensis) asserens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originariam spectare contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddant, dicunturque dirimentia; quod ius originarium praeterea dicitur cum iure dispensandi essentialiter connexum;* subiungens: *supposito assensu vel conniventia principum, potuisse ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;* quasi ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare; *canonum* 3. 4. 9. 12. sessionis 24. *concilii tridentini eversiva, haeretica* (117).» Propositio vero LX. haec est: « Item rogatio synodi ad potestatem civilem, *ut e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in collectione Iustiniani, tum ut restringat impedimentum affinitatis et cognationis ex quacumque licita vel illicita coniunctione provenientis ad quartum gradum iuxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam, ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae;* quatenus civili potestati ius attribuit sive abro-

(117) Si *haeretica* est doctrina synodi pistoriensis, eo quod sit eversiva canonum 3. 4. 9. 12. ergo eiusmodi canones sunt *dogmatici*, non autem disciplinares tantum. Nam haeretica est doctrina, quae opponitur fidei dogmati.

gandi, sive restringendi impedimenta ecclesiae auctoritate constituta, vel comprobata; item qua parte supponit, ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse iure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis. *Libertatis ac potestatis ecclesiae subversiva, tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta* (118).»

Tales nempe sunt fontes ex quibus orator ac senator doctrinam suam hausit, nempe ex apostata De Dominis, ex Launoio, ex iansenistica synodo pistoriensi, cuius propositiones tamquam *haereticae* vel *erroneae* hac in parte confixae sunt. Itaque erroneum atque anticatholicum est affirmare, posse principatum, cum ei placuerit, statuere novam matrimonii formam contrariam illi quam tridentinum constituit, aut etiam ab illa diversam; erroneum et anticatholicum est affirmare defectum sacramenti in matrimoniis, quae inita fuerint iuxta solam legem civilem causam esse ut eiusmodi connubia censeri debeant quidem ut non *rata*, sed tamen ut *legitima* ac *vera* (119). Quae

(118) Et hic animadverto doctrinam hac in propositione damnatam eamdem prorsus esse, quam orator noster adstruit. Tam altas radices egerat in illo archigymnasio taurinensi doctrina pistoriensis et febroniana!

(119) Haec ipsa placet confirmare ineluctabili etiam Pii VII. auctoritate in *Instructione* nuntio apostolico in Polonia data an. 1808. In ea summus pontifex graviter queritur de agendi ratione episcopi varsoviensis dicens: « In matrimoniis catholicis... contractus civiles, divortia civilia, sententias civiles, a civili lege praescripta agnoscendo episcopus catholicus, Principi potestatem in sacramenta et disciplinam ecclesiasticam concedit, et admittit *principem posse formam et ritus mutare, canones abrogare, libertatem ecclesiae violare, conscientias turbare*, proindeque eamdem potestatem habere absolutam in res et causas mere ecclesiasticas... et ex natura sua a potestate clavium pendentes, eumdemque posse manus thuribulo imponere, atque suis legibus canonibus ecclesiae dominari.... *Error est, matrimonium contractum civilem reputare*, praesertim ex quo matrimonium sub lege evangelica ad dignitatem sacramenti fuit elevatum, et ideo res sacra, atque ex natura sua, *et quoad valorem suum ab omni specie legum profanarum independens factum est.*» Apud Roskovàny *Monumenta catholica pro independentia potestatis ecclesiasticae ab imperio civili*. Quinque ecclesiis 1847. tom. II. pag. 152 seqq.

cum ita sint, plane consequitur, si qua inita fuerint coniugia mere civilia, illa non constituere nisi *verum* ac *ratum* concubinatum, nempe concubinatum *legalem* deteriorem concubinatu vulgari, saltem quoad effectus. Nam qui versantur in simplici concubinatu, norunt ac profitentur se male agere, atque ut plurimum resipiscunt; contra vero qui in concubinatu legali vivunt contecti matrimonii pallio, iactant se matrimonio esse coniunctos, eoque iuxta adversarium *vero* ac *legitimo*, adeoque longe difficilius se ab eiusmodi nexibus extricant.

In eo vero, quod adiecit orator, nullam haberi *legem* sive divinam sive humanam, quae praecipiat concursum sacramenti ad valorem coniugii, reponimus *primo* legem hanc haberi in decreto concilii tridentini, quo irritantur matrimonia omnia non celebrata iuxta formam a se praescriptam ubicumque decretum illud fuerit publicatum. Reponimus *secundo* iterum hanc legem haberi in anathemate prolato ab eodem concilio in eos qui negaverint esse *vera* et *rata*, idest sacramenta, coniugia clandestina, quamdiu ecclesia irrita ea non fecerit. Reponimus *tertio* necessariam non esse legem aliquam afferre dum de eo agitur, quod oritur ex ipsa rei natura; ut in casu nostro in quo contractus et sacramentum unum idemque revera sunt, ita ut unus sine altero haberi nequeat, ac si alterum desit alterum abesse necesse sit. Hinc negatur hypothesis adversarii in qua ipse assumit posse in coniugiis christianis contractum coniugalem existere sine sacramento; et denuo concludimus contractum mere civilem non esse contractum connubialem, sed conventionem ad concubinatum ineundum.

Exinde patet falsum esse corollarium, quod orator deducit ex falsis principiis, id est, neque oportere, neque decere ut lex civilis actum religiosum in coniugio praescribat *sub poena nullitatis*; nam omnino decet, ut

regimen civile, si velit rite officio suo fungi, ubi religio catholica est lex regni vel reipublicae, efficiat ut a civibus ea, quae ad religionem spectant, serventur. Debet enim potestas civilis ecclesiae praesto esse in iis omnibus, quae eius muneris sunt, et ab ipsa poscit ecclesia. Si sermo sit de aliqua statuenda lege circa matrimonium *sub poena nullitatis*, certe civilis auctoritas statuere eam non potest, cum hoc excedat limites eiusdem auctoritatis, potest vero utique et debet legem eiusmodi ab ecclesia latam omni praesidio servare ac tueri.

Ideo vero dici nequit *haereticus*, aut *schismaticus* qui tenet doctrinam de *separatione* seu de *separabilitate* inter contractum et sacramentum, quia nulla hac de re data fuit expressa ac formalis ab ecclesia definitio. Verum eiusmodi definitionis defectus non impedit quominus doctrina dici non debeat *falsa*, *erronea* et ecclesiae doctrinae ac praxi *contraria*, et qui eam profitetur, *temerarius*, atque a germana ecclesiae catholicae doctrina alienus. Praeter *haeresis*, aut *schismatis* notas, plures aliae censoriae notae seu censurae sunt quibus propositiones, aut doctrinae notantur, ex. gr. *de haeresi suspectae*, *haeresi proximae*, *sapientes haeresim*, *temerariae*, *erroneae etc.*

Neque ad hoc necessario requiritur concilii oecumenici declaratio, quum non minus sit infallibilis ecclesia dispersa, quam in concilio congregata. Romanus pontifex ecclesiae caput satis aperte innumeris prope actibus veram ecclesiae hac de re exposuit doctrinam, ut ex allatis documentis constat. Nec proinde necesse est, ut hac de causa immutetur iurisprudentia.

Sic opus pariter non est constituere ut solum matrimonium *ratum*, non autem *mere legitimum*, ut oratoris phrasi utamur, producat effectus civiles. Quod enim vocatur mere legitimum, non est verum matrimonium. Viderint porro administratores regni vel reipublicae catho-

licae an deceat ac expediat tribuere effectus civiles coniugibus, qui degunt in concubinatu.

Ante concilium tridentinum coniugia clandestina non contrahebantur, ut opinatur adversarius, iuxta leges civiles. Absurdum quippe est dicere ad normam civilium legum celebratum fuisse coniugium, quod contrahebatur secreto, ac sine ullis testibus; et hac de causa tot oriebantur, ut vidimus, scandala et incommoda quibus fiebat, ut non pauci separati a vera coniuge, cum alia coniugerentur in facie ecclesiae ac in perpetuo adulterio viverent, ut silentio praeteream nuspiam fere tunc temporis leges civiles de quibus agitur, viguisse, ac rationem contrahendi coniugia clandestina maxime fuisse idoneam ad leges civiles eludendas.

Insuper assumit adversarius ut certum, quod iuxta catholicam doctrinam est prorsus falsum: scilicet assumit coniugiis illis clandestinis defuisse sacramenti dignitatem; at vero, uti ostendimus, ecclesia illa habuit tamquam vera sacramenta. Sic etiam falsum est quod ipse rursum affirmat, ecclesiam ea non habuisse ut illicita, inhonesta ac turpia; siquidem concilium tridentinum contrarium plane testatur, dum profitetur ecclesiam Dei *ex iustissimis causis illa semper detestatam esse atque prohibuisse.*

Absonum porro est et erroneum quod adiecit orator, posse etiam post concilium tridentinum legitime celebrari matrimonia, si princeps catholicus velit in regno suo formae a concilio praestitutae aliam subrogare, si idem finis obtineatur impediendi matrimonia clandestina: ecquis enim princeps sive catholicus sive acatholicus potest sibi arrogare potestatem supra concilium oecumenicum, seu supra ecclesiam universalem, proponendo aliam formam ab ea diversam quam ecclesia constituit? Qui hoc imprudens blaterat, palam se ignorare patefacit hanc doctri-

nam uti *haereticam* fuisse in Constitut. *Auctorem fidei* damnatam propp. LIX et LX. quas paulo ante recitavimus; in quibus haereticali nota configitur pistoriensium doctrina, qua tribuitur principibus potestas immutandi, abolendi aut substituendi impedimenta matrimonium dirimentia.

Miror vero potuisse oratorem subalpinum etiam atque etiam affirmare matrimonia clandestina ante concilium tridentinum *non fuisse rata,* cum aperte hoc ipsum concilium anathema in eos pronunciaverit qui negaverit fuisse *vera et rata,* ac tamdiu *vera et rata* permanere quamdiu non fuerit suum decretum promulgatum, prout reipsa talia adhuc eam vim habent iis omnibus in locis in quibus nondum est publicatum.

Quod autem asserit de concilio sanciente illum canonem *(decretum)* ob delegationem principum, duplici eoque gravissimo errore nititur, altero *facti, iuris* altero. Error facti est, quod card. Lotharingius dum rogavit concilium ut irritaret coniugia clandestina ob innumera pene mala, quae exinde dimanabant, transtulerit in concilium potestatem, qua princeps natura est instructus. Porro tantum abest ut Galliarum rex censuerit per oratorem suum cardinalem Lotharingium delegare potestatem suam concilio, ut statueret illud dirimens impedimentum, quin potius *enixis precibus* concilium rogaverit, ut dignaretur eiusmodi matrimonia irrita facere. Idque non sine ingentibus difficultatibus obtinuit laudatus cardinalis a concilii patribus, quorum aliqui in negante sententia perstiterunt pene usque ad sessionis illius finem (120). Id ne est transmittere potestatem in alterum, an verius agnoscere ac profiteri se hac potestate plane esse destitutum? Accedit, quod card. Lotharingius duo regis sui nomine a concilio postulaverit, tum irritationem coniugiorum clande-

(120) Cf. Pallavic. op. et loc. cit.

stinorum, tum filiorum familias, quae obnitentibus aut insciis parentibus inirentur. Ex his alterum concessit concilium, alterum recusavit; quinimo decrevit *falso* nonnullos *affirmare matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse.*

Cum hae praemissae sint falsae, falsum quoque consequens esse necesse est, quod in illis continetur, scilicet posse principes illam potestatem revocare iuxta temporum exigentias, in quo consistit alter error quem vocavimus *iuris*. Principes enim revocare non possunt, quod numquam concesserunt, aut concedere potuere, cuiusmodi eam esse vidimus potestatem, quam senator noster iisdem tribuit.

Quemadmodum vero sub finem disceptationis suae idem orator adiecit: « Repeto, id iamdiu in Galliis et in Belgio locum habuisse, quin eiusmodi *coniugiis legitimis* turpe concubinatus nomen inditum fuerit, » ita et nos iterare debemus, quod iam diximus, videlicet non agi de *facto* sed de *iure:* plura sunt quae fiunt, quae tamen fieri legitime non possunt. Ecclesia nequit vim obiicere iis, qui vi abutuntur, ut contra ius et fas multa constituant. Si interdum necessitate compulsa apostolica sedes dissimulare ad tempus cogitur, non ideo approbat, quae improbanda sunt: novit ecclesia tempus tacendi et tempus loquendi: functa est munere suo prout rerum ac temporum adiuncta exposcebant. Quod si gubernia aurem non praebent, ipsa viderint: non ideo res licita efficitur, neque inde sequitur alias sive respublicas sive regna licite posse illa imitari. Ceterum concubinatus nomen *legitimis* huiusmodi *connubiis* a Pio IX. aperte inditum fuisse pluries diximus, quum docuit: « inter fideles matrimonium dari non posse, quin *uno eodemque tempore sit sacramentum*, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri

et mulieris praeter sacramentum coniunctionem, CUIUSCUMQUE ETIAM CIVILIS LEGIS VI FACTAM, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem CONCUBINATUM ab ecclesia tantopere damnatum, ac proinde *a coniugali foedere sacramentum separari numquam posse* (121).»

Hinc patet quid respondendum sit alteri oratori, qui ideo legem tuetur esse catholicam, quia *de fide* non est doctrina, quae de contractu ac sacramento unam eamdemque rem efficit, et quia contraria etiam opinio est *satis catholica*. Nimirum doctrina, quae de contractu et sacramento unam eamdemque rem efficit est doctrina vera, certa, et catholica, ac tradita assertaque solemniter, ut modo vidimus, ab apostolica sede iuxta perpetuum ecclesiae sensum in coniugiis christianorum. Hoc nobis satis est. Si qua sit tolerata quorumdam opinio contraria, ea est *falsa*, doctrinae apostolicae sedis *adversans*, nec proinde *satis catholica*, imo nullo modo catholica est.

Quod demum alter orator protulit, nempe legem propositam non loqui nisi de coniugiis *legitimis*, concilium vero de his non disserere, facili negotio refellitur. Sane quanam ratione lex loqui potest de coniugiis legitimis, si alia non dantur coniugia legitima praeter ea, quae coram ecclesia celebrantur? At forte orator ea voce significare voluit coniugia *legalia*, quae scilicet a sola lege civili probantur. Ast eiusmodi coniugia non agnoscuntur ab ecclesia, quae ea omnia omnino respuit ut irrita ac nulla: atque ex hoc ipso patet propositam legem esse improbandam tamquam anticatholicam, utpote quae auctoritati oecumenici concilii adversetur.

Itaque hoc semper alta mente repostum tenendum est, non alia dari vera ac legitima coniugia, quam quae ab ecclesia admissa sunt ac probata. In illis igitur regionibus

(121) *Pii IX. P. M. Acta*. Par. I. 1855. p. 383. *Allocut. in consist. secret.* habita die 27. Sept. 1852.

in quibus decretum tridentinum publicatum non est, valida sunt matrimonia clandestina; quia vera ac rata eadem declaravit ecclesia; at ubicumque illud decretum publicatum est, coniugia, quae iuxta formam a concilio praescriptam celebrata non fuerint, irrita sunt atque invalida, quidquid tandem lex civilis statuerit. Matrimonium quod inscio prorsus civili magistratu coram duobus, aut tribus testibus, et coram parocho etiam invito celebretur, validum est ac ratum: quod si non solum magistratibus civilibus adstantibus, sed coram universo senatu, ac tota etiam spectante civitate, absente ordinario vel parocho aut sacerdote ab eodem deputato, attentaretur coniugium, nullum ac irritum esset omnino, nec matrimonium, sed concubinatus foret.

Ac de his rebus nos hactenus loquutos satis sit; ulterius progredi potuissemus, finem tamen quem nobis proposuimus assecutos nos esse confidimus, ostendere scilicet quantum ex omni parte habendum sit et antichristianum et anticatholicum, quod communiter appellamus matrimonium civile ubicumque concilium tridentinum solemniter publicationem habuit. Inquisivimus in eiusdem civilis matrimonii naturam, unde natum, quamque late progressum fuerit. Excussimus et legem in se et in consectariis, quae illam comitantur. Demum nullum neglexi-mus argumentorum, quibus legis fautores et in comitiis electivis, et in senatu subalpino omni studio contenderant demonstrare convenientiam legis ipsius, quamque utilis foret subalpinis, si communi suffragio probaretur. Quo in loco vidimus cavillationes et fraudulenta artificia quibus in argumentando usi sunt.

Non ideo cuiusquam nomini detrahere voluimus, aut quempiam laedere. Satis enim novimus, quod cum fervet disputatio, incalescunt, agitantur, atque veluti impetu efferuntur animi et veritatem saepius non vident. At si-

mul animi quievere, locum ratio iterum usurpat, et tunc argumenta quae prius ineluctabilia videbantur, qualia sunt cognoscuntur, nullius videlicet ponderis, nullius virtutis. Quare affirmare minime dubitamus non paucos eorum, qui tam vehementer pugnarunt pro lege matrimonii civilis, ipsam nunc repudiare. Interea nobis satis erit veritatem propugnasse, et ecclesiae Christi aliquid obsequii exhibuisse.

			ERRATA	CORRIGE
Pag.	38	lin. 17	esprobans.—	exprobrans
»	»	» ult.	is.....—	his
»	46	» 3	nimirum ..—	mirum
»	49	» 3	induceret..—	indueret
»	315	» ult.	visiosorem....—	vitiosiorem

Reliqua emendabit eruditus lector

INDEX

LIBER PRIMUS

DE MATRIMONIO SACRAMENTO ET DE MATRIMONIO CIVILI

SECTIO PRIMA

DE MATRIMONIO SACRAMENTO

PROOEMIUM ..... » IX

CAP. I. — DE RATIONE SACRAMENTI IN MATRIMONIO CHRISTIANO.

ART. I. Veritas sacramenti matrimonii ostenditur ex perpetua ecclesiae doctrina..... pag. 1

ART. II. Veritas sacramenti matrimonii ostenditur ex communi scholasticorum doctrina..... » 22

ART. III. Veritas sacramenti matrimonii ostenditur ex ecclesiastica interpretatione textus Paulini Ephes. V. 32..... » 36

CAP. II. — DE MATRIMONII CHRISTIANI MINISTRO.

ART. I. Quaestionis origo..... » 48

ART. II. Quaestionis progressus..... » 69

ART. III. Corollaria ex nova sententia de sacerdote christiani matrimonii ministro..... » 75

CAP. III. — ARGUMENTA AFFERUNTUR PRO SENTENTIA DE SACERDOTE CHRISTIANI MATRIMONII MINISTRO.

ART. I. Argumenta biblica..... » 81

ART. II. Argumenta traditionalia..... » 82

ART. III. Argumenta theologica..... » 88

CAP. IV. — Expenduntur argumenta allata pro sententia de sacerdote christiani matrimonii ministro.

Art. I. Argumenta biblica ..... » 96
Art. II. Argumenta traditionalia ..... » 99
Art. III. Argumenta theologica ..... » 121

CAP. V. — argumenta pro sententia de contrahentibus christiani matrimonii ministris afferuntur ex expenduntur.

Art. I. Argumenta biblica ..... » 135
Art. II. Argumenta traditionalia ..... » 138
Art. III. Argumenta theologica ..... » 154
Art. IV. Argumentorum utriusque sententiae epicrisis ..... » 169

CAP. VI. — de inseparabilitate contractus et sacramenti in matrimonio christiano.

Art. I. In coniugiis christianorum inseparabilis est ratio contractus et sacramenti atque ubi non habetur sacramentum neque habetur contractus ..... » 175
Art. II. Data etiam veritate sententiae de sacerdote sacramenti matrimonii ministro, perperam adhuc inde infertur dictinctio inter contractum et sacramentum in matrimonio christiano ..... » 193

—

SECTIO ALTERA

DE MATRIMONIO CIVILI.

CAP. I. — DE MATRIMONII CIVILIS NATURA.

ART. I. Matrimonium civile, ubi publicatum est tridentinum concilium, natura sua turpis est concubinatus, et quicumque solo coniugio civili inter se coniuncti vitam agunt, poenis ab ecclesia latis contra publicos concubinarios obnoxii sunt..... » 205

ART. II. Matrimonium civile natura sua opponitur matrimonii christiani indissolubilitati, favetque divortio..... » 215

ART. III. Matrimonium civile natura sua opponitur matrimonii christiani unitati, favetque materiali ac legali polygamiae..... » 224

ART. IV. Matrimonium civile natura sua adversatur publicae honestati inducitque in apertam morum corruptelam..... » 233

ART. V. Matrimonium civile natura sua tendit ad ruinam familiae et societatis..... » 241

CAP. II. DE MATRIMONII CIVILIS ORIGINE ET PROGRESSU.

ART. I. Neque in ecclesiastica, neque in ethnica antiquitate matrimonii civilis origo inveniri potest..... » 256

ART. II. Prima origo matrimonii civilis inter christianos a protestantismo repetenda est..... » 267

ART. III. Matrimonii civilis dilatatio et progressus magna ex parte incredulismo, communismo et socialismo debetur eisque favet..... » 279

CAP. III. — DE MATRIMONII CIVILIS LEGE.

ART. I. Lex matrimonii civilis inter catholicos a christianis pseudo-politicis proposita antiphilosophica est et iniqua ..... » 287

ART. II. Quotquot deliberate ac positive ad legem de matrimonio civili ferendam concurrunt, reos coram Deo se gravissimi criminis constituunt ..... » 299

ART. III. Lex de matrimonio civili est antipolitica... » 306

ART. IV. Lex, quae matrimonium civile libertatis nomine cohonestat, in legem desinit, quae favet tyrannidi ..... » 322

CAP. IV. — DE ARGUMENTIS PRO LEGE DE MATRIMONIO CIVILI ..... » 333

ART. I. Expenduntur argumenta pro lege sub aspectu potissimum politico ..... » 335

§. I. Spiritus cultioris aetatis ac principia subalpini Gubernii ..... » »

§. II. Politica libertas conscientiae ..... » 342

§. III. Distinctio civis et christiani ..... » 358

§. IV. Autonomia ac primatus politicae potestatis et separatio status ab ecclesia ..... » 362

ART. II. Expenduntur argumenta pro lege sub aspectu potissimum morali ..... » 375

§. I. Populi religio, ac legis ipsius restrictio... » »

§. II. Exemplum catholicarum nationum ..... » 379

ART. III. Expenduntur argumenta pro lege sub aspectu etiam religioso et catholico ..... » 390

§. I. Theologicae quaedam doctrinae ..... » »

§. II. Historia ecclesiastica antiqua et recentior.. » 405

§. III. Concilium ipsum tridentinum ..... » 411

§. IV. Separabilitas contractus a sacramento ac distinctio matrimonii legitimi et rati... » 420

IMPRIMATUR

FR. DOMINICUS BUTTAONI O. P. S. P. A. MAGISTER.

IMPRIMATUR

FR. A. LIGI BUSSI ARCHIEP. ICONIEN. VICESGERENS.

265.6
P36
Perrone
AUTHOR
De Matrimonio Christiano
TITLE
DATE
DATE
ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY